Bibl vecchia



NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8 M
36 O
3
ROMA



LUCERNA MORALIS

AQUINATICI SOLIS illustrata splendoribus;

SEU

Generalia totius Moralis Doctrinæ Præcepta, juxta mentem Angelici Ecclesiæ Doctoris

D. THOMÆ AQUINATIS,


Brevi, ac dilucida methodo in veritatis amatorum gratiam communi exposita utilitati.

Labore, & Studio

REV. PATRIS
FR. PETRI MARTYRIS PETRUCCI
Viterbien. Filii Conventus S. Mariæ super Quercum
Ord. Prædicator. inter Sacræ Theologiæ
Professores minimi.

ROMÆ M.DC.XCVIII.
Typis Antonii de Rubeis propè S. Sylvestrum
de Capite in via Vitis.

SUPERIORUM PERMISSU.



Eminentissimo, ac Reverendissimo Domino

D. SAVO MILLINO

S. R. E. CARD. AMPLISSIMO,

Ecclesiæ Nepesinæ, & Sutrinæ Vigilantissimo Præsuli.





ON immeritò quidem, EMINENTISSIME, AC REVERENDISSIME D. *Veteres Gentiles pulchrâ specie, sed nudas, ridentesque Juvenculas, easdemque amicabili coniunctas invicem nexu finxere Charites; Illud planè sapienter indigitantes; hilari nedum, & vultu, & animo impertienda beneficia, nulloque adulterinæ intentionis, aut non sinceri cordis fucata velamine; sed, & eadem à susceptore nunquam senescente retinenda memoria, ut reciproco benevolentiæ vinculo beneficiis gratiæ, gratiis nova item beneficia necterentur.*

Quàm libens, quàm sit hilaris in profusa Beneficentia, non aliundè certè, quam ex in-

genita, meraque liberalitate EMINENTISSIMA DOMINATIO TUA; *qui eam non ignoret, nemo procùl dubio non novit; ipſumque me ſatis docet experientia, quà licet immeritum, iugi favore beneficiis, Gratiiſque non deſinit cumulare.*

Quàm verò apud me ſuſcepta Beneficia virenti floreant Juventa, in ævum feliciter permanſura, dum aliud propria ſuppeditare nequeat exilitas, Qualicunque hoc mei laboris fructu, gratique animi monumento, EMINENTIÆ TUÆ REVERENDISSIMÆ *tota cordis ſinceritate oblato, univerſis teſtatum velim. Integrum quippè nec mihi foret, gratanter gratias memoriæ ſervare depoſitas, aut privato ſolum grates reddere obſequio; Ut enim aiebat Seneca lib. 6. de Beneficiis apud Guil. Peraldum Sum. Virt. de Juſt. par.* 13. Ingratus eſt, qui remotis arbitris Gratias agit.

Illud quoque nunc me nactum reor, temporis nempè opportunitatem; quod in referenda Gratia idem præſcribit Moralis, inquiens apud eundem ibi: Æquè delinquit, qui ad referendam Gratiam ſuo ceſſat tempore, quàm qui alienò properat. *Quænam porrò mi-*

mihi, quàm præsens, expectanda opportunior occasio? Moralem siquidem ad Lucem publicam editurus Lucernam, dum EMINENTIÆ TUÆ *Pastoralis Zelus, pro debita Juvenum in literis, ac moribus institutione, Clericorum in hac Nepesina Civitate molitur Collegium, Gratiùs quidpiam unquam offerre, haud posse me, arbitror, quàm Lucernam ipsam, quæ totius moralis Disciplinæ ex inoffensò Angelici Præceptoris lumine Documenta complectens, ad Clericis necessariam inprimis Moralem Scientiam, eosdem quàm facillimè promovere.*

At verò compellor equidem, sed fateri, non pudet; Jure omni promeritas dum, ut fas est gestio solvere Grates, novis adstrictus vinculis, quò solvere magis cupio, eò me sentio debitorem; An non magnum hoc ipsò debitum contraho, quod ex liberalissima dignatione hocce meum Opusculum, nec alio, ex propriis dignum pretio, EMINENTISSIMÆ DOMINATIONIS TUÆ *nomine insignitum, sub felicissimis eiusdem auspiciis audacter prodeat ad lucem?*

Hinc fallit in me nimis, quod ipsi autumare voluerunt Antiquiores, ex Gratiis à no-

bis

bis unam aversa facie, ad nos ambas conversa, pingentes; Ut à Collatore profectum, ad ipsum duplicatum redire beneficium ostenderent; At me profectò duplici quidem titulo, multiplicique obstrinxit Gratia Beneficentia tua; Dum & peculiaribus me fovet Beneficiis, hancque nostram D. Ptolomæi Ecclesiam pariter, ac Domum, pro singulari, quà in sacram Deiparæ Thaumaturgam fertur imaginem, Devotione, ac pietate, perenni, vigilique tuetur, promovetque patrocinio.

Absit autem, ut paria his, ne duplicia dixerim posse me reddere, tamen unquam obrepat cogitatio; Unam, eamque nudam merito, munere inanem, vix liceat, mendicitati meæ, referre Gratiam; Grato nempè animo, semperque vernanti memoria suscepta retinendo Beneficia, debita confitendo. Quò nec duplicia tantùm, sed millena quàm benignè suscipienda iterum atque iterum ab amplissima benignitate tua expectare non pudebit. Invitat enim ad magna, qui gratanter suscipit modica, & spem de futuris recipit, qui transacta beneficia recognoscit. *Scribebat Cassiodorus* 4. *Epistolarum.*

Quin

Quin immò satis utique reddo, totumque solvo, & si nihil penitùs offerens, dum benignè suscipio, dum debere me fateor. Etenim, si animum potius, quàm munus ritè pensare debeamus; Non minoris est animi, Debere, quàm Dare; *Inquit Moralis apud Peral. ubi suprà. Ac iterum.* Vis reddere Beneficium? accipe Benignè.

Sic planè satisfactum, non dubito, EMINENTISSIMÆ DOMINATIONI TUÆ. *Siquidem.* Qui Beneficium dat, vult excipi Gratè; habet, quod voluit, si benè acceptum est. *Ea igitur, quà solet, Benignitate, Hilaritate faveat* EMINENTISSIMA DOMINATIO TUA; *dando, item suscipiat; Ego namque libenter, ac Benignè suscipiens, Reddo, quod debeo, in æternum Debiturus.*

EMIN.^MÆ AC REV.^MÆ DOM.^IS TUÆ

Ex Nepesino D. Ptolomæi Cœnobio sexto Idus Septembris 1698.

Humiliss. Obsequentiss. Adstrictiss. Famulus
Fr. Petrus Martyr Petrucci.

PROLOQUIUM
Ad benevolos Lectores.



ORMIEBAT ſatis olim præcipuè in Italia, teſte Cajet. in prol. prim. 2. neceſſaria valdè moralis Theologia; At verò utinam infauſtiſſimo plauſu evigilaſſet nunquam hiſce noviſſimis temporibus; Dum ex florentiſſimis alioqui Academiis erumpentes catervatim Doctores, excreſcentibus in immenſum de re Morali quæſtionibus, tractatibus, voluminibus, multiplicitate, varietate, contrarietate ſententiarum confuſionem potiùs, quàm directionem prætulerunt: verùm (quod lugendum nimis) opinionum laxitate, dùm arctam viam, quæ ducit ad vitam, dilatare meditati ſunt, veriùs certè vias Domini rectas perverterunt. Luxere proculdubio vigilantiſſimi Paſtores tantam ſub his Ducibus, ac Doctoribus Ovium Chriſti periclitantium ruinam, nec, eo, quò par eſt, zelo commiſſi gregis curare ſalutem, in Doctrina ſana exhortantes deſtitere. Id, quod potiſſimùm pro totius Dominici Gregis Paſtorali vigilantia, & ſollicitudine Summi Romani Antiſtites præſtiterunt. Porrò Alexander VII. felicis rec. ut idem in ſuo decreto die 24. Septembris 1665. emanato nòn ſinè magno animi ſui mœrore teſtatur, hujuſmodi opiniones Chriſtianæ Diſciplinæ relaxativas in maximam

Chri-

Chriſtianæ vitę corruptelam eru pturas prænoſcens, optimo, ac opportuno ſatis occurrit remedio, earundem examen Sac. Theologiæ Magiſtris, ac demùm Eminentiſſimis Gen. Inquiſit. committens; Cujus deindè Zelum ſecuti ſunt ejuſdem ſucceſſores Romani Pontifices . Alia quoque via prædictus Alexander indemnitati Ovium Chriſti providere ſtuduit; Etenim præterquamquòd in Generalib. Comitiis Ord. Præd. habitis Romæ 1656. de ipſius mandato univerſis ac ſingulis Theologiæ Profeſſoribus præceptum eſt, ut omnino, variis Opinionum Ævi hujus novitatibus rejectis, Ang. Præc. Doctrinæ, ac ejuſdem priſco, & genuino ſenſui fideliter adhærerent; ſed & inſuper juſſit idē Sanctiſſimus, ex ipſius Divi Thomæ Doctrina Moralē parari Theologiam, cui veluti certæ, ac tutæ Morum Regulæ, poſſent fideles propriam conformare conſcientiam, Bancel. in epiſt. ad Lect. Ità planè factum eſt, noviſſimeque iterum per Patrem Ludovicum Bancel. ſatis optimè completum, ut patere poteſt ex Alphabetica ſumma, quam ex Divi Thomæ doctrina conflatam Avenione typis mandavit; quia verò Moralis doctrina immenſum eſt valdè Chaos, nec omnia breviori calamo, quò S. uſus eſt D. ità dilucidè potuerunt explicari, ut omnibus eſſent perſpicua; nec omnibus datum eſt, inſurgentes paſſim difficultates, ex jam habita doctrina diſcurrendo, enucleare: neceſſarium viſum eſt, ipſius Angel. Præceptoris Doctrinæ quàm fideliter inhærendo, Moralem ipſam Theologiam, præcipuè

quòad ea, quæ propiùs Morum praxim, & usum concernunt, elucidare. Id, quod nos, etsi viribus impares tantam Provinciam, aggredi non formidamus; proprio quidem haud ingenio, verùm ejusdem Sancti Doctoris non modò Sapientiæ, sed intercessioni fidentes, cui perindè, & nos, nostrosque labores qualescunque tota committimus fiducia, probatissimorum insuper DD. adjuti subsidio. Nè autem impingere fortè, discurrendo, contingat; Lucernam hanc ipsius Angel. Præcept. fulgentem splendoribus meritò præmittendam putavimus, totius videlicet Moralis Doctrinæ fundamenta, bases, ac generalia præcepta, quibus ad Decalogi explanationem, cæterorumque Moralium, prout Divina concesserit Misericordia, paretur via. Ex quibus certè plurium, ac ferè omnium in qualibet materia particularium casuum resolutiones facili satis negotio deduci possint, ab hujusmodi tamen consectariis consultò hic abstinemus, tantumque, prout loci, ac Doctrinæ opportunitas postulabit, aliqua in exemplum adducemus. Cùm enim ad particulares tractatus, ac disquisitiones ventum fuerit, vel inutiliter eadem repetenda, vel immeritò in propria sede omittenda forent. Hæc autem, tàm in his, quàm in cæteris una erit nobis regula, & methodus, ut ea, quæ puram sapiunt speculationem, vel parum ad praxim utilia sunt, resecemus, practica item ipsa, quæ jam ferè apud omnes trita, & certa sunt, breviter omninò perstringamus, quæ verò inter DD. controversa, fusiùs discutiamus, ut ad latentem per-

venia-

veniamus veritatem. Monitum insuper Lectorem volumus, ut DD. absolutè citatos reperiens, eorum sententias ab ipsis fontibus nos fideliter, sciat, afferre; cæteros autem, quos in fonte videre non poterimus, non absolutè, sed cum addito, apud talem, vel talem Doct. ex quo non minori fidelitate sententiæ decerptæ erunt citatos inveniet. Ingenuè porrò fateor: Studium hoc, propriæ magis, quàm communi consulens utilitati, sum aggressus. Dum tamen Prudentioribus, ipsisque Superioribus non inutile proximis visum fuerit, quàm libentissimè gratis à Divina Bonitate acceptum gratis do; Immò, & magnum quidem ex hoc ipso recipiens emolumentum, quòd non soli mihi laboraverim, sed omnibus exquirentibus veritatem,

Nos Fratrer ANTONINUS CLOCHE Sacræ Theolog. Profeſs. Ord. Fratrum Prædicator. Humilis Mag. Generalis, & Serv us Sal.

TENORE præſentium, & Officii noſtri Authoritate Licentiam facimus R. P. Lect. Fr. Petro Martyri Petrucci Provinciæ noſtræ Romanæ typis mandandi Librum, cui titulus eſt *Lucerna Moralis*, ab ipſo compoſitūm, & reviſum, & approbatum à duobus Sacræ Theologiæ Profeſſoribus Ordinis Noſtri, ſervatis in aliis omnibus de Jure ſervandis; In quorum fidem &c. Datum Romæ die 27. Julii 1697.

Fr. Antoninus Cloche Mag. Gen. Ordinis.

EX Mandato Reverendiſs. Patris Fratris Antonini Cloche Ordinis Prædicatorum Generalis Mágiſtri, Ego ſubſcriptus pervolui, & ponderavi Opus inſcriptū, *Lucerna Moralis Aquinatici Solis illuſtrata ſplendoribus*, Authore R. P. Fr. Petro Martyre Petruccio ejuſdem inſtituti, & in nullum planè offendi, quod noſtræ Catholicæ fidei articulis, aut Summorum Pontificum, & Conciliorum ſanctionibus, aut rectis morum regulis adverſetur: ſed omnia conſona, & ad Chriſtianæ Pietatis, Diſciplinæque incrementum permaximè conferentia adinveni. Quarè, ut Lucerna, quam non ſinè commendatione Doctores excipient, jugique plauſu Poſteritas venerabitur, non ſub modio incluſa remaneat, ſed ſupra candelabrum omnibus luceat, publici eam fieri juris, præloque committi oportere veraciter ſentio, & cenſeo.

Fr. Auguſtinus Pipia Sac. Theologiæ Doctor Mag. & Cathedraticus Primarius Univerſitatis Majoricens. Sanctæ Inquiſitionis Regni Sardiniæ Qualificator, & Collegii Sancti Thomæ de Urbe Regens.

DE

DE Mandato Reverendissimi P. Fr. Antonini Cloche Magistri Generalis Ord. Pręd. perlegi librum, cui titulus *Lucerna Moralis* est, compositum à R. P. L. Petro Martyre Petruccio. in quo auctor doctè, ac juxtà æquiores opiniones pertractat de Bonitate, & Malitia humanorum actuum; de Conscientia, atque de legibus: quæ continent præcipua Theologiæ Moralis fundamenta. Quarè dignum existimo, ut liber iste edatur in lucem.

Fr. Jacobus Riccius Examinator Cleri in Urbe, Sac. Theolog. Professor in Archigymnasio Sapientiæ Romanæ, & Procurator Generalis Ord. Præd.

INDEX

INDEX
Capitum Lucernæ Moralis.

CAPUT PRIMUM.

De Moralitate in Communi.

§. I. *Quid Moralitas, quidvè Actus Humanus?* 1
§. II. *De Speciebus Moralitatis.* 4
§. III. *Quid requiratur ad hoc ut actus hic, & nunc elicitus bonus sit?* 6
§. IV. *Nullum esse actū deliberatum indifferentem in individuo, ostenditur.* 13

CAPUT SECUNDUM.

De Voluntario, & Involuntario.

§. I. *Quid & quotuplex sit Voluntarium?* 18
§. II. *Explicatur præcipuè ratio voluntarii indirectè, & in Causa.* 25
§. III. *De Causis tollentibus, aut minuentibus Voluntarium, & primò de Violentia.* 33
§. IV. *De Metu.* 36
§. V. *De Concupiscentia, aliisque passionibus.* 43
§. VI. *De Ignorantia.* 46

CAPUT TERTIUM.

De Multiplici Voluntatis actu.

§. I. *Omnes Voluntatis actus enumerantur.* 54
§. II. *Explicantur singuli actus, & per illos Voluntatis processus.* 57
§. III. *Aliqua specialiter de Consensu, & Delectatione.* 66

CAPUT QUARTUM.

De Multiplici Bonitate, & Malitia humanorum actuum.

§. I. *A quo Bonitas, vel Malitia humanorum actuum desumatur?* 74
§. II. *De Bonitate & malitia actus interioris, & exterioris.* 89

§. III. *Un-*

§. III. *Undè sumatur specifica distinctio Bonitatis, vel Malitiæ?* 96
§. IV. *Undè sumenda numerica distinctio Moralium actuum?* 115

CAPUT QUINTUM.

De Specie Moralitatis, quæ Malitia dicitur, ac de Peccatis.

§. I. *Quid sit Malitia Moralis?* 140
§. II. *Quid sit Peccatum, & undè ejus distinctio sumenda?* 149
§. III. *De Multiplici peccatorum Divisione.* 153
§. IV. *De Peccato Mortali, & Veniali.* 161
§. V. *De Comparatione Peccatorum.* 169

CAPUT SEXTUM.

De Circunstantiis humanorum actuum.

§. I. *Quid, & quotuplex est Circunstantia?* 181
§. II. *Quomodò dictæ Circunstantiæ minuant, augeant, vel mutent speciem?* 186
§. III. *Quænam Circunstantiæ sint necessariò in Confessione Sacramentali explicandæ?* 194
§. IV. *Aliæ quædam examinantur difficultates.* 212.

CAPUT SEPTIMUM.

De Conscientia.

§. I. *Quid, & quotuplex sit Conscientia?* 228
§. II. *De Conscientia erronea.* 232
§. III. *De Conscientia Dubia.* 248
§. IV. *De Conscientia Opinativa, seù probabili.* 297

APPENDIX. 334

Seù Digressio procujusdam recentioris Tractatu.

§. V. *De formanda Conscientia in particulari juxtà diversitatem Statuum.* 372

CAPUT OCTAVUM.

De legibus.

§. I. *Quid, & quotuplex sit lex?* 402
§. II. *De Lege Naturali specialiter.* 416
§. III. *De lege humana scripta.* 428
§. IV. *De Consuetudine, & Privilegiis.* 463
§. V. *De Interpretatione, Cessatione, Derogatione, & Abrogatione Legũ Humanarum.* 480

Im-

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiſs. Patri Magiſt.
Sac. Pal. Apoſt.

Sperellus Epiſc. Interamn. Viceſg.



Imprimatur.

Fr. Paulinus Bernardinus Ord. Præd.
Sac. Apoſt. Pal. Magiſter.

LU-

LUCERNA MORALIS

CAPUT PRIMUM.

De Moralitate in communi.

§. I. *Quid sit Moralitas, quidvè Actus Humanus.*

SUMMARIUM.

1. *Moralitas à more dicitur; Moris autèm nomen, tractum est ad significandum actus voluntarios.*
2. *Quid sit propriè Actus humanus explicatur.*
3. *Non sunt omninò idem formaliter, actus humanus, & Moralis, licet materialiter coincidant.*
4. *Multipliciter Moralitas reperitur, & sumitur.*

1. NUlli dubiũ esse potest, Moralitatẽ à more denominari, sed, ut benè advertit Montesinus *prima.2.disput.22.q.1.* Aliud est id, à quo nomen imponitur, aliud verò id, quod significat, & ad quod significandum usurpatur. Ut igitur, quid sit Moralitas, dignoscamus; notandum est, quid moris nomen significet: Omissis autem pluribus. D. Thom. *prima 2. q.58. art. 1.* manifestè docet, hoc nomen, Mos, duo significare, quandoquè enim significat consuetudinem; quandoquè verò significat inclinationem quandam naturalem, vel quasi naturalem ad aliquid agendum.

Quamvis autem subdat S.Doct. quòd Virtus Moralis dicitur à more in hac secunda acceptione; ac perinde in brutis quoquè animalibus dici possint Mores; attamen in 3. *dist.* 23. *quæst.* 1. *art.* 4. *quæst.* 2. satis apertè docet, in Brutis dici *Mores*

magìs secundùm similitudinē, quàm secundùm proprietatem; quia non agunt, quàsi dominium suorum actuum habentia, sed magìs à Natura aguntur, ut dicit Damascenus de fide Ort. lib. 2. cap. 22. Ex quibus colligitur, quòd moralitas dicitur à More, secundùm quod significat inclinationem ad agendum propriè; hoc est agendum cum propria determinatione, & applicatione ad actum. Cæterùm, ut eodem loco insinuat An: P. tractum est nomen Moris ad significandū actus voluntarios, vel appetitivæ partis, secundùm inclinationem appetitus, ad hujusmodi actus.

2. Quidquid autèm sit de nomine. Morale dicitur omne id, quod quomodocumq; ad Mores, idest actus humanos, pertinet, non quidèm secundùm se, & materialitèr sumptos, verùm secundùm quod ordinationi, ac dispositioni subsunt rationis, & legis.

Pro quo notandum est in primìs cum S. Doct. *prima 2. quæst. 1. art. 1.* quòd ille solus propriè dicitur actus humanus, qui proprius est hominis, in quantùm est homo, hoc est, in quantùm differt à cæteris irrationalibus creaturis, non solùm in essendo, sed etiàm in operando, ut ibi notat Cajetanus: Hujusmodi autèm actiones illæ sunt, quarum homo est Dominus, & quæ à voluntate deliberata procedunt, ut subdit Angel. Reliquæ autèm actiones dici possunt quidèm hominis, nō autèm propriè humanæ. Igitur idem est, actionem esse humanam, & liberam; solius enim actionis liberæ, homo habet dominium. Ubì tamen adverte cum Gonet, Man. Tract. *de Beat. cap. 1. §. 1.* Duplicitèr dici posse actionem humanam, seù propriam hominis. Primò quòad substantiam, ut Actus, Intellectus, & Voluntatis. **Secundò** quòad modum ipsum operandi, quō scilicet homo, non solùm physicè, & vitalitèr, sicut Bruta; sed & moralitèr, se movet, agendo cum indifferentia, libertate, & dominio suorum actuum. Istæ igitùr propriè, humanæ actiones appellantur, in quibus homo in modo agendi à

cæ-

cæteris differt animalibus. Quarè hominis actiones, in quadruplici sunt differentia. Quædam nec quòad substãtiam, nec quòad modum sunt propriè humanæ, ut corporales actiones, absquè deliberatione procedentes. Quædã humanæ sunt, quòad substantiam, non quòad modum, ut intellectiones, & volitiones necessariæ. Quædam humanæ quòad modum, non quo ad substantiam, ut actiones corporales, cum deliberatione elicitæ. Quædam humanæ, & quòad substantiam, & quòad modum, ut intellectiones, & volitiones deliberatæ.

3. Cæterùm, quàmvis in re, & materialitèr coincidant, actus humanus, seù liber, & Moralis; omnis quippè actio libera, moralis est, & è contrà; Formalitèr nihilominùs distinguuntur, & aliquid exprimit actus Moralis, quod non dicit actus liber: Etenìm supra libertatem, addit moralitas respectum, & ordinem ad rationem, & legem, tanquàm regulam; cui commensurari debet.

Est igitur libertas fundamentum quidèm, radix, & substratum Moralitatis, nõ tamèn ipsa formalis moralitas: Est enìm genus Moris, genus quoddam regulabilitatis, & mensurabilitatis per legem, ex ratione; sicut genus artificialium, est genus regulabilitatis, & mensurabilitatis per artem. Itaque Mores propriè dicuntur actus hominis liberi, quatenùs eliciuntur cum subjectione, & ordine ad rationẽ, & legem. Quidquid igitur ad hujusmodi actus pertinet, Morale dicitur.

4. Hinc fit, quòd multiplex est moralitas, seù multiplicitèr reperitur. Primò quidèm in ipsa ratione, & lege residet, tanquàm in regula, quæ perindè, regula morùm, dicitur. Deindè in actu, tanquàm in regulato. Similitèr in objecto actus à lege præcepti, vel prohibiti, puta re aliena, quæ est objectum furti; & dicitur Moralitas Objectiva. Itèm in existimatione, & Judicio, secundùm quod moralitèr judicamus, æxistimamus, alitèr etiàm, ac res in sua entitate se habeant; puta

dum plures actus realiter omninò distinctos, moralitèr unum, & eumdem dicimus, cùm ad unum sunt per se omnes ordinati: Ac demùm in rebus ipsis ità moralitèr æstimatis. Sicq; Tactus, Oscula, & Verba præcedentia, moralitèr unus actus æxistimantur cũ subsecuta copula, ipsique moralitèr unus actus dicuntur. Hoc autèm ideò, quia nihil omninò conducit ad actuũ humanorum directionẽ, illa materialis diversitas, quæ proindè moralitèr non attenditur. Idque notandum, ut intelligamus, quid sibi velit, dùm passim auditur in moralibus. Hoc ità se habet in morali ęxistimatione. Hoc physicè verum est, non verò moralitèr, & hujusmodi.

§.II. *De Speciebus Moralitatis*

SUMMARIUM.

1. *Moralitatis duæ sunt potissimùm species.*
2. *Actus quidam ex specie sua boni sunt, quidam mali, quidam indifferentes; quidam verò boni, vel mali, quia lege positiva præcepti, vel prohibiti.*
3. *Duplex est bonitas, vel malitia; primaria scilicet, essentialis ex objecto; & secundaria accidentalis, ex circunstantijs.*
4. *Actus ex specie sua indifferens bonificari, vel vitiari potest per aliquam circũstantiam, sicut paritèr vitiari bonus, vel cohonestari malus, si tantùm sit malus, quia prohibitus.*
5. *Definitur bonitas, & malitia moralis.*

1. DUÆ positissimę sunt Moralitatis species; sicut enìm in artificialibus affabrè factum, & juxta regulas Artis constructum, benè artefactum dicitur; devians autem à regulis malè compositum; Ità in moralibus, actio legi, & rationi conformis, bona dicitur, & à lege discordans, mala moraliter. Addunt aliqui tertiam speciem, licet imperfectam, scilicèt indifferentiam. Omissâ tamèn quæstione parùm utili, an indifferẽtia dici debeat vera species moralitatis, vel potiùs actus indifferens præcisè, quâ

quâ talis, sit penitùs extra genus moris: Certum est, plures dari actus de se indifferentes, qui scilicet secundùm se sumpti, & præcisa quacunque circunstantia, nec boni, nec mali sunt, licet hìc, & nũc eliciti, possint per aliquam circunstantiã bonificari, vel vitiari, v. gr. deambulare, fricare manus, levare festucam, & similes.

2. Sicut autèm aliqui actus secundùm se, ex specie sua indifferentes sunt; ità quidam secundùm se, & ex specie sua boni; quidam verò mali: puta dare eleemosynam, secundùm se bonum est, furari autèm, secundùm se malum: & isti vocari solent boni, quia boni, & mali, quia mali sunt: rursùm alii actus, qui, licet secundùm se boni non sint, quia tamen præcipiuntur, boni sunt, v.g. iter agere potiùs per hanc viam, quàm per aliam, si æquè benè utraque conducat ad terminum, de se bonum est; si tamèn Princeps ex rationabili causa id præcipiat, bonum redditur. Similitèr alii actus, qui de se mali non sunt, adveniente prohibitione, mali fiunt; puta, si Princeps prohibeat per talem viam ambulare: hujusmodi autèm dicuntur boni, quià præcepti, & mali, quià prohibiti.

Quod intelligendum est de lege positiva, non quòad legem æternam, & naturalem; nullus enim actus universìm bonus est, qui saltèm æterna lege præceptus, vel ordinatus nõ sit, nec ullus malus, qui eàdem lege non sit prohibitus. Imò addunt nostri Thomistę, quòd si per impossibile nulla lege, nec etiam æterna, prohibitum esset adulterium, illud formalitèr non esset malum, sed tantùm radicalitèr; eò quià de se prohiberi petit. Cùm enìm, ut diximus, totum genus Morale, sit genus mensurabilitatis, & regulabilitatis per legem, & rationem, ubì nulla esset regula, vel mẽsura præscribens modum actus; quomodò actus ipse posset commensurari, vel discordare à regula, vel mensura?

3. Certùm est autèm, quòd omnis bonitas, vel malitia moralis, à ratione, & lege dependet, tanquàm à regula, cui humanæ actiones

nes cõformari debent. Quia verò lex, & ratio non solùm dictat, disponit, & ordinat de actibus ipsis, quantùm ad substantiam, & secundùm se sumptis, verùm etiã de ipsorum circumstantiis, & accidentibus; Hinc est, quòd duplex quoq; est bonitas, vel malitia moralis, una primaria; & essentialis, quæ convenit actui secundùm se, & ex specie sua, altera secundaria, & accidentalis, quæ actui convenit ratione alicujus adjuncti accidentis, & circunstantiæ. Et quia species actus desumitur ab objecto; ideò prima; & essentialis bonitas,& malitia vocari solet optimè, bonitas, & malitia ex objecto;accidentalis verò ex circunstantiis. Quod & in sequentibus meliùs explicabitur.

4. Ex his colligitur,quòd sicut actus ex specie sua indifferens per aliquam circũstantiam bonificari potest, aut malus reddi: ità quòque actus de se bonus,per aliquã circunstantiam vitiari, & malus cohonestari, & bonificari poterit; præcipuè si tantùm sit malus, quia prohibitus, nam de intrinsecè malis, seù malis, quâ malis, communis est DD. sententia cum S. Thom. 2. 2. *quæstion.* 110. *art.* 1. nullo modo cohonestari posse, aut bonos effici, quare mendacium v. gr. quòd intrinsecè malum est, nunquam licitum, & bonum esse potest: quia verò, carnes edere diebus vetitis, non est malum, nisi quia prohibitum; hinc est, quòd potest per aliquã circunstantiã à malitia purgari, & bonum esse, puta si quis alium cibum non haberet. Quæ omnia meliùs ex dicendis constabunt.

5. Pro nùnc sit satis, colligere definitiones bonitatis, & malitiæ moralis. Bonitas ergò est conformitas ad rectam rationem, &legem: Malitia verò, dissonantia à recta ratione, & lege.

§. III. *Quid requiratur ad hoc ut Actus hic, & nùnc elicitus, bonus sit.*

SUMMARIUM.

1. *Bonum ex integra causa, malum verò ex quocumque defectu consurgit.*

2. *Aliud*

2. *Aliud est actum esse bonũ, vel malum præcisè moraliter, aliud, Theologicè, & in ordine supernaturali.*

3. *Conditiones à Philosopho assignatæ ad benè operandum.*

4. *Duplex est perfectio, integritas, & bonitas actus; alia substantialis, alia intensiva.*

5. *Explicatur prima conditio, quòd operans agat sciens.*

6. *Explicatur secunda conditio, quòd eligat propter ipsum.*

7. *Reliquæ conditiones ad actum undèquaque perfectum, exiguntur.*

8. *Generalis conditio est, quòd ad ultimum finem, saltèm naturalem, ordinetur actio.*

9. *Ad actionis bonitatem sufficit, quòd in re, sit rectæ rationi conformis, quàmvis operans, nequè actu cogitet, neque antecedentèr de honestate, vel ultimo fine cogitaverit.*

10. *Probatur efficaci ratione.*

11. *Ad meritum vitæ ęternæ, actiones de se ordinis supernaturalis, nihil pariter ampliùs requirunt; actiones verò naturalis ordinis, vel actualitèr, vel virtualiter ad finẽ supernaturalem ordinari debent virtute præcedentis intentionis.*

12. *Quænam debeat esse intentio præcedens.*

1. COMMUNE satis est Theologorum proloquium à D. Dionys. acceptum, cap. 4. *de div. nom.* Bonum consurgere ex integra causa, malum autèm ex quocumque defectu. Quarè, ut actus bonus sit, non sufficit, quòd circa bonum versetur, sed requiritur insupèr, quòd debitis circumstantiis eliciatur, puta quòd fiat tempore, & loco debitis, & proùt ratio exigit. Undè Philosophus docet in Ethicis, quòd virtuosus operatur secũdùm quod oportet, & quandò oportet, & secundùm aliàs circumstantias. Necessè est igitur, ut actus bonus sit, quòd circa bonum versetur, & quòd debitis circumstãtiis vestiatur; sic enìm dictat ratio, & lex; ità ut, qualibet circumstantia deficiente, actus vitietur, & malus reddatur. De singulis autèm circunstan-

ſtantiis infra ſuo loco agemus. Aliqua hic generaliter explicanda ſunt.

2. Et in primis notandum, aliud eſſe actum bonum, vel malum, præcisè moraliter; aliud verò, quaſi Theologicè, & in ordine ſupernaturali quòad meritum, vel demeritum eternæ vitæ. Poteſt namque actus moraliter bonus eſſe, non tamen æternæ vitæ meritorius, ut actus aliàs boni eliciti à peccatore. Ad meritum enim æternæ vitæ requiritur inſupèr, quod actus ex gratia, & charitate procedat, ut mox explicabimus.

3. Quoad bonitatem ergo ſimpliciter moralem, explicanda eſt Doctrina Philoſophi 2. *Ethic.* cap. 4. Ubi ait, quód ad benè operandum requiritur, quòd quis agat ſciens, eligat propter ipſum, & ſtabili animo, & firmo operetur: Et rursùm docet, opus virtuoſum debere procedere ex certa ſcientia, promptè, & delectabiliter. Quod totum ſic explicatur ex Magiſt. Medina *part.* 2. *quæſt.* 18. *artic.* 9. & *quæſtion.* 19. *art.* 3. aliiſque gravioribus Thomiſtis.

4. Notandum eſt igitur, duplicē eſſe perfectionem, integritatem, & bonitatem actus; aliam ſubſtantialem, quâ redditur abſolutè bonus, aliam intenſivam, quâ redditur undequaquè perfectus. Ad primam ſufficit, quòd actus, bonum habeat objectum, & debitis veſtiatur circumſtantiis, nec in aliqua deficiat; itaut fiat, quandò, ubi, & ſecundùm quod oportet. Ad ſecundã verò exigitur ampliùs, quòd modus ipſe, qui reperitur in actu ſimpliciter bono, perficiatur, & quodammodò ad excellentiam perducatur. Sicut in artificialibus, opus quod omnes regulas artis imitatur, abſolutè benè artefactum dicitur, ſed non ſtatim inſigne, & excellens opus eſt; ad hoc enim præter ſubſtantiales regulas artis, requiritur exacta quædam explicatio, & exquiſitus modus, quò vulgaria, etſi juxta regulas conſtructa, ſuperexcellat. Hoc ſuppoſito, dici poſſet, cum Medina, Philoſophum, omnes illas conditiones exigere, non ad actum utcunquè bonũ,

ſed

ſed ſolùm ad actum undè quaque perfectum.

5. At meliùs cum eodẽ ſic explicantur ſingulæ conditiones. Quò ad primam ergò, quòd ſciens quis operetur, non poteſt certè intelligi, requiri ad bonam actionem ſcientiam moralem, puta quam nos modò breviter intendimus explicare; nullum ſiquidẽ rudes poſſent agere bonum, cùm aliàs conſtet eſſe plures in ſanctitate perfectos.

Neque item neceſſarius eſt habitus prudentiæ, aliàs peccator, qui prudentiæ habitum non haberet, nullum poſſet opus bonum operari. Adde, quòd cum habitus prudentiæ, acquiſitus, noſtris actibus generetur, actus iſti præcedentes boni nõ eſſent, & bonum habitum generarent. Scio tamen, quoſdam admittere actus generantes habitum, nedum prudentiæ, ſed & cujuſcunque alterius Virtutis, virtuoſos non eſſe, at ipſi viderint, quàm benè hoc aſſeratur.

Nèc etiam requiritur actuale prudentiæ Judicium, quò agens actualiter judicet, hoc eſſe faciendum, quia rationabile, honeſtum, & rectæ rationi cõforme. Tùm quia ſi hoc eſſet neceſſariũ ad actionis bonitatem, plurima, nedum bona, ſed & heroica opera, bonitate fruſtrarẽtur; vix enim ipſi Morales Philoſophi, cùm hoc expreſſo judicio operantur. Tùm etiam quia viri aliàs probi non ità conſueverunt operari, quod ſolitum argumentum eſt Ariſtotelis in Moralibus, teſte ipſo Medina.

Debet ergò ſufficere, quòd virtualitèr inſit hoc prudentiale judicium, ut ſtatim explicabimus uno verbo. Scienter operari, nihil aliud hìc importat, niſi quòd non ignoranter, vel à caſu, quis operetur, ſed cùm rei cognitione ſufficienti ad deliberandum, & eligendũ: Debet enim opus bonum ex electione procedere, non ex paſſione, Ira, Timore, & hujuſmodi; quod intellige de paſſione perturbante taliter rationem, ut non poſſit deliberare; ſi enim locum det deliberationi, adhùc actio poteſt eſſe bona; ſicut benè facit, qui timore mortis ad Deum convertitur.

Dummodò tamèn in ipsa passione, ac deliberatione aliquod inhonestum non includatur: puta si talis converteretur ad Deum, mortis timore, animo adhùc perverso, quòd si periculum evaderet, ad peccata rediret; nèc enim verè converteretur, sed fictè: Debet ergò sincerè opus bonum eligere, quàmvis ad eligendum ex timore, aut alia passione moveatur.

6. Deindè opus bonum debet eligi propter ipsum, hoc est, non proptèr alium finem extraneum, qui honestate careat, puta proptèr lucrum, inanem gloriam, & hujusmodi; sed proptèr honestatem ipsius Virtutis; Non autē est necesse, quòd hæc intentio honestatis expressa sit, & formalis; sed sufficit virtualis, & implicita.

Pro quo notandum, tripliciter aliquid proptèr aliquem finem eligi posse. Primò quidèm habitualitèr, dùm scilicèt eligens, jàm ex habitu, operationes elicit proptèr aliquem finem; Et hoc certè sufficere non potest, actibus enim, & non habitibus meremur, & benè agimus. Secundò actualitèr, dùm actu expresso vult hoc opus proptèr talem finem. Tertiò demùm virtualitèr.

Et hoc duplicitèr adhùc stare potest. Primò in virtute præcedentis actus, quò voluit opus illud ad talem finem, licet hic, & nùnc dùm operatur, de fine non cogitet; puta dùm quis intendit iter agere, quàmvis necessaria præparans, nil de itinere cogitet; omnia tamē proptèr iter agit: aliò modo cū aliquid operamur, quod ex natura sua ad talem finem ordinatum est, nec extraneum finem apponimus, virtualitèr proptèr talem finem operamur. Verè namquè opus illud, finem ipsum virtualitèr continet, quòd, & statim aperto convincemus argumento.

7. Pro nùnc, quò ad ultimam conditionem, quòd firmo, & stabili animo, ac delectabilitèr, & promptè quis operetur, manifestum est, non requiri, nisi ad opus undèquaque perfectum.

8. Alia demùm est generalis conditio bonæ actionis,

nis, quòd scilicet ordinata sit ad ultimum finem, saltē naturalem: quod modò supponimus, nè frustra in longiùs protrahamur, hæc autē conditio salvatur eo ipso quod homo operatur proptèr bonum honestum, quod ex natura sua ordinatur ad finem naturalem.

9. Dicimus itaquè ad actionis bonitatem sufficere, quòd actio in re sit rectè rationi conformis, quàmvis hìc & nùnc operans, nil cogitet de ipsius honestate, aut ultimo fine, nequè antecedentèr per aliquem actum, suas operationes ad honestatem, vel ultimum finem ordinare voluerit; ex hoc enìm ipso quòd actio in se honesta sit, & rationi conformis, nisi ad alium finem extraneum ab operante ordinetur, proptèr ipsam honestatem, & ultimum finem elicitur.

10. Quod totum brevi hac, & efficaci ratione ostēditur. Ad bonitatem actionis, nihil ampliùs requiri posse videtur, quàm quòd sit de bono objecto, quòd debitis circunstantiis eliciatur, & demùm, quòd sit proptèr honestatem, & ultimum finem hominis; sed hoc totū habet actio ex hoc ipso, quòd sit rectæ rationi conformis; ergò ex hoc ipso bona est. Probatur minor. In primis enìm, si rectæ rationi conformis, utiquè de bono, & cū debitis circunstantiis erit; si enìm à qualibet circunstantia deficeret, jàm à ratione ipsa discordaret.

Quòad reliquum etiam probatur. Nam ad bonitatem actionis, ut notabamus, debet sufficere, quòd virtualitèr sit proptèr honestatem, & ultimum finem, exigere namquè actualem intentionem, satìs durum, & incongruum videtur, ut ex dictis constat, & aperto convincitur exemplo; ut enìm Artifex, artificiosè opus construat, necessè non est, quòd sempèr ad regulàs actualitèr attendat; imò ex hoc potiùs impediretur. Atquì ex hoc ipso, quòd actio rectæ rationi sit conformis, virtualitèr ad minùs, est proptèr ultimum finem, & honestatem; habet ergò necessaria omnia, ad bonitatem requisita.

Prob. minor. Eliciens ta-

lem actionem, vel cogitat de fine illi apponendo, vel non sic cogitat, vel ergò extraneum finem apponit, & sic non sumus in casu; vel propter proprium finem actionis agit, & per consequens propter honestatem, ad quam ex natura sua ordinatur. Si verò non cogitat, ut sæpè contingit; ergò virtualitèr saltem, & implicitè propter finem ipsius actionis agit, cùm non possit absque ulla finis intentione operari, supposito, quòd deliberatè operetur, cumq; finis naturalis actionis honestus sit, virtualitèr certè propter honestatem operatur.

Idem est de ultimo fine; Intendens enim aliquid, quod est virtus, & participatio alterius, virtualitèr, & implicitè illud intendit; omne autem particulare honestū, virtus quædā, & participatio est ultimi finis, & cōpletæ perfectionis humanæ, ad quam suaptè natura ordinatur; Cujus evidens est signum, quòd si taliter operantem interroges, quarè hoc agat? Quarè sic, & non aliter? Utiquè respondebit, quia rationabile, & ità debitum est.

Hoc certè mihi probabiliùs omninò videtur, usuiq; humano satis accommodatum; proborumque virorū consuetudine cōfirmatum, quod validum est Philosophi argumentum, ut jam tetigimus.

11. Quò ad meritum verò æternæ vitæ. Dicimus pariter juxtà probabiliorem sententiam, non requiri actualem in Deum ultimum supernaturalem finem ordinationem, sed neque sufficere habitualem, puta, quòd homo sit in gratia, & charitate; sed præter hoc, & cæteras circunstantias ad moralem bonitatem requisitas, aliquid ampliùs requiritur, si actiones aliàs naturalem ordinem non excedant; Si enim sint de se, ordinis supernaturalis, puta Crucem adorare, Eucharistiam sumere, quamvis per actualem intentionem, talia opera in finem supernaturalem quis non ordinaverit, ad illum nihilominus virtualiter saltèm ordinantur, cū suaptè natura, ipsum Deum supernaturalem finem respi-

ſpiciant, ut videtur manifeſtum.

Cæterùm aliæ actiones, quæ de ſe naturalem ordinem non excedunt, cum ſecundùm ſe, finem ſupernaturalem non reſpiciant, neque ad illum ordinabuntur ullo modo, niſi per aliquem actum ordinationem iſtam recipiant. Ad hoc ergò, ut hujuſmodi actiones meritoriæ ſint æternæ vitæ, requiritur,& ſufficit,quòd vel per actualem intentionẽ ad ſupernaturalem finem ordinentur, vel in virtute præcedentis intentionis ad eundem referantur.

12. Quænam autem eſſe debeat hæc intentio præcedens? Probabilis eſt ſententia, imò communis inter D. Thom. Diſcipulos,ut teſtatur Magiſter Serra *par.* 2. *quæſt.* 114. *art.* 4. *dub.* 1. ſufficere, quòd initio vitæ, vel juſtificationis, homo ſe, & omnia ſua, in Deum ultimũ finem per charitatem ordinaverit; dummodò hanc intentionem non retractaverit non ſolùm expreſsè, ſed neque implicitè, aut virtualitèr per mortale peccatum. Neque id mirum videri debet; Omnes enim prædictæ operationes de facto sũt actuales executiones primæ intentionis, & propoſiti. Adde quòd in homine juſto, à Gratia, & Charitate, naturali ſequela profluit, hæc ordinatio in ultimum ſupernaturalem finem;quarè ſemel actualiter elicita intentio iſta, diù quoque in ſua virtute perſeverare cenſenda eſt: Eò vel maximè, quòd quælibet actualis operatio, ut dixi, actualis executio eſt ejuſdem intentionis, ſed quia difficilè fortè videtur, quod illa prima intẽtio tàm diù duret,ſanum, & proficuum ſatis erit conſilium, de die, in diem,prædictam intentionem innovare, ut ſolent probi, ac pii Chriſti Cultores,

§. IV. *Nullum eſſe actum deliberatum in individuo indifferentem, oſtenditur.*

SUMMARIUM.

1. *Id apertè docet S. D. poſt D. Auguſtinum.*
2. *Idem colligitur ex verbis Domini: Matt.* 12.

3. Idem

3. *Idem ratione suadetur.*
4. *Operari propter solam delectationem, est ordinem naturæ pervertere.*
5. *Ipsi Gentiles hanc veritatem perspicuam habuerunt.*
6. *Clara de eodem S.P.Aug. sententia, & Innoc. XI. decis. de actu conjugii.*
7. *Actiones ad naturæ cõmoditatem, & honestam recreationem ordinatæ, nisi pervertantur, de se bonæ sunt.*

1. JAM ex dictis patet plures esse actus, qui secundùm se considerati, nec boni, nec mali sunt, sed indifferentes ad bonum, & malum: Difficultas autèm non modica est inter DD.an dari possint hujusmodi actus in individuo, ut hìc, & nũnc eliciti cùm sua indifferentia, ità ut nec boni sint, nec mali.

Constans autem est D. Thom. sententia pluribus in locis, & præcipuè *prima 2.q.18.art.9.* omnem actum à ratione deliberata procedentẽ necessariò bonum, vel malum esse. Ipsam quòque non semèl docuit S. P. Augustin. præsertìm lib. *de Utilit. credendi* cap. 12. ubi ait: *Omnè factum, si rectè factum non est, peccatum est*. Imò epist. 19. ad Hier. Cavendũ insuper admonet à contraria opinione. *Cavendum*, inquit, *nè quædam facta hominum, media dicamus inter rectè factum, & peccatum.*

2. Colligitur etiàm hæc sententia ex verbis Domini, dùm ait Matt.12. *Dico vobis, quoniàm omne verbum otiosũ, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Judicii*. Ex quibus communiter SS. Patres colligunt, otiosum verbum, & multò magìs opus, peccatum esse; Undè Hier.in Ps.16. *De verbo otioso redditur ratio, quantò magìs de operibus, si de verbo?*

Atqui omnis actus quantumcumquè secundùm speciem indifferens in individuo elicitus, nisi per aliquã circunstantiam bonificetur, ad minimùm est otiosus; ergò malus.

Probatur minor. Eliciens in individuo actum de se indifferentem, vel ipsum ordinat ad aliquem honestum finem, vel non: Si primùm, jàm actus bonificatur ex circun-

cunſtantia boni finis; Si ſecũdùm adminùs eſt otioſus ergò &c. Probatur ſecunda pars minoris ex D. Gregor. homilia 6. in Evang. & 7. Moralium, cap. 25. Otioſum eſt, quod caret pia utilitate, aut juſta neceſſitate: quod & Hier. docet ad citatum locum Matt. Inquiens. *Otioſum verbum eſt, quod ſine utilitate, & loquentis dicitur, & audientis*: manifeſtum eſt autèm, quòd opus de ſe indifferens, nequè neceſſariũ eſt, aliàs bonum eſſet, imò præceptum, nequè utile, niſi ad aliquem finem ordinatum, ergò ſic elicitum, otioſum erit, & per conſequens malum.

3. Demùm ratione quòque ſuadetur. Quilibet actus deliberatus propter aliquẽ finem elici debet, intentio namquè finis movet ad deliberandum, cùm autèm de ratione finis ſit bonitas, nemo enim intendens ad malum operatur, ut eſt commune axioma ex Dion. Vel ergò finis iſte honeſtus eſt, vel delectabilis tantùm; non enim alia bonitas eſt per ſe, & per modum finis appetibilis; utilis namquè, ut ſic præcisè, non eſt finis, ſed mediorum; utile ſiquidèm, ut tale, appetitur propter aliud, ad quod eſt utile, de ratione autèm finis eſt, appeti propter ſe. Igitur ſi finis, proptèr quæm elicitur actio, ſit honeſtus, procùl dubio actio ipſa honeſta, & bona erit. Si verò tantùm ſit delectabilis, ex hoc ipſo mala: ergò nunquàm actio deliberata poterit eſſe indifferens.

4. Probatur minor, quò ad ultimam partem, in qua eſt difficultas. Inprimis, operari proptèr ſolam delectationem, eſt ordinem naturæ pervertere, cum ex natura ſua delectatio ſit propter operationem, non operatio proptèr delectationẽ, quæ conſultiſſimè à natura ipſa, & divina providentia, operationi addita eſt, tanquàm illius condimentum, & illecebra, qua Bruta, quæ honeſtatem apprehendere non poſſunt, ad operationes traherentur, & homines ipſi excitarentur ad promptiùs operationes exercendas, maximè quæ ad conſervationẽ ſpeciei, vel individui ſpectant. Undè Philoſophus ait

ait in Ethicis. Delectabile se habere ad honestum, sicut decor, & pulchritudo ad juventutem.

Deindè unumquodque est propter suam operationem, ut est commune proloquium; Nihil enìm otiosum creavit Deus; operatio autèm propter finem, ergò sicut excellentiori naturæ, excellentior debetur operatio; ità excellentiori operationi, excellentior finis. Atqui rationalis operatio, qualis est omnis actio humana, & moralis, excellentior est valdè, operatione quacumque sensibili; ergò ex natura sua excellentior illi finis debetur, nempè honestus, qui proprius est ipsius rationis, ac per conseq. &c.

Deniquè propria operatio cujuscunque rei, ut ab aliis condistinctæ; necessariò ad finem proprium talis rei ordinari debet; aliàs cùm omnis operatio, ut diximus, sit proptèr finem, inutilitèr à natura, propria, & specialis operatio tribueretur, si proprium, & specialem finem non intenderet; præcipuè si operatio ipsa talitèr, quoad substantiam, propria sit rei, ut alteri non conveniat: sed operari ex deliberatione, ità proprium est rationalis, vel intellectualis creaturæ, ut soli illi conveniat: ergò proprius omninò finis, illi respondere debet naturalitèr, qui alius esse non potest, quàm honestus: ergò deliberatè operari absquè honesto fine, omninò est operari contra exigentiam, & debitum naturæ.

5. Hìnc ipsi Gentiles Philosophi, veritatem hanc perspicuam satìs habuerunt, ut enìm cæteros omittam; Tull. *de Offic.* & Tuscul. 9. Gonet.man. tract.*de act. human.* cap.13. ajebat *Corporis voluptatem non satis esse dignam hominis præstantia, & pertinere ad omnẽ officii quæstionem, semper in promptu habere, quantùm natura hominis pecudibus, reliquisque bestiis, nihil, nisi voluptatem, sentientibus antecellat.* Undè in eisdem libris docet; Contenson. tom. 3. differ.4. cap.1. spec.3. *Occultare appetitum voluptatis, etiam cum sumus erectiores ad virtutem*; quia scilicet pudet ingenuũ Virum voluptatis intentæ, etiam dum virtuti studet.

Ob-

Obsecro, igitur dicamus cum August. ad Julianum, Gonet ubi sup. *non sit honestior philosophia gentium, quàm nostra Christiana ?*

6. Clariùs autem eundem Patrem audiamus libr. *de nup. & concup.* cap. 4. *Malè utitur, qui bestialitèr utitur, ut si t ejus intentio in voluptate*. Et *de peccat. orig* Contra Pelag. & Celestium libr. 1. cap. 4. *Tantæ excellentiæ est in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis, natura sit pecoris* ; Hinc juxtà ipsius, aliorumq; Patrũ doctrinam Innoc. XI. de Sac. cong. Consilio, sequentem inter cæteras damnavit sententiam. *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitùs caret culpa, & peccato veniali*. Quibus nedùm Philosophi, sed & ipsa concinit aliàs liberior Poësis hisce versibus.

Vina sitim sedant, natis venus alma creandis.
Servit: Finem horum transiliisse, nocet.

7. Hic tamen præ oculis habẽda est doctrina præcedentis §. quòd scilicèt ad actionis bonitatem sufficit, quòd virtualitèr sit propter honestum finem. Quarè actiones omnes ad naturæ commoditatem, levamen, & moderatam recreationem ordinatæ, malæ non erunt, sed bonæ, licet quis ad illas expresè tantùm delectatione trahi se sentiat; ex hoc enim ipso quòd modũ servat in illis, propter honestatem virtualiter agit; ad hanc enim ex natura sua tendunt, nec ab ista ordinatione, illecebra delectationis, illas extrahit; nisi fortè adeò quis delectationi succumbat, ut prudenter existimetur, illã solam intendere. Cæterùm delectatione trahi, & jucunda operatione delectari, servato debito actionis modo, malum non est, sed bonum, & honestum; est enim, uti delectatione, secũdùm quod natura exigit à quà operationibus delectatio addita est, ut delectabiliter operemur, & delectatione ad operandum alliciamur.

CAPUT II.

De Voluntario, & Involuntario.

§. I. *Variæ Voluntarii divisiones assignantur.*

SUMMARIUM.

1. *Artifex Divina Sapientia duplicem homini addidit appetitum, sensitivum scilicèt, & rationalem.*
2. *Commune est omni appetitui, ut nihil appetat, nisi præcognitum.*
3. *Voluntarii definitio explicatur.*
4. *Voluntarium aliud perfectum, aliud imperfectum.*
5. *Voluntarium aliud liberum, aliud necessarium; triplexque ratio liberi explicatur.*
6. *Definitio liberi libertate indifferentiæ exponitur.*
7. *Duplex necessitas, duplexque illi opposita libertas.*
8. *Totius libertatis radix est ratio, seù Intellectus.*
9. *Objectum propositum cum omnimoda ratione boni necessariò appetitur.*
10. *Objectum solùm objectivè movet, undè solùm necessitat, quòad specificationem; aliquandò tamen potest Voluntas necessitari, quòad exercitium.*
11. *Contingere id potest, etiam in præsenti vita; & hujusmodi actus vocătur primò primi.*
12. *Explicatur actus secundò primus, & absolutè secundus.*
13. *Omnis peccans quomodò sit ignorans?*
14. *Plena, & perfecta advertentia ad actum absolutè secundum, quænam sit?*
15. *Voluntarium aliud elicitum, aliud imperatum.*
16. *Voluntarium aliud in se, aliud in causa.*
17. *Voluntarium aliud directè, & indirectè.*

1. SUMMA rerum omnium Artifex Divina Sapientia, quæ attingit à fine usque ad finem fortitèr, & disponit omnia suavitèr, ut omnia regimine moderetur suavi æquè, ac mirabili; quibus ad proprios fines con-

congruasq; operationes tendant, peculiares omnibus indidit inclinationes, animātibus verò præ cæteris, quē admodùm altiorem quendā tribuit essendi modum, ità & inclinationis, quò non solùm naturalitèr ferantur, sed & in apprehensa vitalitèr moveantur, quæ quidem inclinatio, vis appetitiva, seù appetitus magis propriè nominatur. Homini demùm, cui præter communem sensitivam, specialitèr inspiravit rationalis vitæ spiraculum; duplicem quoque addidit appetitum, sensitivum nempè, ac rationalem, seù intellectivum, qui propriè Voluntas dicitur.

2. Commune autem est omni hujusmodi appetitivæ potentiæ, ut nihil possit appetere, quod ipsi à cognoscitiva non proponatur; appetitui quidem sensitivo à sensibus, rationali verò, seù voluntati ab Intellectu; undè proloquium. Nihil volitum, quin præcognitum. Cumque sit varius in Intellectu cognitionis modus, varia est quoque in Voluntate attingentia, seù tendentia in objectum. Pro quò.

3. Notandum, quòd Voluntariū definiri solet optimè. Cujus principium est in Agente cum cognitione finis. Ubi distinguitur in primis voluntarium à violento, cujus principium est extra, ut patet in lapide, cum sursùm projicitur. Per id autem, quod additur cum cognitione finis, excluditur à ratione voluntarii omnis motus insensibilium, imò & omnis motus, & actus animalium, qui absque cognitione contingit, in hoc siquidem stat ratio voluntarii, quòd agens non solùm propria, & intrinseca virtute se moveat, sed insuper, quòd propria, & intrinseca virtute moveat se propter finem. Licèt autem lapis v. gr. propria virtute moveat se deorsum, & insuper propter finem, puta centrum; non tamen propria virtute habet, quòd propter finem se moveat, sed per communicationem superioris virtutis, puta intelligentiæ: cū enim agere, seù movêre propter finē, importet collationem quandam ejus, quod est ad finem, cum ipso fine; intelligi nequit quòd ali-

aliquid propria virtute propter finem agat, nisi finem cognoscat, ut benè advertit Cajetanus *prima 2. quæst. 6. art. 1.*

4. Quià verò duplex est cognitio finis, perfecta scilicèt, & imperfecta; hinc duplex quoque voluntariū est: perfectum, quod est cum perfecta cognitione finis, & imperfectum, quod est cum imperfecta finis cognitione. Porrò ad perfectam cognitionē finis requiritur, quòd cognoscatur non solùm res, quæ est finis, verùm etiam ratio finis; hoc est proportio inter ipsum finem, & id, quòd est ad finem; Ad imperfectā verò sufficit, quod simplicitèr apprehendatur id, quod est finis, v. gr. Videt equus herbam, & ad ipsam currit; Cursus iste voluntarius est equo, fit enim ab illo propter herbam, quā cognoscit. Dicitur tamē voluntarius imperfectè, quià licèt propter assecutionem herbæ currat, non tamen cognoscit proportionem inter cursum, & herbam; puta quòd ad herbæ assecutionē requiritur appropiatio, quæ per cursum completur, quā cognitione stante, perfectè finem cognosceret, ac perfectè voluntariè moveretur.

5. Rursùm duplex est Voluntarium. Aliud liberum, aliud necessarium. Ubi notandum, quòd liberum tripliciter dici potest. Primò quidem liberum à servitute, sicut homo liber, qui servituti alterius non est adstrictus. Secundò dicitur liberum à coactione, prout scilicèt agit, vel movetur, nō coactè, & per vim, quòd esset violentum, sicut dùm lapis projicitur sursùm, sed propria spontè, seù inclinatione, sicut lapis deorsum descendit, quòd spontaneū potiùs, quàm liberum, dici debet: Tertiò demùm propriè, & rigorosè liberum dicitur potens ad plura, & diversa per sui determinationem, quæ libertas dicitur indifferentiæ, de quà intelligi debet voluntarium liberum.

6. Quod proindè communitèr sic definitur, liberum est, & quòd procedit à voluntate, & potentia non determinata ad unum, sed potente ad diversa ferri; Necessarium verò, quod procedit

cedit à voluntate, seù potentia ad unum determinata; Ista ergo libertas indifferentiæ requiritur ad actum humanum, & Moralem, ac indè meriti, vel demeriti capacem, nec sufficit sola libertas à coactione, ut quidam falsò putaverunt; quorum tamen opinio hæretica est, ut ait D.Thom. *quæst.6. de malo art.* unico; utque talis ab Innoc. X. damnata.

7. Cùm autem sit duplex necessitas; altera quò ad exercitium, cùm scilicèt volũtas ità determinata est ad actum, ut non possit ab operatione desistere; altera quòad specificationem, cùm scilicet voluntas determinata quidem est ad speciem actus, itaut supposito, quòd actum eliciat, hunc specie actum elicere debeat, & nõ possit oppositum: nihilominùs possit, non elicere, seù ab operatione desistere. Hinc duplex est quoque libertas necessitati opposita. Prima dicitur libertas contradictionis, quâ voluntas potest velle, & non velle, seù ab actu desistere. Secunda verò contrarietatis, quâ voluntas, potest velle, & nolle, seù respuere objectum; vel potest hoc velle, & oppositum.

8. Porrò totius libertatis radix est ratio, seù Intellectus, ut cum D. Thom. docet Cajet.*prima part. q.*83. *art.* 1. & infra, & Ferrariensis 3. *contrà gen.* cap. 73. Pro quò notandum, quod voluntatis objectum adæquatum, est bonum, undè ità omninò ad bonum determinata est, ex natura sua, ut nihil penitùs velle possit, nisi bonum, vel certè sub ratione boni, bonumque ipsũ, ut bonum nullo modo possit respuere. Cùm autem, ut dictum est, voluntarium, cognitionem supponat, bonum ipsum velle non potest voluntas, nisi ab Intellectu ei proponatur. Ea igitur sola possunt liberè appeti, quæ appetẽda proponũtur à cognoscitiva potentia indifferente ad judicandum respectu utriusque partis, ac perindè in tantùm voluntas potest hoc velle, & nolle, seù velle oppositum; quià judicare potest Intellectus id esse bonum, vel malum. Et in tantùm potest voluntas; velle hoc, & non velle,

quia

quià poteſt Intellectus judicare, bonum eſſe hoc appetere, vel non. Quarè liberum arbitrium dici ſolet facultas voluntatis, & rationis.

9. Itaque objectum in quò, ut ab Intellectu proponitur, nulla apparet ratio mali, ſed omnimoda ratio boni, quale eſt Beatitudo pſa, quę neceſſariò appetitur à Volũtate; nemo ſiquidem; poteſt nolle eſſe Beatum, ſeù velle eſſe miſerum, ut benè, ait S. Doct. primo *con. gen.* cap. 80. & alibi; Quià nihilominùs, & ſi nulla in objecto ratio mali appareat, poteſt aliqua in actu apparere, v. gr. tædium, vel quia hic, & nunc aliud occurrit objectum, quod jucundius judicatur; Hinc eſt, quòd licèt hujuſmodi objectũ non poſſit voluntas reſpuere, poteſt tamen ab actu circa illud deſiſtere, & ſic illud neceſſariò appetet, neceſſitate quòad ſpecificationem, non verò quò ad exercitium.

10. Cæterùm, quamvis objectum ex vi, & formalitate objecti, non niſi quòad ſpecificationem volũtatem neceſſitet; Objectum enim non movet niſi objectivè, motio autem objectiva reſpicit ſpeciem actus, qui ab objecto ipſo ſpecificatur; exercitium verò depẽdet ab Agente, & Cauſa effectiva, ut benè cum Cajetano docet Magiſt. Serra *prima 2. quæſt.* 10. *art.* 2. Cum hoc tamen ſtat, quòd aliquandò Voluntas neceſſariò, etiam quòad exercitium aliquid velit; non quidem ex vi objecti, ſed ex propria voluntatis natura, quæ, ut ait Gonet in Man. tract. *de Beat.* cap. 4. §. 1. ad 2. quià libera, & naturalis eſt, aliquandò, ut libera, aliquandò, ut naturalis operatur. Primùm ei convenit circa objectum cũ indifferentia propoſitum, ſecundùm verò circa objectũ propoſitum abſque indifferentia. Idque inſinuare videtur S. Doct. *prima 2. q. 5. art.* 4. Igitur in caſu, quò non ſolùm in objecto, ſed in actu ipſo, nulla mali ratio appareat, ſed undequaque ratio boni effulgeat, tunc Voluntas neceſſariò, etiam quòad exercitium appetet; ſicut contingit in Beatis, qui neceſſariò diligunt Deum,

nec

nec possunt ab ejus amore desistere. Ut fusè probatur in tractatu de Beatitudine.

11. Indè colligitur quòd cùm in statu præsentis vitæ Intellectus in cognitione à sensibus dependeat, in quibus pariter est vis appetitiva, concupiscibilis nempè, & irascibilis; secundùm quod homo est in aliqua hujusmodi passione, præcipuè vehementi, apprehendit Intellectus ipse, ut simplicitèr conveniens, vel disconveniens objectum, per sensus jam apprehensum, proponitque appetendum, vel fugiendum voluntati; nec potest subitò Intellectus consulere, & advertere ad qualitates objecti; ad quod perindè Voluntas necessariò fertur, nedùm quòad specificationem, verùm etiam quòad exercitium, propter hoc, quòd ex impetu passionis absque ulla ratione mali, vel disconvenientis, ab Intellectu proponitur.

Hujusmodi autem actus dicũtur primò primi, nec in ipsis potest esse peccatum, sicut nec meritum, aut demeritum, quià liberi non sunt, sed omninò necessarii, etiam quòad exercitium, ut advertit Gonet in clyp. disp. prima *de vltimo fine artic.* 2. §. 4. versu quæres.

12. Quia verò Intellectus, etsi dependens à sensibus, ipsis tamen est vis superior, in objecto per sensus, ut bonum, & conveniens, apprehenso, potest aliquam disconvenientis, & mali rationem advertere; ac si post talem advertentiam nihilominùs Voluntas in Objectũ feratur, peccabit, & mortaliter quidẽ, si plena sit & perfecta advertentia, & materia sit aliàs gravis, & mortalis; venialitèr verò in materia levi, aut etiam gravi, si non plena, sed imperfecta sit advertentia.

Ubi nota, quòd in hujusmodi motibus post primum passionis impulsum, & actũ voluntatis, quem primò primum diximus, potest quidem Intellectus aliquã disconvenientis, & mali rationem advertere, sed vi concitatæ passionis adhuc trahi voluntas antè quam plenè malitiam Intellectus advertat, ac perfectè judicare possit; & hi motus vocantur secundò primi, qui excusant

qui-

quidem à mortali; sed non à veniali peccato. Si verò post plenam malitiæ advertentiam, adhuc Voluntas feratur in objectum, dicitur motus absolutè secundus, & peccatum erit mortale, si materia sit aliàs gravis.

13. Esto autem cautus in hoc, ne decipiaris cum dicimus plenam, & perfectam advertentiam; etenim in re nunquã est in peccante plena, & perfecta advertentia, juxtà quod solet dici, quòd omnis peccãs est ignorans; nunquam enim certè peccant, si plenè malitiam ipsius peccati perciperet, cũ enim voluntas ferri nõ possit, nisi in bonum, quomodo malum appeteret, quale omninò peccatum est nisi boni rationem in ipso Intellectus apprehenderet? Intantùm ergò Voluntas fertur in malum objectum, in quantùm Intellectus, licet ejus malitiam advertat, indicat nihilominùs, & voluntati proponit, bonum esse, illud hic, & nunc appetere ad satisfaciendũ sensui, aut quid tale.

14. Plena igitur, & perfecta intelligi debet advertentia, quæ ad rectè judicandum, & deliberandum sufficiens est: talis videlicèt, ut non passio rationem, ut contingit in motibus etiam secundò primis, sed ratio passionem ipsam vincere, & superare commodè queat. Ex quò fit, quod non omnis actio, durante adhuc passione vehementi, elicita excusetur à mortali, sed illa solùm, quæ cum advertentia, quasi transeunte momentanea, & per passionem absorpta elicitur, ut in motibus secundò primis. Quando verò locus datur ad consulendum, etsi non adeo sit plena cognitio, & advertentia, sicut in existentibus extrà passionem; sufficiens tamen est ad rectè judicandũ, & deliberandum, cùm aliàs ratio dominium habeat suprà sensus; quarè si passioni cedat, voluntariè succumbet. Considera quempiam ex gravi concitatum injuria, vel aspectu pulchræ Mulieris illectum, & hæc omnia planè percipies.

15. Aliæ demùm sunt voluntarii divisiones, quæ infra juxtà exigentiam suis locis meliùs explicabuntur.

Pri-

Prima est in voluntarium elicitum, & imperatum, cũ enim dicatur voluntarium, præcipuè perfectum, quod à voluntate dimanat, & dependet; hoc dupliciter stare potest. Vel enim elicitur ab ipsa voluntate, ut sunt omnes actus ejus, vel ab ipsa imperatur, ut actus omniũ aliarum potentiarum, quæ à Voluntate moventur; imò aliqui etiam ipsius voluntatis actus imperari possunt, ut constabit, cum rationem imperii explicabimus.

16. Insuper voluntarium, aliud est voluntarium in se, seù secundum se, ut loquitur S. Doct. quando scilicet Voluntas directè fertur in ipsum objectum volitum; & aliud est voluntariũ in causa, seù secundum suam causam, quando Voluntas non fertur, quidem expresse, & directè in ipsum objectum; sed in causam illius, ut cum quis voluntariè inebriatur, ex hoc imputatur illi, quasi voluntarium, quidquid inebrietate committit.

17. Alia pariter est huic similis divisio in voluntariũ directè, & voluntarium indirectè. Primum est cum Voluntas directè fertur in objectum. Secundum verò cum Voluntas non vult, non agit, seù non impedit, quãdo potest, & debet; & nota benè, quòd non sufficit ad hoc voluntarium, quòd quis possit, sed requiritur insuper, quod debeat.

Utraque autem hæc divisio, quæ meliùs infra patebit, hac una comprehendi potest, scilicet voluntarium explicitè, & implicitè, seù interpretativè.

§. II. *Explicatur præcipuè ratio voluntarii in Causa, & indirectè.*

SUMMARIUM.

1. *Quamvis omne Voluntarium in causa, dici possit voluntarium indirectè, nõ tamen è contrà.*
2. *Ad Voluntarium in causa requiritur, quòd sit Causa per se, & non per accidens.*
3. *Mulieri modestè se ornanti, non est voluntaria concupiscentia Juvenis.*
4. *Procurans consensum à Muliere ad fornicandum, vult ex consequenti ejus peccatum, secus accedens ad jam paratam.*

5. *Effectus naturalitèr sequens, si nullatenùs impediri potest, voluntarius non est, benè verò si potest, & non impeditur.*

6. *Idem dicendum, si causa non sit naturalis, sed ab extrinsecò illata.*

7. *Si causa voluntaria fuerit, etiàm effectus, non autèm si quem pœniteat, & causa removeri nequeat.*

8. *Effectus præcisus, & non intentus, imputatur, & multò magis intentus, etiã danti operam rei licitæ.*

9. *Effectus non præcisus per se sequens, imputatur, non verò sequens per accidens, debita diligentia adhibita.*

10. *Probabilius est, danti operam rei illicitæ, etiam periculosæ, non imputari effectum per accidens post debitam diligentiam.*

11. *Id colligitur ex D. Th.*

12. *Ratione idem suadetur.*

13. *Limita, si adeò periculosa sit actio, ut vix per diligentiam vitari possit periculum.*

14. *Non imputatur effectus per accidens secutus ex actionibus, quæ adeò periculosa non sunt, quamvis prohibitæ ratione periculi, facta debita diligentia.*

15. *Hæc intelligè, quòad culpam, & in foro conscientiæ, non in foro exteriori, & quòad irregularitatem.*

16. *Similitèr, quòad restitutionis obligationem, alia consideranda sunt.*

1. QUamvis divisio voluntarii in voluntarium in se, & in causa, conveniat quodammodo cũ alia in voluntarium directè, & indirectè; non sunt idem omninò. Licet enìm voluntarium in se, sit etiam directè voluntarium, ut patet, & voluntarium in causa dici possit voluntarium indirectè, quià verè non fertur Voluntas directè, in talitèr volitum, sed in causam directè, indirectè autem, & ratione causæ in effectum; nihilominùs aliundè sumitur utriusque ratio. In prima namque divisione non attẽditur, quòd objectum directè, vel indirectè sit volitum, sed tantùm, quòd sit volitum in se, vel in alio, scilicèt in causa. E contrà divisio alia respicit solum rationem directi, vel indirecti; undè, & pro volito indirectè non

non accipitur absolutè, & simplicitèr voluntarium in causa, sed solùm, quòd sequitur, Voluntate non impediente, quandò potest,& debet, quòd perindè censetur indirectè velle.

Quidquid autem sit, præ oculis habendum est, quòd hujusmodi, ut sint verè indirectè voluntaria, non sufficit, quòd quis possit, sed requiritur insuper, quòd teneatur impedire; Undè si petenti à me, v. gr. decem, vel centum aureos, cui nihil debeo, denegem; quamvis ille protestetur, se aliàs furaturum, & verè furetur, non indè mihi furtum dicitur voluntarium; quia non teneor,ad impediendum tale furtum dare meam pecuniam cui non debeo.

2. Pro voluntario in causa notādum; requiri ad hoc, quòd illud,quod est expressè volitum, sit verè causa alteriùs, & hoc ex illo sequatur; ità ut qui vult causam, ex consequenti censeatur velle quidquid ex ea sequitur. Imò requiritur insuper, quòd ex causa per se, sequatur, & non omninò per accidens. Sed adverte cùm Magist. Serra *prima 2. quæst.73. art.8. dub. 2. con.2.* ut aliquid per se dicatur sequi, sufficere, quòd ex se natum sit sequi, licèt quandoque possit contingere, quòd non sequatur. Et insuper cùm Cajetano eodem articulo, sufficere, effectum per se, sequi sufficienter quantùm est ex parte agentis, licèt non efficaciter.

3. Ex quibus collige, quòd Mulieri modestè ornanti se, nullo modò est voluntaria concupiscentia mala indè sequens in Juvene, licèt aliàs ipsa Mulier sciverit, se fore concupiscendam. Et hoc ideò, quià talis conconcupiscentia non propriè sequitur ex ornatu modesto, sed ex malitia ipsius Juvenis; sequeretur benè ex ornatu lascivo, & ferè meretricio, & ad concupiscentiā excitandam accomodato; sicque Mulieri taliter se ornanti,verè voluntaria esset, licèt contingere possit,quod neque ex tali ornatu, mala cōcupiscentia sequatur,quià de se nata est sequi:

4. Collige insuper, quòd procurans à Muliere consensum ad fornicandum, licèt

non sit causa efficax talis consensus, nemo siquidem efficax potest esse causa voluntatis alteriùs; illi nihilominùs, ut voluntarium, imputatur peccatum, & consensus Mulieris, quià fuit ejus Causa sufficiens, quantùm est ex parte sui. Aliter dicendum, si quis accederet ad Mulierem, jam paratam ad fornicandum, tunc enìm ille non diceretur propriè,& moraliter causa fornicationis Mulieris, quamvis ad illam etiam ipse materialiter concurreret; sed vera causa, mala esset ipsius Mulieris volūtas. Undè,& probabilior, meo videri, est sententia, quàm docet idem Serra; quòd tunc neque necessariū esset in confessione, quòd fornicator Mulierem induxerit, exprimere, quià nec verè inducere dicitur, si jam ad hoc paratam invenit.

5. Hic demùm utilis valdè ad multorū casuum resolutionem doctrina est addenda ex A.P. *prima 2.q.73. art. 8. & alibi*; ex quâ probè intelligemus, quandò nam effectus secuti, tanquā voluntarii imputentur, vel non; In primis ergò causa ex quâ sequitur effectus, aut naturalis est, aut voluntaria. Si naturalis est, vel impediri potest effectus, vel non. Si nullatenùs impediri potest, nullatenùs quoque voluntarius erit, undè si quis, v. g. ex ægritudine incideret in amentiam, quæ totaliter ipsum usu rationis privaret, quidquid ageret in tali statu, nec ad meritum, nec ad culpam imputaretur illi, quià voluntarium non esset, ad minùs certè liberū, quòd omninò ad meritum, vel demeritum necessarium est.

Si verò aliquo modò posset impediri, tunc voluntarium esset adminus indirectè, si non impediretur, & ad culpam imputari posset, puta si amentia non totali privet usu rationis, licèt minueretur culpa, quià & ipsa ratio liberi diminuta esset. Imò si tantùm luminis permittat, ut patiens perfectè deliberare possit, à mortali quoque non excusaretur. Et intellige de perfecta deliberatione superiùs explicata.

6. Idem omninò dicendum, si causa non sit naturalis, sed ab extrinseco illata, puta Dæmonis operatione,

ne, ut contingit in arreptitiis; Idem dic de causa fortuita, ut si quis casu inebriatur, nesciens vini potentiam, vel ex alia simili, & inculpabili inadvertentia.

7. Si verò causa voluntaria sit, ut cùm quis voluntariè inebriatur; effectus quoque in causa voluntarii erunt, & imputabuntur. Ubi tamen adverte, ex Cajetano *prima 2. quæst.77. artic. 7.*, quòd licèt ab initio fuerit causa voluntaria, si postmodum pœniteat, & causa removeri nequeat, effectus indè secuti nō imputabuntur. Undè si quis cōsultò cibos ad Venerem excitandam comederit, & postea conteratur, etiam si pollutio indè sequatur, non imputabitur illi, quià causa jā voluntaria non est, ac per consequens, nec effectus.

8. Nota demùm ex S. Doct. loc. cit. quòd hujusmodi effectus multiplicitèr cōsiderari possunt. Aut enim sunt prævisi, & intenti, ut dùm quis per alteriùs Agrū transit animo nocendi seminatis, & sic procul dubio voluntarii sunt, & imputantur. Aut sunt quidem prævisi; non autem intenti, puta si talis trāsiens nollet quidem, seminatis nocere; & nihilominùs vult per agrum transire, ut commodiùs, vel cōpendiosiùs vadat; & sic pariter imputantur, quià simplicitèr, & absolutè voluntarii sunt, licèt secundùm quid involuntarii, eò prorsùs modò, quò de factis per metum ex eodem S. Doct. infra dicemus; quāvis enim nollet hujusmodi effectus, ipsos tamen absolutè vult, ut causam habeat; sicut agens per metū nollet, quòd agit, attamen absolutè vult illud, ut vitet malum, quòd timet; undè vocat illud S. Doct. voluntarium in casu.

Et hoc verùm est, etiam si quis det operam rei licitæ, ut notat Mag. Serra loco citato: imò tunc effectus sequens dat primam malitiā actui, ut ex dicendis clariùs constabit: & quando propriè sequitur effectus ex causa, ut dictum est.

9. Si verò effectus nullo modo sit prævisus, & per consequens nec intentus, aut per se sequitur ex actu, & sic pariter imputatur, quià est volitus mediatè saltem, & in-

interpretativè, & propriè in causa, licèt non expressè: qui enim vult causam, consequenter vult omne, quòd ex causa sequitur.

Si verò tantùm per accidens, effectus non prævisus ad actum sequatur, congrua adhibita diligentia, non erit voluntarius, nec imputabitur. Si autem diligentia omittatur, imputabitur, quādo tamen debuit, & potuit, erit enim voluntarius indirectè. Quædam nempè sunt, etsi licita in se; in quibus tamen advertere tenemur pericula, & alios effectus, qui sequi possunt, ut patet in venatione. Undè quamvis inebriari, v. gr. causa sanitatis licitum sit, quando aliud non suppetit remedium, ut ait Sylv. verb. ebrietas; taliter tamē se inebrians, imò & alii ad id concurrentes, ut domestici; tenentur præcavêre, ne ex tali inebriatione aliquid mali sequatur, aliàs imputabitur.

10. Addunt aliqui, ut Conradus apud Serram loco citato, quòd si quis det operam rei illicitæ, adhuc omni adhibita diligētia, imputabitur illi effectus, etiam per accidens indè sequens. At sapientissimus Mag. Soto de Just. lib. 5. *quæst.* 1. *artic.* 9. & alii putant, hoc tātùm habere locum in his, quæ periculosè aguntur, & propter periculum prohibita sunt, quamvis enim Soto absolutè asserat *con.* 3. Si quis dat operam rei illicitæ, non est à reatu homicidii immunis; infrà tamen eandem conclusionem explicat, cùm dicta limitatione. Quidquid autem sit, satis probabilis, imò apud me probabilior est omninò sententia Mag. Serra, quòd si quis dans operam rei illicitæ, etiam periculosè diligentiā adhibeat sufficientem, nullatenus ei effectus per accidens indè secutus imputetur.

11. Et colligitur manifestè ex D. Tho. *citata quæstione* 73. *art.* 8. ubi sic habet. *Si per accidens se habeat ad peccatum* (nocumentum scilicèt, de quò ibi est Sermo) *non aggravat peccatum directè, sed propter negligentiam considerandi nocumenta, quæ consequi possent, imputantur homini ad pœnam mala, quæ eveniunt præter ejus intentionem*

nem si dabat operam rei illicitæ. En igitur ex mente S. Doct. danti operam rei illicitæ non imputantur actus, indè secuti per accidens, nisi ratione negligentiæ: illi ergò, qui sufficientem adhibet diligentiam, non imputabuntur.

12. Et ratio id suadere videtur; Nam hujusmodi effectus, quomodò voluntarii sint non apparet. Non enim sunt voluntarii directè, & in se, ut supponimus, & clarè patet; Neque voluntarii propriè in causa; quippè illud voluntarium in causa dicitur, quòd per se ex causa sequitur, non quod merè per accidens; nam voluntarium in causa dicitur, quasi voluntate implicata, & involuta in ipsius causæ voluntate; ut qui causam vult, ex consequenti velle censeatur omne id, quòd ex causa sequitur, hoc autem locum non habet, nisi in his, quæ per se sequntur; aliàs etiam danti operam rei licitæ, cùm non minùs causam velit, imputarentur hujusmodi effectus, quòd non admittitur.

Neque ullo modò indirectè dici possunt hi effectus voluntarii. Si enim aliqua hujus esset ratio, maximè quià dans operam rei illicitæ, ab illa tenetur abstinere. Hoc autē nihil omnino videtur convincere. Nàm licèt absolutè quis teneatur omne peccatum vitare, non indè sequitur, quòd si aliquod peccatum non vitet, imputentur peccanti, tanquam voluntarii, omnes effectus inde secuti.

Quod enim actio licita sit, aut illicita, omninò per accidens se habet ad sequelam effectus, nec illi quidquam confert; æquè enim benè sequi potest à licita, & illicita actione; puta homicidium ex venatione licita seculari, & illicita Clerico. Ut autem effectus non dicatur voluntarius, sufficit, quòd ejus impediatur sequela, quantùm fieri potest, quòd æquè benè præstat Venator, v. gr. sive licitè, sivè illicite venetur. Et certè non video, quarè venans licitè in propria Sylva, cùm debita circumspectione, & casu occidens hominē, reus non sit homicidii; & idem venans in aliena contrà Domini

mini

mini voluntatem, ac perinde illicitè, cùm æquali tamen diligentia, reus debeat esse casualis homicidii. Quid quæsò ad homicidiũ? Quid ad voluntarium, Sylva sua, & non sua?

13. Dices id quidem verùm esse de actionibus, utcumque illicitis; non verò de illicitis, & prohibitis, quià periculosæ. In his enim, quantamcunque diligentiã, quis adhibeat, non censetur congrua, & sufficiens, nisi ab actione ipsa abstineat, utpotè, quæ ad vitandum periculum, expresè prohibita est, ac per consequens, nisi ab illa, quis abstineat, non censetur facere, quòd potest, & debet ad illud vitandum; ad hoc enim tenetur, & debet ab actione abstinere, ad quod non tenetur, si actio licita sit.

Hoc certè verùm puto de aliquibus actionibus, quæ adeò in se periculosæ sunt, ut quacunque diligentia, & cautela, periculum absolutè non vitetur, imò per accidens omninò sit, quòd malum non sequatur; ac per cõsequens hujusmodi exercens actionem, cùm omni adhuc circumspectione, vult ex consequenti, & propriè in causa effectum, qui de se indè sequi natus est, licèt quandoque non sequatur. Cujusmodi puto agitationes, & certamina cùm feris, ex quibus, ut plurimùm damna, & mortes hominum sequi consueverunt.

14. Cæterùm de actionibus, quæ non adeò sunt periculosæ, quin per diligẽtiam, & cautelam possit moraliter vitari periculum: non videò, quomodo imputari, ut voluntarius possit, effectus omninò casualitèr secutus: quid enim ad homicidii voluntatem, venatio licita seculari, prohibita Clerico, quòd huic imputetur, non illi, si uterque parem adhibeat cautelam? Quamvis enim lex, ratione, & intuitu periculi, venationem prohibeat Clerico, id potiùs est ad status clericalis honestatem, non quod intendat aliter periculũ vitari non posse, aliàs etiam Laico illicita esset: ac proindè si uterquè parem adhibeat diligentiam, neutri homicidium, causaliter secutũ, voluntarium erit. Intantùm

enim

enim hujusmodi effectus voluntarius esse potest, in quãtùm à causa dimanat, & nõ impeditur; at per congruã diligentiam tollitur hæc dependentia, & impeditur effectus, quantùm potest moraliter, ità ut omninò sit per accidens, si sequatur, simul ergò tollitur, & voluntarium.

13. Hæc intellige præcisè quòad culpam, & in foro exteriori, nec quòad irregularitatem, pro quâ Jus disponens attendendum est. Potest enim adhuc sine culpa incurri; judicium pariter externi fori multoties fundatur in præsumptione, quæ non est præsentis loci, discutere.

16. Similiter adverte, quòd licèt verùm sit universaliter, effectus intentos ad culpam imputari, ut dicimus, non indè sequitur universaliter obligatio ad restitutionem, si damnum alicui sequatur; non enim obligatio ad restitutionem ex quocunque oritur peccato, sed tantùm ex injustitia reali, undè in casu posito ab initio, si negarem pecuniam petenti eò animo, ut ille furetur Petro, v. gr. Ad restitutionem non essem adstrictus, quià etsi peccarem ea mala voluntate, non cõtrà Justitiam, sed contrà charitatem. Aut si quid etiã velis contrà Justitiam, mentaliter solùm, quòd non sufficit ad onus restitutionis inducendum; nisi fortè consulerem, vel aliter ad furtum concurrerem, quòd esset realiter contrà Justitiam. E contrà tenetur quis ad restitutionem damnorum ex causa volũtaria secutorum, etiam post pœnitentiam, quamvis tunc nõ imputentur ad culpam, ut supra notavimus ex Cajetano; hujusmodi enim obligationẽ contraxit, dum voluit causam. Per pœnitentiã verò excluditur culpa, nõ autẽ obligatio restitutionis, ut patet.

§. III. *De Causis tollentibus, aut minuentibus Voluntarium, & primò De Violentia.*

SUMMARIUM.

1. *Ex duplici capite minui, vel tolli potest volũtarium, ex defectu principii intrinseci, vel cognitionis.*

2. *Non est idem involuntarium, & non voluntarium.*

3. *Facta per vim, omninò involuntaria sunt.*

4. *Voluntas, quòad actus elicitos, violentiam pati nõ potest, nec etiam à Deo.*

5. *Benè verò, quoad actus imperatos aliarum potentiarum.*

6. *Ad veram violentiam nõ sufficit, quòd passum merè negativè se habeat, sed requiritur, quòd saltem per contrariam inclinationem resistat.*

7. *Mulier posset absque culpa, voluntariè pati, ubi duplex adesset conditio.*

1. CUM ratio voluntarii duo importet, quòd scilicèt à principio sit intrinseco, & cùm cognitione finis, ut constat ex ejus definitione, hinc est, quòd ex duplici quoque capite tolli, vel minui possit voluntarium, per carentiam scilicèt principii intrinseci, vel ex defectu cognitionis.

2. Hic tamen in primis advertendum est ex D. Th. *prima 2. quæst. 6. art. 8.* idem non esse involuntarium, & non voluntarium; hoc enim dicit præcisè, non esse volitum, illud verò supra hoc addit, esse contrà, seù repugnans voluntati.

3. Hoc posito ex primo capite, ità opponitur voluntario vis, & violentia, ut facta per vim, omninò involuntaria sint, de quò difficultas non est.

4. Supponendum est autem ex eodem S. Doct. citata quæstione *art. 4.* Voluntatem quòad actus immediatè ab ipsa elicitos, violentiam pati non posse. Implicat enim in terminis, quòd sit actus voluntatis, & violentus. Actus enim voluntatis nil aliud est, quàm inclinatio quædam procedens ab interiori principio; violentum verò ab exteriori principio est, imò contrà inclinationem passi, ut mox explicabimus; Undè sicut repugnat in naturalibus, quòd motus violentus, ex naturali sit inclinatione; ità repugnat, quòd homo violenter moveatur, & ipse motus ex ejusdem sit voluntate.

Quarè nec Deus ipse, voluntati violentiam inferre potest; licèt enim possit ipsam

ſam movere, & immutare, ut velit, quòd priùs nolebat, non tamen facere poteſt, quòd velit id, quod actu nō vult. Illud ergò, ad quod voluntatem Deus inducit, quamvis contrariū eſſe poſſit inclinationi præcedenti, non tamen præſenti, quin imò illi erit conforme, ac proindè non violentum, ut docet optimè S. Thom. *q.22. de ver. art.* 8.

5. Quantum verò ad actus imperatos, violentiam pati poteſt, in quantum exteriora membra, vel potentiæ impediri poſſunt, nè Voluntatis imperium exequatur, aut moveri contra ipſius voluntatis imperium, ut clarè patet, ac per conſequens tales motus, & actus violenti, erunt involuntarii.

6. Cæterùm benè advertendum, quòd licèt communiter definiri ſoleat violentum, quòd eſt à principio extrinſeco, paſſo non conferente vim, hoc non ità intelligendum eſt, ad violentum ſufficere, quòd paſſum nil conferat, & merè negativè ſe habeat; verùm ex communi DD. ſenſu requiritur, quòd poſitivè reſiſtat, & repugnet, ſaltem paſſivè per contrariam inclinationem, ſi non activè conando ad oppoſitum. Undè, ut Mulier, v. gr. dicatur omninò invita violari, non ſufficit, quòd ipſa nullo modo cooperetur, ſed requiritur, quòd voluntate repugnet, reſiſtat, & impediat, quantùm poteſt; aliàs dici licitè poſſet, non voluntariè agere. Voluntariè tamē pateretur, cùm poſſet reſiſtere, & nollet, ut colligitur ex D. Thom. *quæſt.6. artic. 5. ejuſdem primæ 2.*

7. Verùm tamen eſt, quòd in caſu poſſet Mulier abſque culpa voluntariè pati, & permittere, ſe violare, præcipuè ſi duplex interveniat conditio. Prima quidem, & potiſſima, quòd ſit moraliter certa, ſe voluntate non conſenſuram in delectationē copulæ; aliàs enim potiùs deberet, mortem ſubſtinere, quàm permittere. Secunda, ſi reſiſtentia, clamor, & hujuſmodi, nullatenùs profutura ſperentur ad impediendam violationem, nemo ſiquidem tenetur ad fruſtraneum, inutile, & vanum.

Imò, ſtante prima conditione de non conſenſu, probabiliùs puto, aliquali facta reſiſtentia, quæ commodè poſſit, nec ullatenus intermitti debet, non teneri Mulierem clamare, aut alio modo reſiſtere, quamvis per hujuſmodi reſiſtentiā poſſet abſolutè violentia repelli; ſi ex alia parte nimis eſſet periculoſa, puta cùm periculo mortis, infamiæ, aut hujuſmodi, ut benè notat Bonac. in ſextum dec. præ. num. 10. Sicut enim potens Mulier cùm invaſoris morte ſuam defendere pudicitiā non tenetur, ſed parere illi poteſt, & permittere, ſe violari, dummodo ſit certa de ſuo non conſenſu, ut docent communiter DD. Quarè id non licebit, ut propriè conſulat vitæ, ſeù famæ? Cùm hac limitatione, & non aliter admitti poterit, quòd Sapientiſſimus docet Mag. Soto de Juſt. lib. 5. *quæſt.* 1. *art.* 5. Nec tamen indè voluntaria Mulieri dicenda eſſet violatio, quià licèt poſſet, non tenetur vim repellere, ut ex dictis conſtat.

§. IV. *De Metu.*

SUMMARIUM.

1. *Definitio Metus.*
2. *Duplex eſt Metus, gravis, Juſtus, probabilis, & cadens in virum conſtantē. Alius levis.*
3. *Non eſt ſemper juſtus, metus periculi etiam gravis damni.*
4. *Metus infamiæ ſecundùm jura, non eſt juſtus, niſi in caſu.*
5. *Quæ mala, & pericula Juſtum reddant metum.*
6. *Metus minuit, non tollit voluntarium, undè facta per metum, mixta ſunt.*
7. *Jura tamen, plura facta per metum, invalida, & nulla decernunt.*
8. *Quandò objectum, quòd ex metu eligitur, eſt bonum ſecundùm ſe, metus non reddit actum involuntarium, neque ſecundùm quid.*
9. *Nec obſtat repugnantia ſenſuum.*
10. *Sufficit ad Sacramentum Pœnitentiæ, accedere cùm attritione ex metu Gehennę concepta.*
11. *Falſum eſt, quòd hæc attritio*

tritio involvat implicitè cõditionatam peccandi volũtatem.

12. *Potest etiam admitti in hujusmodi pœnitente aliquid involuntarii præcisè, respectu materialis, & entitatis peccati,*

13. *Aliud est, aliquid fieri ex metu, aliud fieri cùm metu.*

14. *Metus etiam gravis, non excusat absolutè à trãgressione legis, benè verò in casu lex non obligat.*

1. EX eodem capite opponitur voluntario Metus; qui ut habetur l. 1. ff. de eo, quòd metus causa gestum est; sic describi solet. Instantis periculi, vel futuri causa mentis trepidatio. Ubi nota, quòd metus propriè est periculi imminẽtis, aut verisimilitèr mox futuri, non autem remoti; ex illo namque vera est mẽtis trepidatio, & commotio quæ inficit voluntatem.

2. Duplex autem est Metus, alius cadens in constantem Virum, gravis nempè alicujus, & magni periculi, quòd perindè ipsos quoque fortes, & constantes viros, ut plurimùm trepidare facit: dicitur etiàm hic metus justus, & probabilis; quià jura ipsum excusant, & approbant. Alius est metus nõ cadens in constantem Virum, sed levis, non justus, nec probabilis ex opposita ratione.

3. Nota hic interim cùm Azor. part. 1. lib. 1. cap. 10. Nõ semper justum esse metum, qui ex periculo etiam gravis damni incurritur, sed tunc solùm est justus, quando ipsum damnum aliter vitari nequit, aut certè non nisi magna cùm difficultate.

4. Hinc S. Doct. in 4. *distinct. 29. quæst. 1. art. 2. ad 3.* benè ait, *quòd infamia, quamvis sit magnum damnum, tamèn ei de facili occurri potest; & ideò non reputatur cadens in constantem Virum metus infamiæ secundùm jura*, sed à contraria ratione in casu, quò vix aliter infamiæ posset occurri, dicendum videtur, ejus metum cadere posse in virum Constantem.

5 Ut plurimùm ergò, ut docet ibidem ad secundum S. Tho. Quædam sunt corporalia damna inter præcipua, quæ ad personam pertinent

tinent, quorum poteſt cadere metus etiam in conſtantem virum, nec refert, ut idem ſubdit; utrùm hæc pertineant ad perſonam propriam; vel Uxoris, Filiorum, & hujuſmodi. Hæc autem ſunt Mors, Verbera, Dehoneſtatio per ſtuprum, & ſervitus, unde verſus.

Stupri, ſivè ſtatus, Verberis atque Necis.

Fusè de his agit Azor. loco citato. Hic tantùm noto, nomine ſtupri venire, quãcunque impudicam violationem, puta adulterium, & nomine ſervitutis diuturnum quoque, ac pœnoſum carcerem, ſecus autem, ſi ad breve tempus, aut non cùm magno incommodo, quis detineretur, hæc enìm Virum conſtantem non urgent. Nomine demùm verberis, non levis percuſſio, ſed gravis afflictio intelligẽda eſt, ni fortè dignitas perſonæ, levem quoque de ſe, meritò gravem judicare, compellat.

6. Quamvis autem diminuat metus voluntarium, non tamen illud tollit; undè facta per metum, ut ex Philoſopho docet S. Thom. *prima 2. quæſt. 6. art. 6. Mixta ſunt ex voluntario, & involuntario; id enim, quòd per metum agitur, in ſe conſideratum, non eſt voluntarium, ſed fit voluntarium in caſu, ſcilicèt ad vitandum malum, quòd timetur, ſed ſi quis rectè conſideret, magis ſunt hujuſmodi voluntaria, quàm involuntaria. Sunt enim voluntaria ſimpliciter, involuntaria autem ſecundùm quid.* Hæc ſunt verba formalia S. Doct. ex ſe ſatis clara.

Projiciens enim, v. gr. merces tempore tempeſtatis ad vitandum mortis periculum, ſecundùm ſe quidẽ, & præſcindendo à periculo, nollet certè projiciere, at verò hic, & nunc abſolutè, & efficacitèr vult, & de facto projicit, unde talis projectio eſt ab eo efficacitèr volita, & nolita ſolùm inefficaciter, & conditionatè, ſi periculum, & neceſſitas urgeret; quòd autem efficaciter eſt volitum, abſolutè, & ſimpliciter voluntarium eſt; nolitum verò inefficaciter, & conditionatè involũtarium eſt ſecundùm quid tantùm. Involuntarium, inquam, nam de facto repugnans, & di-

diſplicens in ſe voluntati, quamvis ex adjuncto periculo ei placitum, & conforme, ac proinde ſimplicitèr voluntarium in caſu.

7. Quòd ſi jura, invalida, & nulla decernunt plura facta per metum, præcipuè cadentem in cōſtantem virum, putà matrimonium, & ſolemne votum Religionis; id non eſt, quià cenſeāt, hujuſmodi ſimpliciter voluntaria non eſſe, ac perindè invalida per ſe, attento præcisè naturali jure. Verùm quià optimè ad inconveniētia vitanda, ut benè poteſt, ad eorum validitatem, Eccleſia vult præterea, quòd ſine metu fiant; ſicut inſuper ſtatuit ad matrimonii valorem, præſentiam requiri Parochi, & duorum Teſtium, quæ jure naturæ non exigebantur.

8. Hæc autem ità ſe habent, ait Gonet in man. tract. *de volunt. & involunt.* cap. 3. §. 1. quando obiectum, quòd per metum eligitur, eſt malum ſecundùm ſe, ſolùmque boni, & eligibilis rationem habet ad vitandū majus malum, ut in allato exēplo de projiciente merces. Secus verò, ſi objectum ſit bonum ſecundùm ſe, & abſolutè, tunc enim, licèt ex metu gravis dāni, quòd timet, moveatur quis ad illud eligendum, cùm & in ipſo boni rationem inveniat ſecundùm ſe, non eſt, cur actum etiam inefficacis nolitionis ad illud habeat, v. gr. Si quis ex metu æternæ damnationis moveatur ad obſervantiam mandatorum Dei, non indè colligi debet, involuntarium illi eſſe, nec etiam ſecundùm quid; quāvis enim ex tali metu, ad obſervantiam excitetur, quià tamen ipſa mandatorum Dei obſervantia, præciſo quoque metu, bona eſt in ſe, & nullatenùs mala, non eſt, quarè Voluntas ipſam nolit, eique repugnet.

9. Nec aliquid obſtat, quòd Intellectus ex repugnantia ſenſuum poſſit aliquid mali, ſaltèm contra ipſorum ſenſuum delectationem in tali obſervantia apprehendere, ac per conſequens adhuc aliqua repugnantia in voluntate remanere, hoc, inquam, non obſtat. Ex quò enim voluntas rationi ſuperiori ad-

hærens, honestum bonum amplectitur, illudque sequitur efficaciter, quòd in ipsa ex rationis inferioris apprehensione, aliqua renitentia remaneat, non licèt indè colligere, quòd honestum bonum, involuntarium sit illi, nec quidem secundùm quid. Aliàs vix aliqua daretur actio virtuosa, & honesta perfectè voluntaria, cùm vix aliqua sit, cui sensus, & proindè ratio inferior aliquo modo non repugnet. Imò Dominus Jesus, qui perfectissima, & intentissima voluntate pati, & mori voluit, ex inferioris portionis repugnantia de ipsa morte tristatus est. Hujusmodi enim repugnantia, tota ex animali, & inferiori ratione procedit, quàm voluntas ductu superiori efficaciter vincit, ac repellit. Undè quò major est repugnantia ista, eò intentiùs in honestum fertur Voluntas; tantùm abest, quod voluntarium diminuat.

Cùm autem in objecto, quod ex metu relinquit, veram boni rationem invenit, aut mali in objecto, quod ex metu eligit; nec illud secundùm se respicit, neque hoc secũdùm se amplectitur, sed solùm, ut periculũ vitet, quod metuit, & quidem cùm actuali displicentia, & tristitia, & ideò verò aliquo modo involuntariè.

10. Id maturè advertendum censui, & magis insuper explicandum propter pœnitentiæ Sacramentum, ad quod licèt ex communiori Theologorum sensu valdè conformiter doctrinæ Sac.Conc.Trid.sess. 14. c. 4. sufficiat, pœnitentem accedere cum attritione supernatutali, puta ex Gehennæ metu concepta; illa tamen debet omnem affectũ, & voluntatem peccati excludere, ut ibidem Concilium docet. Quarè, si quis de peccato doleret, ab eoque abstineret ità ex puro metu Gehennæ, quòd si Gehenna non esset, peccatum sibi placeret, ac utique vellet peccare, certè illi dolor, & abstinentia ista, involuntaria esset saltem secundùm quid, nec bona, nec sufficiens ad Sacramentum, quià cum affectu ad peccatum.

11. Ve-

11. Verùm tamen non est, ut contendunt adversarii, quòd semper hujusmodi attritio implicitè, & virtualiter involvat conditionatã hanc voluntatem, & affectũ peccandi, si pœna non esset, ut enim docet optimè Gonet tract. *de pœnit*. cap. 4. §. 6. quamvis respuens objectum sibi aliàs beneplacitum ex metu gravis damni, aut periculi, possit, & ut plurimùm adhuc retineat affectũ illum, & voluntatem conditionatam non respuendi, si periculum non adesset; id stare non potest, cùm affectus iste, & conditionata Voluntas, impeditiva est finis, ad quem consequendũ eligitur, ut medium, fuga, seù dimissio talis objecti. Ex quo enim Voluntas efficaciter vult finem, vult consequènter, & media sibi proposita, ut necessaria ad finis consecutionem; aliàs Voluntas efficax non esset. Cùm ergo affectus iste, & voluntas etiam conditionata peccandi, peccatum sit, & impeditiva evasionis Gehennæ, ac per consequens depositio talis affectus, necessarium medium ad Gehennam vitandam; implicat in terminis, quòd quis efficaciter Gehennam vitare velit, & affectum peccandi, etiam condictionatum retineat.

12. Vel fortè cùm eodē Gonet loco cit. ex tract. *de Volunt*. admitti poterit, aliquid involuntarii adhuc remanere in hujusmodi pœnitente, non quidem respectu formalis peccati, & ut quid est lege divina prohibitum, sed præcisè respectu materialis, & entitatis illius, ratione cujus, & non ratione deformitatis est appetibile, & aliquam in voluntate relinquit propensionem ad ipsum. Id autem non est, affectum, neque conditionatum retinere ad peccatum, sed præcisè ad entitatē ejus, quàm nihilominùs, quia cùm peccati malitia cõjuncta est, respicit efficaciter, quòd nullum videtur malũ. Sicut displicentia quædam, & tristitia in mandatorum Dei observantia, si quidem esset de actu, quatenùs à Divina lege præcepto; mala utique esset, & illicita; Secus verò, si tantùm ratione laboris, aut fastidii actũ comitātis, præciso respectu

ad legem, ut patet in tristitia, quam in horto Christus Dominus habuit.

13. Observandum insuper cum eodem Gonet loco mox citato; aliud esse, aliquid fieri ex metu; aliud verò cum metu; particula enim, cum, solam concomitantiam importat; ly verò, ex, causalitatem dicit; Tunc igitur verè aliquid ex metu fieri dicitur, quandò metus est causa impellens ad actũ, ità ut quis ad operandum ex ipso metu moveatur, quod aliàs non operaretur. Et hoc propriè, actum reddit secundùm quid involũtarium. At verò, quando metus comitatur solùm operationem, non autem ad illam movet, nullo modo voluntarium diminuit; quin imò, signum est perfectæ voluntatis. Hujusmodi enim metus potiùs ab operatione retrahit; quàm ad ipsam impellat; undè si, non obstante metu; quis operetur, signum est perfectæ, & intensæ voluntatis, quam, nequit, metus ipse, retardare. Sicque martyres, quamvis cum mortis metu fidem confiterentur, non tamen ex metu, sed ex amore Dei, à quo per metum nullatenùs distrahi poterant, ac proindè omninò voluntariè confitebãtur.

14. Denique licet Bonac. disp. 2. *de pecc. quæst.* 8. *punct.* 2. doceat, quòd metus regulariter excusat à trãsgressione legis humanæ, sivè Civilis, sivè Canonicæ; imò etiam naturalis, & Divinæ, quæ tamen aliquid nõ prohibet de se intrinsecè malum; quod ferè idem Azor. docuit p. p. libr. 1. cap. 11. Plures citans DD. Id absolutè verum non est, ut fusè docet, ac probat Cajet. *prima* 2. *quæst* 96. *art.* 4. & 2. 2. *quæst.* 125. Nam, ut idem ait, secundùm veritatem, universaliter lex præceptiva, etiam ad mortem obligat pro sui observatione. Verùm nihilominùs est, subdit benè Cajetanus, quòd in casu lex non obligat ex benignitate legum. Dum igitur quis in gravi aliquo periculo constitutus, contrà præscriptum legis operatur, excusari quidem poterit, at non ex metu, sed ex lege ipsa, quam velle, cum tanto onere obligare, credibile non est, ut benè idem ait Bo-

Bonac. Quarè, nec propriè talis dicendus est à trāsgressione legis excusari, quia nec propriè contrà legem facit. Sed de hoc latiùs suo loco.

§. V. *De Concupiscentia, aliisque passionibus.*

SUMMARIUM.

1. *Concupiscentia nunquam facit involuntarium, licèt aliquo modo voluntatem inficiat.*
2. *Renitentia, quam habet Agens ex passione, non ab ipsa, sed aliundè procedit.*
3. *Non est simile de metu, cui ex propria natura involuntarium adjungitur.*
4. *Explicatur magis idipsum.*
5. *Concupiscentia magis facit voluntarium.*
6. *Minuit tamen, & quandoque tollit rationem voluntarii perfecti.*
7. *Præcipuè libertatem inficit, undè minuit, vel tollit culpam, si antecedenter se habeat, secus verò, si consequenter.*

1. EX alio capite, cum voluntario pugnare videtur concupiscentia, vel etiam quælibet alia passio vehemens, puta Ira; hæ enim cognitionem obnubilant, ut de se patet. Licet autem aliquo modo voluntatem inficiant, nullatenùs tamen de se involuntarium causant, non enim faciunt, quòd Voluntas in aliquod sibi repugnans feratur, quod est de ratione involuntarii; sed potiùs, quòd inclinetur ad volendum id, quod concupiscit.

Ubi nota, quod etsi aliquandò agens ex passione velit aliquid, quod priùs nolebat, & ad volendum à passione ipsa trahatur; non indè sequitur, id esse ullatenùs, nec secundùm quid involuntarium; ad hoc enim requiritur, quòd Voluntas, dum actualiter vult, cum aliqua renitentia, & affectu ad oppositum, feratur in objectum, ut contingit in metu; dū enim actualiter Mercator projicit merces, nollet de facto projicere, & cùm displicentia, & tristitia projicit. At verò concupiscentia, & idem dic de alia passione, quamvis mutet voluntatem, & inclinet ad vo-

volendum; quod priùs nolebat; ipsa tamen Voluntas ità per passionem inclinata, non cum renitentia, & tristitia, sed cùm delectatione potiùs in illud fertur.

2. Quod si quandoque in voluntate, sic per passionem tracta, dùm adhùc actualiter in hujusmodi fertur objectum, renitentia quædam, & displicentia remaneat, ac per consequens aliquid in actu, sit admixtū involuntarii; putà si Avarus ad voluptatem pecuniam expendat, quamvis tractus delectatione, pecuniam effundat, tristitia tamen, & displicentia effundit. Hoc nihilominùs, non à passione, sed aliundè procedit; passio namque nil aliud facit, quàm inclinare voluntatem, & per consequens, quòd voluntariè omninò, ac delectabiliter in objectum feratur, undè per accidens omninò est. Et aliundè, quàm à concupiscentia, vel passione procedens, repugnantia, vel tristitia comitans actum, putà ex avaritia ipsa adducto exemplo.

3. Neque dicas; hoc pariter dici posse de metu, qui de se habet inclinare voluntatem ad periculi fugam, quod omninò spontè, & delectabiliter Voluntas amplectitur, quòd autem ad periculum vitandum necessariū sit medium voluntati repugnans, hoc per accidens est, nec à metu procedit. Valdè namque dispar est ratio. Etenim ex ipsa metus ratione habetur, quòd Voluntas impellatur ad eligendum, quod aliàs nollet: hoc verò non importat concupiscentia, vel passio alia, sed solùm habet secundùm se trahere voluntatem, & modo quidem connaturali.

Hoc autem ideò, quia hujusmodi passiones precisè, & secundùm se, malum non respiciunt, sed bonum delectabile, aut sensui conveniens. Ad bonum autem spontè currit voluntas, ad illūque adipiscendū, spontè movetur ad eligenda media congrua, & conducentia. Quarè si in ipsis aliquid inveniatur ex alia parte repugnans, hoc per accidens se habet ad concupiscentiam: at verò metus objectum, est malum difficilè ad vitandū, & perindè, ut vitetur, de se

habet

habet inclinare voluntatem ad eligendum minus malũ, quod secundùm se ipsi voluntati repugnat, solùmque ad majus malum fugiendũ eligitur; involuntarium ergò, quod in factis per metum reperitur, non per accidens adjungitur, sed ex ipsa metus natura. Ex quo fit, metum propriè quodammodò involuntarium causare, non autem concupiscentiam, aut aliam passionem; Sed si aliquid involuntarii contingat, aliundè per accidens advenit.

4. Et licet præter metũ, aliæ quoque passiones malum respiciant, puta odium, non tamen habent de se voluntatem inclinare ad aliquid sibi repugnans eligendum, ut contingit in metu; sed potiùs illi consonum, & beneplacitum. Non enim minùs naturaliter movetur appetitus ad prosequendũ bonum, & sibi conveniens, quàm ad fugiendum, & repellendũ sibi disconveniens, & malum. Quod quidem facit metus quoque, cùm hac tamen differentia, quòd metus jam supponit in voluntate repugnantiam ad id, quod per metum eligere compellitur, ad majus malum vitandum, hoc autem non important aliæ passiones.

5. Quarè S. Thom. *prima 2. quæst. 6. art. 7.* docet expressè, concupiscentiam, non solùm non causare involuntarium, sed magis facere voluntarium; per concupiscentiam enim Voluntas magis inclinatur ad volendum id, quod concupiscit, in quo consistit ratio voluntarii. Et hoc idem de aliis passionibus est dicendum, quæ non minùs, quàm concupiscentia, voluntatem inclinant.

6. Cum quò tamen stat, quòd ipsa concupiscentia, & cæteræ passiones, ex ea parte, quâ cognitionem perturbant, ipsam rationem, & conditionẽ perfecti voluntarii diminuant; immò tollant, si totaliter cognitionẽ intellectus auferant, ut contingit in his, qui ex concupiscentia, vel ira incidunt in amentiam, ut subdit S. Doct. loc. cit. ad 3. Præcisa ergo ratio voluntarii consistit in eo, quòd potentia, & vis appetitiva spontè feratur,

ratur, ac tendat in objectum; undè quo majori conatu, & propensione fertur in illud, eò magis actus est voluntarius. Addit autem supra hoc, voluntarium perfectũ, quòd ex perfecta cognitione procedat; ac proindè quamvis ex passione trahẽte voluntatem, augeatur absoluta ratio voluntarii; minuitur simul specialis ratio voluntarii. Simul enim utrumque facit passio, & quòd voluntas majori propensione, & conatu feratur, & quod ex imperfecta cognitione procedat.

7. Specialiùs autem passionis vehementia libertatẽ inficit, ut patet in motibus primò primis, qui necessarii sunt, non liberi, ut supra diximus; & motibus etiam secundò primis, in quibus perfecta deliberatio esse nõ potest; quarè tollit pariter, vel minuit rationem culpæ.

Ubi tamen adverte cum S. Doct. *prima 2. quæst. 77. art. 7.* hoc totum verum esse, de passionibus antecedenter se habentibus, hoc est quando præveniunt actum rationis, & voluntarii, ità ut sit ipsa passio inclinans, & trahens voluntatem; secus verò, quandò passio consequenter se habet; hoc est, quandò non passio, sed è contrà voluntas, aliquid vehementer appetens, excitat ipsam passionem in appetitu sensitivo; tunc enim passio supponit jam, rationis deliberationem, & voluntatis motum, undè nec tollit, nec minuit, imò potiùs auget peccatum, vel est signum magnitudinis ejus, ut loquitur Sanctus Doctor.

§. VI. *De Ignorantia.*

SUMMARIUM.

1. *Duplex est ignorantia, juris, & facti, seù universalis, & particularis, quæ ignorantia dicitur malæ electionis.*
2. *Ignorantia alia vincibilis, alia invincibilis, culpabilis, & inculpabilis.*
3. *Ignorantia tripliciter ad voluntatem se habere potest antecedenter, concomitanter, & consequenter.*
4. *Antecedens facit involuntarium, & excusat à culpa.*
5. *Concomitans, non facit involuntarium*

voluntarium, sed non voluntarium, neque accusat, neque excusat.

6. *Consequens, si directè volita sit, dicitur affectata, si indirectè cum magna incuria, dicitur crassa, supina, si verò tanta non sit negligentia, crassa non erit, sed tamen culpabilis.*

7. *Triplex hæc ignorantia potest esse, iuris, & facti.*

8. *Omnis talis ignorantia consequens, facit secundùm quid involuntarium.*

9. *Licèt minuat præcipuè, si non sit affectata, non penitus excusat.*

10. *Ignorantia, quamvis privatio sit, in moralibus dici potest causa per se.*

11. *Ignorantia ex actuali oblivione antecedens est, nisi culpabilis inconsidera-tio, ad consequentē reducat.*

12. *Regula generalis. Ignorantia non culpabilis, facit semper involuntarium, & excusat.*

13. *Quilibet Christianus explicitè scire tenetur principaliora Fidei mysteria.*

14. *Simplex autèm illa non tenetur scire distinctè.*

15. *Quilibet scire tenetur per se nota de jure naturæ, & quæ ex ipsis facillimè innotescunt.*

16. *Tenetur quisque scire, quòad humana jura, quæ communiter, ut plurimùm sciuntur ab omnibus.*

17. *In triplici causa dari potest prædictorum ignorantia inculpabilis.*

18. *Tenetur confessarius, de his pœnitentem interrogare, nisi prudentialiter supponat, illa scire.*

19. *Præterea tenetur quilibet scire, quæ ad proprium statum pertinent.*

20. *Quam diligentiam quisque adhibere teneatur ad prædicta scienda.*

1. CUM Voluntarium, ut sæpè diximus, cognitionem supponat, nil enim volitum, quin præcognitum, specialem cùm voluntario habet oppositionē. Ignorantia, quæ Carentia est Scientiæ, & cognitionis; de quâ plura summistæ, verbo ignorantia, & Theologi in tract. *de volunt.* Et de peccatis: fusè quoque Azor. *part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 12. *& seq.* Nos verò hic breviter aliqua magis necessaria perstringemus.

Du-

Duplex igitur in primis est ignorantia. Una dicitur ignorantia juris, dum scilicet quis ignorat legem, & juris dispositionem, puta si quis ignoret, excommunicatum, vitandum esse. Alia dicitur ignorantia facti, cùm ignoratur aliquod particulare hic, & nunc; puta si quis ignoret, Titium esse excõmunicatum. Et coincidit hæc divisio cum alia, quæ tradi solet, ignorantiã scilicet universalem, seù carentiam scientiæ universalis, & veritatum in communi, abstrahendo ab actuali exercitio; & ignorantiam particularem, quæ, & malæ electionis dici solet, quâ scilicet ignoratur, quod hic, & nunc scire oportet ad eligẽdum, & prudenter operandum, quamvis fortè ignorantia malæ electionis propriè non dicatur, nisi dum adest debitum considerandi actualitèr, ut insinuat S. Doct. *prima 2. quæst.6.art.8.*

2. Dividitur insuper in vincibilem, quæ scilicet diligentia, & studio vinci, & superari potest; & invincibilem, quæ vinci moraliter non potest. Ex quo fit, quòd omnis invincibilis ignorantia sit inculpabilis, nemo siquidem culpari potest in eò, quod in ejus potestate non est.

Vincibilis autem, culpabilis erit, si sit ignorantia eorum, quæ quis scire tenetur; Secus verò, si sit eorum, quæ quis non tenetur scire, ut docet S. Thom. *prima 2. quæst. 76. art. 2.* & alibi, & patet; nam culpa supponit legem, quam transgreditur, lex autem debitum imponit, ac per consequens, ubi non est debitum, neque lex, & consequenter, nec transgressio, vel culpa.

3. Porrò, cæteris omissis, cum eodem S.Doct. *q.6. art. 8.* advertendum, quòd ignorantia, quæcunque illa sit, tripliciter se habere potest ad voluntatem, scilicet antecedenter, concomitanter, & consequenter.

4. Antecedens dicitur ignorantia, cùm prævenit actum voluntatis, & nullo modo volita est, & nihilominùs est causa volendi aliquid, quod aliàs non vellet, posita scientia, & cognitione; puta cum quis adhibita congrua diligentia, sagit-

tam

tam projicit, ignorans, hominem transire, ipsumque interficit. Et hæc ignorantia facit actum simpliciter involuntarium, & consequenter à culpa excusat.

5. Concomitans ignorantia est, cum actum quidem comitatur, ad ipsum verò nil refert, sed per accidens omninò se habet, ut cùm ignoranter quidem agitur aliquid, quod tamen, etiam si sciretur, nihilominùs ageretur; sicut dum aliquis cupiens occidere hostē, ignorās occidit eum, putans occidere cervum. Et talis ignorantia non facit involuntarium, ut cum Philosopho docet S. Doctor; quia non causat aliquid repugnans voluntati, quod ad rationem involūtarii requiritur, sed facit non voluntarium; quià non potest esse actu volitum, quod ignoratur.

Et hæc ignorantia, ut ait Cajet. cit. *quæst. 76. art. 3.* explicans optimè S. Doct. mentem, non excusat, nequè accusat, sed relinquit actum in sua bonitate, vel malitia, quam habet ex objecto volito, respectu cujus, ignorantia voluntarium nō tollit; at respectu ejus, quod ignoratur, cum voluntariū non permittat, ut patet, excusare, necesse est, seù culpam non permittere.

6. Consequens demùm, ignorantia dicitur, quæ sequitur quodammodo voluntatis actum, quia scilicet ipsa quoque voluntaria est, & quidem, si directè volita sit, puta dum quis ignorare vult, quod potest, & debet scire, ut liberiùs peccet, juxta illud Psal. 35. *Noluit intelligere, ut benè ageret*; ignorantia dicitur affectata. Si verò indirectè tantùm sit volita, dum scilicet non vult expresè ignorare, quæ scire debet, illa tamen addiscere non curat, vocatur ignorantia crassa, & supina, quia scilicet, ex incuria hujusmodi, quodammodo ipsa ignorantia impinguatur, & incrassatur; vel quia ipsi desidiosi jacere soleant supini.

Denique, si aliqualiter addiscere curet, negligenter tamen, & non cum debita, & sufficienti diligētia, ignorantia ipsa, erit adhuc volita indirectè, & culpabilis, licèt non crassa; & quidem

plùs, vel minùs, juxtà quantitatem negligentiæ. Talis enim non facit, quod debet, ut sciat, quæ tenetur scire, ac per consequens voluntariè saltem indirectè ignorat.

7. Hæc ignorantiæ distinctio, tenēda est pro multorum resolutione, quæ in re morali, & præcipuè censuris, occurrunt. Triplex autem hæc ignorantia, non solùm respectu scientiæ universalis, verùm etiam particularis, contingere proportionabiliter potest, puta dum emens scire non vult, an res furtiva sit, ut liberè ipsam retineat, erit affectata. Si verò non velit quidem ignorare directè, nil tamen curet addiscere, & scire, an res verè furtiva sit erit ignorantia crassa; si demùm aliquam fecerit, sed non sufficientem diligentiam pro loco, tempore, & cæteris circunstantiis, ad cognoscendum de re, adhuc erit consequens, culpabilis, & voluntaria, licèt non crassa ignorantia.

8. Omnis autem hujusmodi consequens ignorantia, reddit quidem actum, quem opposita scientia prohiberet, aliquo modo, & secundùm quid involuntariū, quamvis affectata sit. Si enim taliter ignorans, posita scientia, non eliceret actum, actus ipse quodammodò voluntati ejus repugnat, in quo ratio involuntarii consistit. Verùm tamen est, quòd, si talis in ea esset voluntate, ut adhuc posita scientia, eliceret actū, ratio quoque ista involuntarii secundùm quid cessaret, nec enim propriè ignorantia consequens, sed potiùs esset concomitans.

9. Cæterùm absolutè, & simpliciter ex hac ignorantia factum, voluntarium est, ac per consequens ignorantia ista nō excusat à culpa, licèt aliqualiter diminuat, prçcisè si non sit affectata; plùs, minusque, secundum negligentiæ quantitatem, in addiscendo, vel considerando, quæ tenetur operans scire, considerare, & advertere. Qui enim vult causam, ex consequenti vult etiā in ipsa causa effectū ex ea secutū; hæc autē ignorantia simpliciter est volita saltē indirectè; ergo & effectus indè secutus, volitus erit.

10. Ne

10. Ne autem fallaris ex tradita doctrina superiùs §. 2. quâ diximus, effectum debere per se ex causa sequi, ut in illa dicatur volitus; ignorantia verò, cùm sit privatio, & carentia scientiæ, non potest esse causa per se, sed tantùm per accidens, sicut remotio prohibentis, ut optimè advertit S. Doct. *prima* 2. *quæst.* 76. *art.* 1 *ad* 2. Ut enim subptiliora, cathedræ relinquamus; ad propositum, causam per se intelligimus, non quòd propria virtute causet, & influat in effectum; sed quòd cum illo, non ex aliquo accidenti, casu, vel fortuito connectatur; verùm ex propria illius natura; effectusque de se, & ut plurimùm ex ea sequi natus sit, quamvis contingere possit, quòd non sequatur, ut ibidem explicuimus; quod benè cōvenire potest etiam causæ, aliàs per accidens, metaphysicè loquendo.

11. Ex his ergò collige cum Cajet. *prima* 2. *quæst.* 6. *art.* 8. quòd cum aliquis jam scit habitualiter, quod scire tenetur; ac postmodum in aliquo particulari casu, ex actuali oblivione non meminit, & ignoranter operatur; ignorantia hæc actualis, antecedens est reputanda, & per consequens involuntarium reddet actum ab illa procedentem, & à peccato excusabit; omnium siquidem reminisci, supra hominis est facultatē, nisi fortè culpabilis incōsideratio, ipsā ad cōsequentē reduceret.

12. Ut enim idem optimè *quæst.* 76. *art.* 3. pro generali tradit regula. Ignorantia ex parte rei ignoratæ tantùm, non ex parte ignorantis, hoc est non culpabilis, quod idem est, ac dicere; ignorantia, quâ quis ignorat, quod scire non potest, aut non tenetur, facit semper involuntarium, & à peccato excusat id, quod est proprius effectus ignorantiæ, sivè det operam licitæ rei, sivè illicitæ. Undè Judas cognoscens Thamar Nurum suam, quam talem nesciebat, sed meretricem omninò credebat, excusatus est ab incestu, qui proprius fuit effectus ejus ignorantiæ; non autem à fornicatione, quam voluntariè committebat.

Hoc autem ideò, quià voluntarium esse nō potest, ac proindè, nec peccatum, quod quis ignorat, & non tenetur scire.

13. Pro coronide tandē hujus doctrinæ, breviter notandum est, quid quisque teneatur scire, de quò plura Syl. V. Ignorantia, & Fides. Mag. Ban. 2.2. *quæst.* 2. *art.* 8. *dub.* 2. Azor. ubi supra, & alii, ex quibus hæc magis certa libavimus. Ac primò circà Fidem, quilibet Christianus explicitè scire tenetur; Quòd Deus est, quòd Mundi Creator, & quòd bonorū, & malorum, Remunerator est. Insuper quod Providentia ejus, cuncta reguntur. Item, quòd unus, & trinus est. Explicitè quoque scire debet Incarnationem, Nativitatem ex Maria Virgine, mortem, & Resurrectionem Jesu Christi Domini nostri, Sacramenta itē Baptismi, Eucharistiæ, & Pœnitentiæ.

Uno verbo, ea omnia, quę communiter quilibet scit Christianus timoratæ conscientiæ, ut Symbolum Apostolorum, Orationem Dominicam, & Præcepta Ecclesiæ. Cætera verò fidei, sufficit, quòd implicitè sciat credendo scilicet omnia, quæ Sancta Mater Ecclesia credenda proponit, inquam firmiter omninò credere debet, ut in hac explicita Fide, implicitè credat cætera.

14. Dixi autem explicitè, non distinctè; quia excusari à culpabili negligentia non potest, qui prædicta, saltèm in confusò addiscere non curat. Non tenetur autem simplex Christianus, distinctè hujusmodi Mysteria scire, quod nimis esset difficile. Sufficit verò, quod sciat, v.g. Deum esse unum, & trinum, & quod Pater non est Filius; licet posteà nesciat explicare, quomodo Pater à Filio distinguatur, & quomodo in unitate essentiæ, Trinitas ipsa consistat Personarum; quæ omnia in Fide Ecclesiæ sufficit ipsi credere. Ad prædicta siquidem explicitè credenda, omnes universim teneri, communis est Theologorū sensus, & meritò damnata sententia, quod sufficiat solùm credere in communi, quæ credit Ecclesia.

15. Tenetur insuper sci-

re

re quilibet ea, quæ de jure naturæ, per se nota sunt, aut certè ex per se notis facillimè innotescunt; ut sunt; Quod tibi non vis, alteri nè feceris. Unicuique Jus suum tribuendum, bonū sequendum, malum autem fugiendum; ex quibus, Decalogi præcepta colliguntur. Ea verò, quæ non ità facilè, & perspicuè, ex per se notis inferuntur, ut lucrum ex Mutuo non exigendum: Iniurias non ulciscendas, & similia, non adeò strictè rudiores, ac simplices tenentur scire, quin possit in ipsis quandoque ignorantia excusari; cum hujusmodi, & viri aliàs docti, multoties ignorent, ut Cassianus, Origenes, & Plato putaverunt, teste Azor. licere quandoque uti mendacio, ad majus malum vitandum.

16. Etiam quòad humana jura, tenetur quilibet ea scire, quæ communiter, ut plurimùm sciuntur ab omnibus. Et hæc omnia ità quilibet scire tenetur, ut si ex horum ignorantia peccet, non excusetur.

17. In duplici tamen casu, puto, dari posse inculpabilem prædictorum ignorantiam. Primò si baptizatus Infans, ad partes infidelium asportetur, hic enim ad usum rationis perveniens, inculpabiliter ignorabit omnes fidei articulos. Secundò: si quis propriam ignorantiam, & negligentiam recognoscens, conteratur, ac doleat, proponatque de cætero diligenter inquirere, & addiscere, quæ debet; tunc enim jam ignorantia, illi voluntaria nō erit; sicque pro interim, usque dum instruatur, inculpabiliter ignorabit.

Adde quoque si vis, tertium, dum quis adhibita sufficienti diligentia, nō potuit addiscere. Casus tamē hic, nisi ad breve tempus, videtur moraliter impossibilis, cum omnia prædicta, quòad substantiam, & in confusò, facillimè possit quantumcūque rudis addiscere, modò sit rationis cōpos.

18. Quarè admonet serio Mag. Ban. teneri confessarios, nisi probabiliter supponant pœnitentes ea scire, ipsos interrogare, de fidei Msteryiis, quæ diximus teneri

neri quelibet explicitè credere.

19. Præter hæc autem, ſcire tenetur quilibet ea, quę ad proprium pertinent ſtatum, vel neceſſaria ſunt ad prudenter agendum, quæ debet, vel etiam ſpontè vult operari.

20. Ultimò notandum, ad quam diligentiam quiſque teneatur, ut prædicta neceſſaria diſcat. Breviterque dicendum, quòd Mulieres, ruſtici, aliique ſimplices, frequentare debent conciones, & Eccleſias, ubi talia docentur: interrogare quoque peritiores. Alii autem inſuper, pro modò, & conditione ſtudere tenentur, viroſque doctos conſulere, juxta perſonarum qualitates. Quòd ſi quis, hujuſmodi ſufficienti adhibita diligentia, quædam ſcire adhuc nequiverit, ignorantia, illi pro tunc non erit culpabilis. E contrà verò negligens addiſcere, quæ tenetur, ex hoc ipſo peccat, ut benè notat Azor. ubi ſupra c.12. etiam ſi ex hujuſmodi ignorantia, nil mali agere contingat. Ignorantia enim ipſa, peccatum eſt, ut docet S. Thom. *prima 2. quæſt. 76. art. 2.*

CAPUT III.

De Multiplici Voluntatis actu.

§. I. *Omnes Voluntatis actus enumerantur.*

SUMMARIUM.

1. *Omnes Voluntatis actus eſt circa finem, vel media.*
2. *Duplex finis, ultimus, & intermedius.*
3. *Ultimus finis adhuc duplex, ultimus abſolutè, & ultimus in proprio genere.*
4. *Finis ultimus abſolutè itē duplex, formalis, & materialis.*
5. *In re, ſolus Deus eſt finis ultimus, apparenter verò, & in apprehenſione, multiplex eſſe poteſt.*
6. *Tres voluntatis actus circa finem.*
7. *Tres item circa media.*
8. *Præter hos, datur conſiliū, intellectus, & imperium.*

1. Cum

1. CUM, ut prænotatū est, voluntatis objectum sit bonum; bonum autem vel finis, vel medium: hoc est, vel appetibile propter se, quod est de ratione finis, vel solùm propter aliud, quod est, esse medium. Hinc fit, quod omnis actus voluntatis, vel est circa finem, vel circa media. Nolumus enim disputare modò, an detur actus neuter, qui scilicet, nec sit finis, nec medii; nihil enim ad nostrum intentum.

2. Sed pro clariori, & pleniori dictorum supra, & dicendorum intelligentia, notandum; duplicem esse finem, alium ultimum, qui scilicet propter se appetitur, non propter aliud, & cætera propter ipsum; alium verò intermedium, qui licèt propter ulteriorem finem appetatur, adhuc tamen aliqua propter ipsum appetuntur.

3. Insuper finis ultimus adhuc duplex, alius ultimus absolutè, & simpliciter, ad quem omnia ordinantur, & ipse ad nihil; alius ultimus in proprio genere; seù determinata materia: putà Deus est ultimus finis simpliciter, propter quem omnia volumus, aut velle debemus, & ipsum tantùm propter ipsum. Sanitas autem, v. gr. ultimus quidem est finis Medicinæ, propter quem omnia medicinalia appetuntur, attamen, & ipsa Sanitas ad Deum ordinatur.

4. Iterum, finis quoque ultimus absolutè duplex est: formalis scilicet, & materialis: finis ultimus formalis, nihil aliud est, quàm quædam ratio, & formalitas, vi cujus habet ipse finis ultimus, quòd omnia ad ipsum ordinentur; hoc autem non est aliud, quàm ipsa Beatitudo formalis, & perfecta bonitas, ut sic; ad hoc enim quisque particularia vult bona, ut demùm perfectus esse possit, & beatus.

5. Ultimus verò finis materialis, est id, in quo talis perfecta bonitas, & Beatitudo reperitur; qui licèt in re sit solus Deus Opt. Max. vera, & indeficiens Beatitudo, & bonitas; apparenter nihilominùs, & in hominum apprehensione, multiplex

plex nimis esse potest, prout quisque in hoc, vel illo objecto, suam constituit beatitudinem; juxtà quod dici solet, quòd mortaliter peccans, illam creaturam, quam inordinatè diligit, pro suo habet ultimo fine. Undè ait August. tract. *de Epic. & Sto. cap.* 3. *qui malus est, malus non esset, nisi indè, se beatum esse posse, speraret*.

6. Actus igitur à voluntate ipsa eliciti, sex communiter assignantur, tres videlicet, circa finem, tres circa media. Circa Finem est simplex volitio, quæ multoties absolutè Voluntas appellari solet, intentio, & fruitio. Etenim voluntas, finem ipsum, vel appetit simpliciter, & absolutè, seù de illo simplicem habet complacentiam, & sic est simplex volitio. Aut illum efficaciter vult assequi per media, & sic est intentio; vel in ipso jam habito quiescit, & sic est fruitio.

7. Circa media pariter triplex est actus; Consensus, electio, & usus. Vel enim ipsa vult simplicitèr, & absolutè, seù sibi placent, & sic est consensus; vel unum vult medium præ alio, & sic est electio; vel ad executionem applicat, seù potentiam executivam applicat, ad medium jam electum exequendum, & sic est usus.

8. Cum autem, ut sæpè dictum est, ab Intellectu dependeat Voluntas in suis actibus, tanquam à sibi proponente objectum; objectum verò non semper determinatum sit; hinc est, quod præter simplicem cognitionem, quæ necessariò, quemcunque voluntatis actum debet præcedere, necessarius est, præcipuè circa media, Intellectus actus, determinans ipsum objectum, qui consilium dicitur, quo Intellectus inquirit congrua media, & quòd eligendum sit, judicat, ac determinat.

Rursùm etiam, quia voluntatis appetitus rationalis est omninò sequens rationis ductum, & directionem; in ipsa executione, alio indiget actu Intellectus, quo dirigatur; & hic vocatur imperium. Quæ omnia mox singulatim explicabimus.

§. II. *Ex-*

§. II. *Explicantur singuli actus, & per illos voluntatis processus.*

SUMMARIUM.

1. *Differentia inter simplicem volitionem, & intentionem.*
2. *De ultimo fine formali potest esse volitio, non autem intentio.*
3. *Non est necesse, volitionem, & intentionem semper esse duos actus, entitativè distinctos.*
4. *Actus proprius circa finẽ potest esse circa media, & è contrà.*
5. *Ex intentione finis, excitatur intellectus, ad inquirenda media.*
6. *Explicatur quid sit Consilium.*
7. *Consilium sequitur consensus.*
8. *Post consensum, & mediorum approbationem iterùm consulit intellectus, quòd nam determinatè sit eligendum.*
9. *Consensus, & electio possunt in eodẽ reali actu identificari, nec tunc requiritur novum consilium.*
10. *Præcipuè si unicum tantùm occurrat medium.*
11. *Discrimen intèr consensum, & electionem.*
12. *Ad executionem requiritur, Imperium ipsam dirigens.*
13. *Tria dicit Imperium; Directionem, Intimationem, & Motionem.*
14. *Motivam vim participat intellectus à voluntate; undè Imperium est actus intellectus, præsupposito voluntatis actu.*
15. *Quomodò imperium voluntati attribuatur.*
16. *Imperium sequitur usus activus.*
17. *In latiori acceptione, quæcunque potentiæ applicatio, usus dici potest.*
18. *Fruitio tria importat.*
19. *Propriè de solo est ultimo fine, esse tamen potest imperfectè de intermedio.*
20. *Licèt multoties prædicti actus in eodem conveniant materiali, formaliter semper distinguuntur.*
21. *Explicatur totum exemplo.*

1. HÆC igitur est differentia inter volitionem, & intentionem;

H quòd

quòd volitio est simplex cōplacentia de fine proposito, inefficax tamen, & præscindens ab ejusdem assecutione; intentio verò est efficax voluntas ipsius finis, & consequenter cùm ordine ad media, quibus finem ipsum consequi potest; qui enim efficacitèr aliquid vult, ex consequenti vult omne id, quod ad ejus consecutionē necessarium est. Id autem non ità intelligendū, quod intentio finis respiciat semper explicitè determinata media, sed ut plurimùm implicitè, & in communi, cujus evidens est signum, quòd ex hac efficaci voluntate, & intentione finis, movetur & excitatur intellectus ad mediorum inquisitionem.

2. Aliqua hic brevitèr notanda occurrunt. Et primò, quòd volitio potest quidem esse de ultimo fine formali, scilicet Beatitudine, ut sic; intentio autem non: efficax enim appetitus, qualis est intentio, ferri non potest in rem omninò communem, & ab omni subjecto abstractam; siquidem efficax appetitus respicit finem, ut cùm effectu assequibilem; assequibilis autem non est in abstracto. Verū tamen est, non requiri ad appetitum etiam efficacem, & intentionem, quòd ipsa Beatitudo explicitè, & formaliter, materiali fini applicata proponatur, sed sufficit, quòd virtualiter, & implicitè: v. gr. potest quis in nullo particulari bono, completam sui Beatitudinem, perfectionemque recognoscens, ad ipsam perfectam Beatitudinem appetendam, illamque efficaciter intendendam excitari, absque eo, quòd percipiat, vel determinet, in quonam ista perfecta Beatitudo consistat; tunc ergò explicitè nil aliud quàm Beatitudinē in communi intendet; non tamen omninò in abstracto, sed in illo perfecto bono, in quò ipsa beatitudo reperitur, quod quia notum adhuc illi non est, non potest formaliter, & explicitè intendere, benè verò virtualiter, & implicitè; undè, & ad illud inquirendum movetur.

3. Deindè notandum cum Magist. Serra *prima 2. quæst.* 15. *art.* 3. quòd non sem-

ſemper eſt neceſſe, volitionem, & intentionem, duos actus eſſe realiter, & entitativè diſtinctos; at quandoque ſimul poſſe identificari; putà ſi quis ad propoſitum bonum, ſtatim ad illud efficaciter aſſequendum moveretur, eſſet nihilominùs tunc actus ille virtualiter duplex cum prioritate naturæ. Ideò enim Voluntas ad intentionem, & efficacem appetitũ boni movetur, quia ſibi placet, quod pertinet ad ſimplicem volitionem.

4. Demùm adverte, quòd hujuſmodi actus, imò & fruitio ipſa, de qua ultimò dicemus, cùm ſit ultimum in proceſſu voluntatis; hujuſmodi actus inquã, non ſolùm de ultimo fine ſimpliciter, & abſolutè, verùm de finibus quoque intermediis, dari aliquo modo poſſunt. Sicut è contrà de fine ipſo, actus proprii circa media, ut infra explicabimus.

5. Itaque Voluntas efficaciter finem intendens, excitat Intellectum ad inquirenda media ad ipſius finis aſſecutionem conducentia; hinc Intellectus conſiliatur, inquirendo, & judicando, quænam convenientia, & proportionata ſint ad finẽ. Conſilium enim, ut ait Cajet. *prima 2. quæſt.* 14. *art.* 1. Significat inquiſitionẽ completam, ideſt uſque ad judicium incluſivè. Patet enim, quòd etiam in civilibus, & politicis, vel quibuſcunque humanis tractatibus, conſilium non cenſetur completum, uſque dum ad judiciũ, ſententiam, ſeù deliberationem reſolutivam non perveniatur.

6. Sic igitur definiri, & deſcribi poteſt conſilium, ut ad præſens attinet. Inquiſitio, & judicium rationis practicæ circa media à nobis apponenda, quando res eſt dubia, & alicujus momenti. Dicitur judicium circa media, ut enim ait Philoſophus 3. *Ethicor.* cap. 3. Conſultamus non de fine, ſed de his, quæ ad finem tendunt; nam neque medicus, an ſanare, neque Orator, an perſuadere, neque politicus an bonis legibus Civitatem temperare debeat; neque ex aliis quiſpiam de fine conſultat, ſed omnes, cum finem quendã ſta-

ſtatuerint, quomodò, aut per quæ eum conſequi poſſint, deliberant.

Additur, quæ à nobis apponenda ſunt; conſilium namque ſolùm eſt circa ea, quæ à nobis aguntur, ſeù curæ, ac dominio noſtro ſubjecta ſunt; Galli enim, ait Gonet, non conſulunt, quomodò. Indi vivere, aut negotiari debeant.

Denique ſubditur, quando res eſt dubia, ſeù alicujus momenti; nam acta conſilio non indigent, ac de parvis non eſt conſultatio, nec vir prudens de illis eſt ſollicitus, parùm enim, vel nihil refert, quòd ſic, vel ſic agantur, aut contingant; undè proloquium. De minimis non curat prætor.

7. Conſilium, ſcilicet inquiſitionem, & Judicium Intellectus, ſequitur conſenſus voluntatis approbantis media, quæ, ut ad finem conducentia, ſibi ab intellectu proponuntur; eſt enim conſenſus complacentia, & adhæſio quædam voluntatis ad id, quod intellectus judicat expediens.

8. Quia verò, adhuc approbatis mediis propoſitis, tanquam convenientibus, determinandum reſtat, quod nam ipſorum convenientiùs ſit, ac utiliùs; iterùm conſulit Intellectus, & judicat, medium ipſum determinando, & voluntati proponendo, quæ rationis ductum ſequens, ipſum eligit, ac vult executioni mandari.

9. Ubi notate, quòd ſicut de volitione, & intentione dictum eſt; conſenſus quoque, & electio poſſunt quandoque in eodem reali actu identificari, & ſolùm formaliter diſtingui; putà ſi ſi ex pluribus mediis unum tantùm judicetur aptum, & conveniens, quarè ait Sanctus Doct. *prima 2. quæſt. 15. art. 2. ad 3. Si inveniatur unum ſolùm, quod placeat, non differunt re conſenſus, & electio, ſed ratione tantùm; ut conſenſus dicatur, ſecundùm quod præfertur his, quæ non placent*. Undè in tali caſu, nec requiritur aliud rationis judicium ad electionem, ſed ſufficit judicium præcedens conſenſum, quò ſcilicet Intellectus judicat medium illud unicum conveniens, utile, & neceſſarium ad

finis

finis consecutionem.

10. Quod pariter dicendum videtur si unicum tantùm absolutè occurrat medium intellectui, quamvis enim electio secundùm se importet comparationem plurium, ex quibus unum cæteris præferatur; in casu tamen, & defectu plurium, adhuc illud unum occurrens dici potest eligi, absque ullo respectu, vel comparatione ad alia. Sicut electores convenientes ad eligendum Regem, aut Prælatum, si illis unus tantùm eligibilis occurreret, verè in ipsum convenientes dicerentur eligere.

11. Hæc igitur est præcipua ratio, & discrimen inter consensum, & electionem, quòd consensus est simplex complacentia mediorum, seù inefficax, & præscindens ab executione; quod patet, dum plura media placent, de quibus omnibus adest consensus, non verò efficax voluntas, & appetitus; quinímò ad efficacem voluntatem, executionem respicientem expectatur adhuc judicium intellectus dictans, quod nam ex illis eligendum sit, quò habito, relictis cæteris, efficaciter vult, ac eligit voluntas illud, quod Intellectus, ut convenientiùs, proponit. Electio ergò est efficax volũtas exequendi mediũ conducens ad finem; eo prorsùs modo, quò volitio est simplex, & inefficax cõplacentia de fine, intentio verò efficax voluntas illum consequendi.

12. Supposita demùm efficaci medii electione, procedit Voluntas ad executionem ipsam; cumque, ut sæpè dictum est, rationis ductum sequatur; indiget alio actu intellectus dirigente ipsam executionem, qui dicitur Imperium; non enim, ut aliqui putant, sufficit ad hoc judicium practicum electionem præcedens; tale namque judicium non proponebat media, nisi ut eligenda, vel si etiam, ut exequenda; ipsam tamen executionem non respiciebat, nisi ut futuram, & quasi distantem. Undè sufficiens non est ad regulandã ipsam actualem executionem, sicut ad hoc, ut Princeps actualiter dirigat subditorũ operationes, non sufficit,

quòd

quòd judicet, ac determinet, quid ipsis agendum sit, sed requiritur, quòd illis intimet, ac præcipiat, maximè propter difficultatẽ, quæ in operis executione reperitur.

Sicut ergò, quia in executione ipsa, nova se offert difficultas, non sufficit quæcunque efficax voluntatis electio, sed requiritur novus actus, quò potentias executivas moveat, & applicet, qui dicitur usus, de quò statim: Ita eadem ratione requiritur novus Intellectus actus, qui prædictam regulet motionem, & applicationem, & hic dicitur Imperium; constat siquidem experientia, multos optimè, ac facillimè judicare, consiliari, & eligere, at in executione deficere.

13. Tria verò includit, & dicit Imperium; directionem, intimationem, & motionem. Et quidem, etiam admisso, ad directionẽ executivam sufficere judicium regulans electionem; illud certè intimationem non includit; Solùm enim proponit convenientiam medii cum fine per modum simplicis enunciationis; Imperium verò per modum præceptivæ, & impulsivæ intimationis, quod perindè judicium practicè practicum appellari solet. Judicium, inquam, nam etsi formaliter imperium, v. g. Fac hoc, judicium non sit, de cujus ratione est enunciatio, virtualiter tamen judicium includit; æquivalet enim huic judicio. Hoc tibi faciendũ est; cui tamen addit præceptum, & intimationem.

14. Quamvis autem absolutè movere, præcipuè ad exercitium, & executionẽ, propriè ad voluntatem spectet, in qua ratio dominii residet, ac potestatis; hanc tamen vim ab ipsa voluntate participat intellectus per efficacem electionem, qua vult, media executioni mãdare; & indè movet intellectum ad imperandam executionem ipsam, quod non potest de se præstare; cùm imperium ordinationẽ importet, denunciationem, & intimationem. quæ voluntati competere non possunt.

Intellectus ergò propria virtute ordinat, denunciat, & intimat; sed virtute à volun-

luntate participata movet ad executionem. Undè optimè ait S. Doct. *prima* 2. *q*. 17. *art*. 1. quòd imperium est actus rationis, præsupposito actu voluntatis, efficaci nempè intentione finis, & electione mediorum.

Quarè dùm, quandoquè dicitur, quòd Voluntas est illa, quæ imperat, intelligendum est, ut advertit Gonet tract. *de Act. hum*. cap. 8. §. 2. de imperio largè, & impropriè sumpto, prout idem significat, ac movere in finem. Vel certè; quòd imperat causaliter, & originativè, quia nempè ipsa Voluntas movet Intellectum ad eligendum actum imperii. Quomodo etiam dici solet, quòd charitas imperat actus aliarum virtutum, quia scilicet ex intentione charitatis omnes virtuosi actus ad ipsum Deum summum bonum ordinãtur; qui est charitatis objectum. Vel etiam, quòd actus cujuscunque virtutis, vel vitii imperat actum alterius, putà cùm quis fornicatur, ut furetur, furtum dicitur imperari à fornicatione, quia scilicet ex intentione fornicandi talis movetur ad furandum. Sic ergò breviter describi potest imperium. Ordinativa intimatio alicujus operis exequendi cum motione quadam.

16. Sequitur imperium alius voluntatis actus, qui usus activus dicitur, quò voluntas movet, applicatque in exercitio potentias executivas ad actum imperatum; putà post quam Intellectus imperando intimavit. Eas ad Ecclesiam, Voluntas movet pedes ad ambulandum.

17. Quamvis autem in strictiori acceptione usus tantùm dicatur actus ille, quo post imperiũ ad actualem executionem proceditur; tunc enim propriè aliquo uti dicimur instrumento, cùm illud actualiter exercemus; ad actuale autem exercitium nõ procedimus, nisi post imperium; omnes enim præcedentes actus, nõ actualem executionem respiciunt, sed potiùs ad illam præparatorii sunt. Nihilominùs in latiori acceptione usum quoque dicere possumus, quamcunque potentiæ applicationem; sicque

que usus etiam dici potest actus, seù motio, quo Voluntas applicat Intellectum ad consulendum, inquirendum, judicandum, & hujusmodi.

18. Denique per mediorum appositionem sequitur ipsius finis assecutio, quo habito, quiescit quodammodò voluntas, gaudet, ac delectatur de ipso, in quò propriè consistit fruitio; cũ enim tria fruitio importet, amorem, possessionem, & delectationem; qui aliquod amat objectum, illud verò non possidet, eò frui non potest, sed benè desiderare; si verò amet rursum, & possideat, de eò autem non delectetur, neque propriè illo fruitur; sicut potionem sumens amaram, quam ob sanitatem desiderat, illa certè non fruitur. Propriè igitur fruitio est delectatio de bono amato, & possesso.

19. Quod licèt ultimo tantùm fini perfectè conveniat, qui solùm perfectè satiat, quietatque appetitum, nihilominùs fini quoque intermedio competere quodãmodo potest, cum etiam ipse terminans voluntatis motum aliquam ipsi afferat delectationem, & quietem, si non perfectam. Similiter, quamvis ultimus finis Deus ipse perfecta, & summa bonitas, non nisi in Patria clarè visus, perfectè possideatur, ac perindè absolutè satiet, & quietet; attamen in via quoque per amorem, & spem quodammodò possessus delectationem, suavemque dulcedinẽ justis affert, qui proindè illo; si non perfectè, aliqualiter, & ut ità dicam, initiativè frui dici possunt.

20. Ex dictis licèt colligere, multoties hujusmodi actus inter se confundi, seù potiùs in eodem materialiter identificari, quamvis formaliter semper diversi sint; cùm possit medium habere simul finis rationem, saltèm intermedii; undè actus idem, quo medium eligitur, prout est ratio eligendi adhuc medium aliud cõducens ad ipsius executionem, dici potest intentio. Ut autèm omnia ferè ad sensum innotescant, exemplo comprobemus.

21. Proponitur cuipiam æterna beatitudo summa, & per-

perfecta felicitas Paradiſi, placetque ipſi. En ſimplex volitio.

Hinc ejus amore, ac deſiderio incenſus ipſam pro priis viribus aſſequi efficaciter vult. En intentio.

Ex quò Intellectum applicat ad inquirenda media congrua. En uſus largè ſumptus.

Intellectus inquirit, & judicat, ad Beatitudinem conſequendam neceſſarium eſſe medium, Deo ex toto corde famulari, idque voluntati proponit. En conſilium.

Approbat Voluntas, illique benè placet Dei famulatus. En conſenſus.

Cumque unicum ſit medium propoſitum, ſimul efficaciter eligit, Deo famulari. En ſimul cùm conſenſu electio in eodem actu.

Cumque rursùm varia ſint nimis, ac diverſa, quibus Deo famulari quis poteſt, applicat iterùm voluntas Intellectum ad inquirēdum, quò medio, quà via congruentiùs Deo poſſit famulari. En iterùm uſus, & per conſequens actus, quo volvit efficaciter Dei famulatum, non ſolùm erit conſenſus, & electio, quatenùs Dei famulatum reſpicit, ut medium conducens ad beatitudinem, ſed ſimul erit intentio, prout eſt ratio eligendi hæc alia poſteriora media cōducentia ad ipſum Dei famulatum, qui ſimul medium quidem eſt reſpectu Beatitudinis;finis tamen licèt non ultimus reſpectu mediorum ad ipſum conducentium.

Inquirit ergò Intellectus, & judicat, bonum, ac utile nimis eſſe, Deo famulari, vel in Xenodochio proximis charitativè inſerviendo, vel in ſolitudine jejuniis,ciliciis, ac orationibus jugitèr ipſi Deo adhærendo, vel divini verbi prædicatione ſaluti animarum inſiſtendo. En iterum conſilium.

Volūtati hæc omnia placent. En conſenſus ſimplex.

Applicat iterum Intellectum, ut conſulat, quod nam ex his utiliùs expediat. En alius uſus.

Conſulit, & judicat Intellectus Xenodochii ſervitutem omnibus præferendam. En aliud conſilium.

Voluntas, cæteris omiſ-

ſis, efficaciter vult, Deo famulari, infirmis inſerviendo. En electio.

In cujus virtute intellectus imperat. Abi ergò, & fac. En imperium.

Quo Voluntas applicat pedes, manus, cæteraſque potentias executivas ad ſerviendum infirmis. En uſus propriè, & ſtrictè ſumptus.

§. III. *Aliqua ſpecialitèr de conſenſu, & Delectatione.*

SUMMARIUM.

1. *Nomine conſenſus intelligitur qualibet voluntatis complacentia judicium ſequens.*
2. *Conſenſus in rigore judicium exigit ſuperioris rationis.*
3. *Non poteſt dari conſenſus abſque advertentia, ſaltèm implicita honeſtatis, & divinæ legis.*
4. *Conſenſus duplex, expreſſus, & implicitus, ſeù interpretativus.*
5. *Imperfecti motus voluntatis, nomen conſenſus non merentur, niſi reductivè.*
6. *Inadvertentia ex negligentia levi, non ſufficit ad conſenſum interpretativum.*
7. *Si ex negligentia periculum ſit expreſſi conſenſus, negligens implicitè conſentire dicitur.*
8. *Tenetur in tali caſu, non ſolùm reſiſtere, ſed cauſas removere.*
9. *Quæ in benè habituatis. Levis eſt, in malè habituatis gravis eſt negligentia.*
10. *Si periculum deſit conſenſus, non tenetur quis, pias, & juſtas removere cauſas.*
11. *In aliquorum ſententia, præciſo periculo conſenſus, non peccat mortalitèr negligens, reprimere motus, & noxias delectationes.*
12. *Alii contra ſentiunt.*
13. *Media via utraque concordatur ſententia.*
14. *Delectatio quandoque generaliter ſumitur pro omni conſenſu.*
15. *Delectationis moroſæ nomine quid intelligatur?*
16. *Delectatio quando peccaminoſa, quando non, quando mortalis, quando venialis.*
17. *Ad peccatum non requiritur expreſſa advertentia ad malitiam, ſed ſufficit, quòd quis poſſit, & debeat.*

18. *Non*

18. *Non tenetur tamen, nisi aliqua saltē dubitatio præcedat; & excusatur, modò id non procedat ex injuria culpabili.*

19. *Non est peccatum, delectari de aliqua boni ratione in objecto malo reperta.*

20. *Aliud est, delectari de cogitatione, aliud de ipso malo objecto.*

1. INTER omnes enumeratos actus præcipuum locum tenet in moralibus consensus, quarè de ipso aliqua specialiter considerandа sunt. Omissis autem, quæ ad Metaphysicam pertinent speculationem: quoad moralem praxim, nomine consensus intelligitur quælibet complacentia volũtatis judicium sequens Intellectus, judicium, inquam nõ simplicem cognitionem, quæ ad quamcunque volitionem requiritur, ut ex dictis patet.

2. Quia verò in homine duplex est ratio, inferior scilicet, quæ habet judicare secundùm rationes humanas, seù potiùs temporales, putà commoditatis, delectationis, & hujusmodi, & superior, quæ secundùm rationes æternas, & divinas judicat, secundùm scilicet honestatem, & Divinam legem. Consensus propriè in rigore, & strictè sumptus, judicium exigit rationis superioris. Cum enim sit finalis sententia in ordine saltèm intentionis, si non actualis executionis, ut cum August. docet S.Thom. *prima 2. quæst.* 15. *art.* 4. *& alibi*, seù illam supponat; nam post consensum non restat aliud judicandum, nisi fortè circa modum exequendi sententiam, seù judicium jam prolatum; ad rationem superiorem tale judicium spectare debet. Etenim finalis sententia semper ad eũ pertinet, qui superior est, & ad quem spectat, de aliis judicare.

3. Indè colligi videtur, non posse in humanis dari consensum; nisi cùm advertentia ad actionis honestatem, & respectum ad legem Divinam: quod tamen intelligendum est conformiter ad dicta cap. 1. §. 3. & cap. 2. §. 2. Ità videlicet, ut nõ requiratur semper actualis, & expréssa advertentia,

sed sufficiat implicita, & virtualis. Nam, cum utraque ratio superior, & inferior eadem sit omninò intellectiva potentia, in qua residet habitus moralium principiorum, qui Synderesis dicitur, quique de se per actum; qui appellatur conscientia, ostendit, quid faciendum, vel non faciendũ sit secundùm honestatem, ac rectæ rationis regulam; ex hoc ipso, quòd exercentibus nobis, aliquam actionem, de ipsa non murmurat, illam virtualiter, & implicitè approbat.

4. Duplex ergò est consensus, alius expressus, dum Voluntas expressè adhæret, & complacet sibi de objecto per judicium proposito, & de hoc non est difficultas. Alius verò est cõsensus implicitus, & interpretativus; dum scilicet Voluntas, quãvis positivè objectum non amplectatur, non tamen illud rejicit, vel negligit, sed ab illo avertere; cùm possit, & debeat, & de hoc aliqua notanda sunt, ut judicare possimus, quando nam quisque censeri debeat implicitè consentire, vel non.

5. Ut autem ab incertis certa secernamus; *primò supponendum est, quòd licèt quæcunque voluntatis complacentia quodcumque rationis judicium sequens dici possit consensus; strictus tamen consensus non dicitur, nisi perfecta complacentia ex perfecta deliberatione supra jam explicata cap. 2. §. 1. Imperfecti autem volũtatis motus cum aliquo rationis judicio reducuntur quidem ad consensum; non enim ad aliam speciem reduci posse videntur; cum sint verò quid imperfectum in tali specie, nomen consensus non merentur. Hoc posito.

6. Certum est, quòd, si occurrente malo objecto, aut passionis motu insurgente, levis tantùm adhibeatur negligentia in repellendo ipsum objectum, aut motus reprimendo; consensus interpretativus dici non debet, ac per consequens culpa mortalis esse non potest.

7. Certum est ex alia parte, quòd, si ex negligentia periculum instet expressi consensus; ex hoc ipso, quòd

quòd quis negligat, implicitè consentire dicendus est, ac lethaliter peccare, si actus, vel objectum lethali malitia inficiatur. & negligentia levis non sit.

8. Imò in tali casu tenetur quis, non solùm omni conatu passionis motum comprimere, tentationes repellere, verùm, & causas removere, occasionesque fugere; putà, si quis ex confessionum audientia, vel turpium lectione, gratia quoque docendi, concionandi, aut alia pia, & justa causa, sensualitatis motus experiatur cum periculo consentiendi in turpem delectationem, tenetur ab audientia, & lectione desistere.

9. Quæ verò levis, aut gravis negligentia sit, potissimè pensandum est prudenter ex ipso periculo, & subjecti dispositione, ea nempè, quæ in benè habituatis levis est, in malè habituatis, ut plurimùm, gravis erit, & è contrà. Et hoc ideò, quia in his facilior est casus, & imminens periculum: quarè majori etiam conatu, & resistentia tenentur, se defendere, & adjuvare, nè pereant.

10. Difficultas est, an quando periculum deest expressi consensus, teneatur quis nihilominùs, passionis motus, aut imaginationes repellere, ità ut aliàs censeatur, implicitè consentire.

Dicendum autem in primis; non teneri quempiam removere justas, & pias causas, putà, abstinere à confessionum audientia, lectione, & hujusmodi, imò addit, & benè Azor. p. p. lib. 4. cap. 6. quod, si quis expertus sit, hujusmodi motus, aut imaginationes, eò magis roborari, & invalescere, quò magis eis conatur obsistere, & aliquando ex se minui, ac deficere; dum negliguntur; utique talis potest, aliqualiter negligere, nec tenetur, omni conatu repellere tentationes, vel motus comprimere, neque hoc in dubium revocandũ videtur. Idque colligitur ex D. Thom. 2. 2. *quæst.* 35. *art.* 1. *ad* 4.

11. Est autem, & graviorum DD. sententia, ut Sylv. Cajet. & aliorum assentientium; peccare quidem,

ſed non mortaliter, qui hujuſmodi cogitationes, motus, aut delectationes comprimere, ac repellere non curat, modò abſit omne periculum expreſſi conſenſus; quià licèt poſſit, non tenetur, non enim videtur, quà lege ad id compellatur.

12. Aliorum verò ſententia, & eſt Azor. loco mox citato, aſſerit, etiam nullo exiſtente periculo conſenſus, teneri quemlibet ad repellendum, & reprimendũ paſſiones, motus, delectationes. Ità ut, ſi non faciat, hoc ipſo implicitè conſentire ſit judicandus. Eò quia hujuſmodi motus, delectationes, & hujuſmodi de ſe alliciunt, ac trahunt voluntatem, quarè ad illas reprimendas, & exterminandas jure compellimur. Ubi nota, quòd licèt, ut prænotavimus, non teneatur quis, pias, & juſtas removere cauſas, in hac tamen ſententia tenetur, quantum poteſt, reprimere, & impedire motus ipſos, & paſſiones.

13. Media via in hac re, meo videri, procedendum. Ità nempè, quòd, cùm hujuſmodi motus, & delectationes, ut benè aſſerit ſecunda ſententia, de ſe attractivæ ſint voluntatis, ad minùs, ut in plurimùm, ſemper eſt periculũ, ac per hoc tenemur, illas compeſcere, aliàs implicitè conſentire videbimur.

Dato autem, quod ſit aliquis adeò benè diſpoſitus, & firmiter habituatus, ut nullo modo timeat de conſenſu; quòd certè nimis difficilè, experientia teſtante, perfectiſſimos quoſque turpiter lapſos; ni benè cauti fuerint in periculis, occaſionibuſque vitandis. Dato, inquam, caſu, poterit admitti prima ſententia, quòd ſic diſpoſitus, non reſiſtendo, ſed permittendo in ſenſu paſſiones, motus, delectationes, quamtumvis malas, & noxias, non plùs, quàm venialiter peccet.

14. Ex dictis facilè colliguntur, quæ circa delectationem dicenda eſſent, licèt enim propriè delectatio ſit quies in bono cognito præſenti, ut ex D. Thom. notat Sylv. V. delectatio; ſumitur tamen aliquando pro omni conſenſu, ſeù complacentia voluntatis, ut idem ſub-

ſubdit, imò, & ipſius ſenſitivi appetitus; & quidem parùm, vel nihil de voluntate reſtat dicendum. Quoad ſenſitivum verò appetitum, dicimus; in ipſo peccatum eſſe non poſſe, niſi accedente volũtatis expreſſo, vel implicito concurſu.

15. Notandum verò pro clariori notitia, quòd communiter nomine delectationis moroſæ intelligitur delectatio, ſeù complacentia de actu, vel opere cogitato abſque voluntate illud exequendi; & dicitur moroſa, non à mora diuturna, quòd ſcilicet per longum tempus duret; nam, & ſi quandoque hujuſmodi delectatio per diem duraret, abſque tamen advertentia rationis, non haberet delectationis moroſæ reatum, quantumvis malum eſſet objectum ipſius delectationis. Dicitur ergò moroſa, quia voluntariè, ſivè directè, ſivè indirectè, quis in ipſa immoretur, cum enim voluntatis requirat deliberationẽ, & non ſtatim poſſit voluntas deliberare, ab illa mora in deliberando, quamvis modica, delectatio moroſæ nomen acquirit. Vel fortè, quia ex deliberatione propriè genus moris ingreditur.

16. Si quis ergò, inſurgente inordinato motu in ſenſualitate, vel cogitatione turpis objecti, delectetur abſque ulla rationis advertentia ad objecti malitiam, quamvis per longum tempus hujuſmodi perſeveret delectatio, peccatum non eſt, ut colligitur ex S. Tho. *quæſt. 15. de verit. art. 4. in cor.* niſi fortè inadvertentia ex ipſius incuria, vel aliqua præcedenti voluntaria cauſa procedat, tunc enim voluntaria eſſet, & non excuſaret, juxta ſuperiùs dicta cap. 2. §. 1. & 2. Si verò advertere incipiat, prævalente verò paſſionis impetu; antequam plenè advertat delectatio proſequatur, peccatum erit veniale. At poſt plenam advertentiam, ſi ſtatim reſiſtat, quantum poteſt, virtus jam patet. Si verò conſentiat, & placeat ſibi talis delectatio, jam patet mortale peccatum; ſi actus, vel objectum ſit de ſe peccati mortalis. Si autem nec poſitivè conſentiat, nec reſi-

resistat, sed permittat delectationem, ex hoc ipso consentire videtur, ait Gajet. & docet S. Thom. eadem quæstione *art.* 4. ad decimum. Si demùm aliquam habeat negligentiam in rejiciendo, juxta negligentiæ quantitatem, graviter, aut leviter peccabit. Quæ omnia intellige juxta hic traditam doctrinam, & supra loco citato.

17. Ex quibus insuper collige, falsum esse, quod ait Bonac. disput. 2. *de pec. quæst.* 2. *pun.* 3. ad peccatum requiri expressam advertētiam, ità ut non sufficiat, quòd quis possit, & debeat advertere; hoc enim est contra communem Theologorum, & Philosophorũ consensum, qui unanimiter voluntarium indirectè confitentur, ut supra explicavimus.

18. Verum tamen est, quod ibidem subdit prædictus Auctor, nõ teneri quempiam advertere ad malitiã, nisi aliqua cogitatio, vel dubitatio saltèm de malitia, vel periculo malitiæ præcesserit, ac perindè talis inadvertentia excusabit à peccato, quia verè nec potest advertere, nisi aliquod habeat motivum; Verum, inquam est, si talis inadvertentia ex naturali sit oblivione; secus verò, ut optimè notat Azor. p. p. lib. 1. cap. 16. Si ex incuria, vel negligentia, seù alia quacunque voluntaria causa.

Et certè non ità facilè ab homicidio excusarem projicientem lapidem per fenestram, ut illum absolutè Bonac. excusat; nisi fortè adeò abstractus, ut naturali potiùs impulsu, quàm liberè, ac deliberatè projiceret, aliàs enim tenetur, ipsum periculum considerare, advertere, & præcavere, sicut pariter in venatione, aut alia simili actione.

19. Adverte autẽ, quòd aliquandò in malo esse potest aliqua ratio boni, putà in furto, aliqua nova, & subtilis inventio; tunc ergò, si quis delectetur voluntariè, adhuc expressè, non quidẽ de furto, sed de illo mirabili, ac subtili modo furandi, non erit peccatum mortale, imò nullum, si ex aliqua justa causa, & non ex pura vanitate delectationem velit,

lit, hujusmodi enim ferè natura sua delectationem pariunt, & voluptatem, ut benè ex Cajetano adnotavit Azor. p. p. lib. 4. cap. 6.

20. Denique advertendum ex D. Thom. pluribus in locis, & præcipuè *quæst. 15. de veritate art. 4. in corp.* circa delectationes, & consensũ in cogitationes; quòd ad cogitationẽ duplex potest sequi delectatio, & consensus. Delectamur enim quandoque in cogitatione propter ipsam cogitationẽ, ex qua nobis acquiritur aliqua cognitio rei cogitatæ. Sicut cogitans de fornicatione delectari potest, cognoscendo ejus quidditatẽ, circunstantias, & accidentia, talisque delectatio, quantùmcunque malum sit objectum cogitationis peccatum non est, sed laudabilis delectatio; bona siquidẽ est cogitatio, & inquisitio veri; ac per consequens delectatio de tali cognitione.

Si autem sit ibi aliqua immoderantia, continebitur sub peccato curiositatis, quod secundùm se veniale peccatum est, nisi fortè periculum esset consensus in malum cogitatum: Qui est alter consensus, & delectatio, quæ sequi potest ad cogitationem, scilicèt ex parte ipsius rei cogitatæ, & hæc in idem genus coincidit, cum delectatione actus, seù objecti cogitati, puta fornicationis.

In hujusmodi ergò delectationibus attendendũ est, quid voluntatem, & affectum alliciat, & moveat; si enim sit ipsa res cogitata, delectatio mala, vel bona erit juxta bonitatem, vel malitiam ipsius objecti; Si autem sit ipsa cogitatio, & cognitio, bona semper erit, quamvis malum cogitationis objectum, nisi adsit immoderatio; vel periculum consentiendi in malum ipsum objectum.

CAPUT IV.

De Multiplici Bonitate, ac Malitia humanorum actuum.

§. I. *A quo Bonitas, vel Malitia humanorũ actuum desumatur.*

SUMMARIUM.

1. *Desumitur primò Bonitas, vel Malitia à regula, sivè intrinseca; sivè extrinseca. Secundò à Voluntate, tertiò ab objecto, quartò à circunstantiis.*
2. *Potest idem numero actus plures habere specie distinctas bonitates, vel malitias.*
3. *Quomodò id stare possit, explicatur exemplo rerum naturalium.*
4. *Potest idem actus successivè bonus, & malus esse; tunc autem discontinuatur moraliter.*
5. *Potest etiam simul bonus, & malus esse, prout à diversa procedit Voluntate.*
6. *Impossibile est, eundem numero ab eadem Voluntate simul esse bonum, & malum.*
7. *Id comprobatur exemplo naturalium, & artificialium.*
8. *Displicet hoc aliquibus propter varia, quæ afferunt incommoda.*
9. *Bonum opus aggrediens cum prava intentione nullam habet bonitatem, quousque à pravo non recedat affectu.*
10. *Aggrediens autem cum recta intentione, si in exercitio aliquid mali subrepat, non privatur prima bonitate, inficitur autem actus pro illa mora.*
11. *Etiam admisso, posse actum vitiatum dici secundùm quid bonum purè moraliter, nullius est meriti coram Deo.*
12. *Opus bonum tuta intentione aggressũ, si in exercitio distrahatur, non admittit meritum præcedentis intentionis, nisi pro illa morula, qua culpabiliter est distractus.*

1. Mul-

1. MULTA quidèm sunt, à quibus humanorum actuum bonitas, vel malitia moralis desumitur. Primò ab ipsa regula, & mensura, cui commensurari debent; hæc autem duplex est, intrinseca videlicèt, & extrinseca; Prima est ipsa humana ratio, quæ proximè actus dirigit; Secunda est lex, quæ pariter multiplex est, ut suo loco explicabimus. Deindè à voluntate dependet bonitas, vel malitia, tanquam à causa, & principio effectivo, & movente; Non est enim actus bonus, vel malus moraliter, nisi in quantùm à libera Voluntate dimanat. Tertiò dependet ab objecto ipsius actus, qui bonus, vel malus dicitur, juxta bonitatem, vel malitiam objecti. Quartò demùm à circunstātiis, de quibus infra suo loco.

2. Hinc fit, quod unus, & idem numero actus plures habere possit bonitates, vel malitias, adhùc specie distinctas; putà dum quis jejunat, ut pro alio satisfaciat, duplicem habet ejus jejuniū bonitatem specie distinctā; abstinentiæ videlicèt, & misericordiæ, vel charitatis; at dum quis, v. gr. in Ecclesia fornicatur, duplici omninò specifica malitia deformem actum elicit, scilicet intemperantiæ, & sacrilegii.

3. Quomodò autem id stare possit, explicatur exēplo rerum naturalium. Sicut enim quælibet res in sua propria, & determinata specie essentialiter constituitur, ità ut implicet, quòd aliam speciem pariter essentialem sortiatur; cum quò tamen stat; quòd in pluribus aliis accidētalibus speciebus collocari possit, v. gr. Petrus essentialiter est in specie hominis taliter, quòd nullius potest alterius esse speciei essentialiter; benè tamen accidentaliter, putà in specie coloris, caloris, figuræ, quantitatis &c. & sic verè Petrus dicitur homo albus, candidus, rectus, magnus; ità tamen, ut sola hominis denominatio sit illi essentialis, cæteræ omnes accidentales: ità humanus actus nō potest quidem esse in duplici specie bonitatis, vel malitiæ essentialiter; benè verò in una essentialiter, in

alia, vel aliis accidentaliter.

4. An autem idem numero actus possit esse in duplici specie moralitatis, quarum una sit bonitatis, alia malitiæ; inter alios egregiè satis expendit Mag. Medina *prima 2. quæst. 19. art. 1. & quæst. 20. art. 6.* Cum quò breviter dico. Certum esse in primis, eundem numero actum posse quidem successivè bonum esse, & malum; quod patet manifestè pluribus exemplis; putà si quis velit feria quinta moderatè carnes comedere, protrahatque voluntatem hanc usque post mediam noctẽ, aut volens celebrare Missã in hac voluntate perseveret, postquàm Ecclesia interdicta est, aut similibus. Verum tamen est, quòd tunc actus, licèt unus numero in esse naturæ, moraliter discontinuatur, & fit multiplex; non enim potest idem numero in diversis, imò contrariis esse speciebus.

5. Secundò item certum est, quòd idem numero actus, prout à diversa voluntate procedit, potest simul esse bonus, & malus, ut pluribus quoq; patet exemplis; Passio enim Christi Domini optima fuit respectu Volũtatis ipsius Christi patientis; pessima verò, ut à Judæis illata. Item eleemosyna facta per servum à Domino imperante recta intẽtione bona est, ut ab ipso Domino; mala verò, si ab ipso servo ad vanã gloriam seù alium vitiosum finem tribuatur.

6. Tandem dicendum. Impossibile est, unum, & eundem actũ respectu ejusdem Volũtatis bonum simul & malum esse, putà bonum ex objecto, & malum ex circunstantia, v. gr. eleemosyna propter vanam gloriam dici non potest bona, quoad substantiam, & ex proprio objecto, & mala tantùm ex circunstantia finis.

Hocque probatur. Tum quia bonum, & malum contraria sunt; tum quia, sicut intellectus non potest simul esse verus, & falsus, ità nec Voluntas bona simul, & mala. Tum demùm, quia bonum, ut cõmunitèr ex Dionys. inquiunt Theologi, consurgit ex causa integra, malum autem ex quocunque defectu; Undè, ex quocum-

cumque vitietur actus, absolutè, & simplicitèr malus est, nec potest dici bonus, quamvis aliàs ex mille titulis bonitas ipsi offerretur.

7. Id potest insuper comprobari ex naturalibus, & artificialibus. Opus namque servans cunctas regulas artis, ab una verò deficiens, absolutè non dicitur benè artefactum, sed malè. Corpus item animalis per quācunque humorum, vel congruæ dispositionis intemperiem, non sanum, sed ægrum absolutè dicitur. Ità humanus actus, quomodocunque à recta ratione deficiat, absolutè malus dicitur.

Quòd si contendas, posse utique artefactum dici benè constructum ex parte, & malum item ex alia parte; corpusque sanum simul, & ægrum secundùm diversas partes, putà sanum in oculo, ægrum in pede; hoc certè nos quoque dicimus de actu materialitèr, & entitativè sumpto, ut mox dicebamus. Cæterùm de eodē actu, pro eadem parte, seù morula, dici nequit; sicut non potest oculus dici sanus, si aliquem patiatur defectum, quamvis non totaliter sit Cæcus. Eò, vel maximè, quòd in moralibus, quælibet mala circunstantia totum inficit actum; hoc autem ideò; quia ipsa circunstātia inficit quoque objectum, quod non terminat Voluntatem nudè sumptum, qualiter bonum esset; sed tali circunstantia vestitum, quæ illius destruit bonitatem. Et hæc expressa, & constans est D. Thom. sententia pluriumque gravissimorum DD.

8. Displicet nihilominùs aliquibus hæc sententia, quia multa, & nimis dura videtur secum ferre incommoda, parùmque humanæ fragilitati accommodata. Si enim ex quocunq; defectu, etiam veniali totus actus vitietur, totamque amittat bonitatē, ac meritum; vix dabitur in humanis actus bonus, & meritorius; rarissimè namque homines in ipsis bonis operibus absque ulla prorsùs negligentia, & abstractione, levitèr saltèm culpabili, se gerunt; Undè Isajæ 64. *Facti sumus, ut immundus, omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ Justitiæ nostræ*. Propter hæc nihil-

nihilominus, & alia, quæ adduci possent, recedendum non est à vera, & firma sententia; cujus tamen duritiem aliqualiter emolliemus.

9. Notando, quòd, si quis bonũ opus aggrediens, in ipsa prima intentione operandi aliquid noxium admisceat, putà si ad vanam gloriam velit, eleemosynam dare; certè nullum habet meritum, vel bonitatem opus ejus, quò ad usque ab hoc pravo affectu non recedat. Voluntas namque absolutè malum habet objectum, quòd licèt præcisè, & secundùm se bonum sit, prout verò hic, & nunc à Voluntate appetitur, non fertur ipsa Voluntas in illud nudè sumptum, sed cum tali circunstantia, & ut sic malum est; eleemosyna siquidẽ v. gr. ut ad vanam gloriam ordinata utique mala est, & ut sic objectum est hujus Voluntatis.

10. Si quis verò bona, & recta intentione opus aggrediatur, & velit, quamvis in ipso exercitio incuria, distractio, aut inanis gloria subrepat; id meritum non adimit, nec bonitatem præcedentis intentionis, inficit benè, ac bonitate privat actum pro illa morula, quà ipse inanis gloriæ affectus, vel distractio, & negligentia voluntariè, & culpabiliter perseverat. Quarè tunc actus iste moraliter discontinuatur, nec unus numero est, sed multiplex, licèt in esse entis, & naturæ unus, & idem sit, adminùs quoad actum externum, quoad actum verò Voluntatis internum, potest nedum moraliter, sed etiam naturalitèr, & entitativè diversus esse; putà dum quis bona intentione incipit opus, & posteà ad vanam gloriam declinat; duplex omninò est actus, quò voluit opus, & quòad inanem gloriam ipsum ordinavit.

11. Quidquid autem sit de pura bonitate morali; adhuc admisso, quòd actus aliàs bonus, per aliquam circunstantiam vitiatus, dici posset adminùs secundùm quid bonus, ut contendunt oppositæ sententiæ assertores, licèt simpliciter malus; parùm enim ad nostrum intentum; certè ex ipsis quoque, ferè omnes cõsentiunt, hu-

hujuſmodi actus meritorios nõ eſſe corã Deo, quoad meritum ſaltèm æternæ vitæ; ad hoc enim, ut capite primo §. 3. notavimus, requiritur, quòd ex charitate procedant, & ad ipſum Deum ultimum ſupernaturalem finem ordinentur; cum autẽ actus iſti peccata ſint, venialia ſaltèm, ex charitate nullo modo procedere poſſunt, nec ad ipſum Deum ſunt referibiles.

Quod tamen convincere videtur, prædictos actus omni carere bonitate, adhuc pure morali: nam ad hanc quoque, ut ibidem notavimus, requiritur, quòd actus ad ultimum finem, ſaltèm naturalem, ordinentur, hi autem actus, cùm ſimpliciter mali ſint, ut communiter admittitur, & per conſequens ab ipſo ultimo fine etiam naturali declinent; nõ videtur, quomodo ad ipſum ſint ordinabiles. His non obſtantibus.

112. Adde ad Fidelium conſolationem. Quòd bonum opus recta intentione aggreſſum, putà recitans Roſarium, vel Divinum Officium; quamvis in ipſa recitatione diſtrahatur, modò non ſit diſtractio expreſsè, ac directè voluntaria, ſed ſolum indirectè per quandã negligentiam repellendi vanas, & diſtractivas cogitationes, & recolligendi mentem; hæc diſtractio non obſtat, quin præcedens recta intentio virtualiter ſaltèm perſeveret; imò & quin ſæpè ſæpiùs recurrat actualiter. Undè talis habet meritum præcedentis intentionis, & inſuper actualis Voluntatis recurrentis; amittit verò meritum pro illa morula, quâ diſtractio, abſque recurſu rectæ intẽtionis culpabiliter perſeverat.

Quarè propter velocitatem, ac ferè inſtantaneum voluntatis motum, in eadem recitatione centies, & millies reiterari poteſt actualis intentio, & ex illa effici meritoria, quamvis item centies diſtractio irrepere, ac negligentia, & indè pro illis morulis meritò carere.

§. II. De

§. II. *De Bonitate, & Malitia interioris, & exterioris actus.*

SUMMARIUM.

1. *Nomine interioris, actus intelligitur Voluntatis; exterioris verò alterius potentiæ.*
2. *Distinctio Bonitatis, & Malitiæ objectivæ, & formalis.*
3. *Tripliciter actus externus ad internum Voluntatis comparari potest.*
4. *Externo actui negari non potest aliqua intrinseca Bonitas, vel Malitia formalis.*
5. *Ratione id suadetur.*
6. *Bonitas, & Malitia ex objecto, & circumstantiis priùs est in actu externo, quàm interno.*
7. *Si admittatur intrinsecè Bonitas, vel Malitia in objecto, multò magis in actu, etiam externo.*
8. *Legis dispositio non est extra sphæram attingibilitatis passivæ potentiarum externarum.*
9. *Instrumentum, ut motũ à principali agente, activè attingit effectum suam virtutem excedentem.*
10. *Omnis effectus ordinem dicit ad suam causam finalem, qualis est objectum respectu actus etiam externi.*

1. INtelligimus hic nomine actus interioris, actum ipsius Voluntatis, nomine verò exterioris actum cujuscumque alterius potẽtiæ à Voluntate motæ, sivè internæ, sivè externæ; vel etiam ipsorum membrorũ. Est autem inter DD. difficultas, an tota bonitas, & malitia moralis intrinsecè tantùm sit in ipsa Voluntate, seù actibus ejus, in cæteris verò potentiis, ac membris, & actibus eorum solùm extrinsecè, ità ut boni tantùm, vel mali denominentur à bonitate, vel malitia ipsius voluntatis; ac per consequens actus ipsi externi bonitatem, vel malitiam nõ addant supra bonitatem, & malitiam actus interni. Pro cujus elucidatione.

2. Recolenda est in primis distinctio bonitatis, & malitiæ, quam ab initio tetigimus; quòd scilicèt alia est

est objectiva, quæ consistit in ipsis rebus, & objectis, quatenùs conformitatem; vel dissonantiam habent cũ lege; alia verò est bonitas, & malitia formalis, quæ cõsistit in actibus talia objecta attingentibus; Sicut veritas objectiva est in rebus ipsis; formalis verò in Intellectu.

3. Deindè notandum: tripliciter comparari posse actum externum ad internum voluntatis. Primò tanquàm objectum ipsi Voluntati propositum, & ab ea volitum; & ut sic certum est, quòd non habet, nisi bonitatem, vel malitiam objectivam, sicut cætera objecta. Secundò tanquàm effectus imperii, & motionis ipsius Voluntatis; Prout scilicet elicitur à potentia mota per ipsam Voluntatem. Tertiò demùm, ut simul cùm actu Voluntatis proprium attingit objectum, neque cum illo ponit in numero, sed unus, & idem actus moraliter censetur. His positis.

4. Ut quò breviùs fieri potest, nos expediamus ab hac difficultate, quam fusè nimis in tractatu *de pec.* disputavimus: non videtur, posse negari actui externo, sivè cõsideretur, ut effectus, sivè ut unus, & idem actus cum interno Voluntatis, aliqua intrinseca bonitas, vel malitia formalis. Quidquid sit, an ipsa bonitas, vel malitia moralis sit quid reale, vel rationis, de quò nolumus disputare.

5. Omissis autem reliquis, hac una ratione convincitur. Actus externus, sivè consideretur, ut effectus sivè ut constituit unum actũ cùm interno; non habet certè puram bonitatem, vel malitiam objectivam, sed formalem; non enim est purum objectum, sed veram dicit objecti attingentiam; quod est bonum, vel malum formaliter, & non purè objectivè. At bonitas ista intrinsecè convenit actui externo; ergò aliquam habet intrinsecam bonitatem, & malitiam. Probatur minor. Quælibet extrinseca denominatio provenit à forma, quæ in alio intrinsecè reperitur; Si ergò actus externus solùm extrinsecè diceretur bonus, vel malus, hæc extrinseca denominatio à bonitate, & malitia intrinsecè

in alio reperta procedere, necesse esset: non autem videtur assignabile, à quâ bonitate, & malitia possit provenire, nisi à bonitate, & malitia Voluntatis, ut asserunt negantes hanc intrinsecam bonitatem, & malitiam actui externo, vel certè à bonitate, & malitia objecti: neutrum dici potest.

6. Non primum, quia, ut sæpè docet S. Thom. bonitas, & malitia præcipuè ex objecto, & circunstantiis, per priùs est in actu externo, & ex illo ad internum derivatur; qui proindè intantùm bonus, vel malus est in quantùm bonus, vel malus est actus externus; putà ideò malum est, velle furari, quia furari, malum est, quomodò ergò actus externus denominari potest bonus, vel malus à bonitate, & malitia Voluntatis?

7. Neque secundùm. Nam, licèt verum sit, bonitatem, & malitiam actus, nedùm externi, sed & ipsius Voluntatis, dependere, & desumi à bonitate, & malitia objecti; Semel admisso, quòd in objecto bonitas ipsa, & malitia sit quid intrinsecum, non videtur, posse negari quid intrinsecum, etiam in actu, quòd sic ostēditur manifestè.

Nam sicut moralitas in objecto nihil addit supra entitatem ipsius, nisi ordinem, subjectionem, & connotationem legis, regulæ, ac rationis præcipientis, vel prohibentis, ità nihil addit actui quàm similem ordinem, & connotationem; ità ut sicut objectum ex hoc ipso, quòd legi subdatur, bonum, vel malū dicitu moraliter objectivè; ità quoque actus ex hoc ipso, quòd objectum cùm tali subjectione respiciat, bonus vel malus dicitur formaliter in genere moris. Non est autem assignabilis ratio, cur iste ordo, & subjectio sit quid intrinsecum in objecto, & non in actu etiam externo. Imò certè, si objectum intrinsecè afficit potiori jure actum, qui absque dubio intrinsecè objectum respicit, nec alitèr bonus, vel malus dicitur actus, quàm per ipsum respectum, & attingentiā boni, vel mali objecti.

8. Neque dicas, actum externum respicere quidem in-

intrinsecè objectum, non verò illius bonitatem, vel malitiam moralē; ad hoc enim requireretur, quòd illud respiceret, ut à lege dispositū; tota enim bonitas, & malitia moralis est per ordinē ad legis dispositionem; legis autem dispositio est totaliter extra sphæram attingibilitatis adæquatæ sensuum; non enim est sēsibile propriū alicujus sensus, neque commune. Actus ergò potentiarū sensitivarum nullā possunt habere intrinsecam bonitatem, vel malitiam, & multò minùs actus externorum membrorum.

Quamvis enim verum sit, legis dispositionem extra sphæram esse attingibilitatis activæ; non tamen attingibilitatis, seù potiùs ordinabilitatis passivæ dictarum potentiarum. Hoc autem ideò, quia oculus, v. gr. objectum attingit, ut motus, & applicatus à Voluntate; quæ quidem motio realis est, & per ipsam realiter à Voluntate oculus dependet. Undè, licèt virtute sua, & vi activa non attingat in objecto, nisi colorem; attamen, ut à Voluntate motus, & applicatus, ipsum objectum respicit etiam cum subjectione ad legem, quia cum hac subjectione ab ipsa Voluntate movetur, & applicatur.

9. Neque id mirum videri debet, cum instrumentum, ut motum à principali agente, non solùm passivè, sed activè, & effectivè realiter attingat effectum omninò propriam superexcedentem virtutem, ut dicitur in physicis. Quarè ergò potentia sensitiva per motionem realem voluntatis passivè saltèm ordinem dicere non poterit ad objectū, etiam ut legi subditū, quamvis lex omninò sphæram activitatis illius excedat? Hoc autem sufficit, ut actus ejus bonus, vel malus dicatur formaliter, saltèm in essendo, ut mox explicabimus.

10. Præterquàm quòd omnis effectus realem dicit ordinem ad suam causam etiam finalem à quâ realiter utique dependet; objectum autē est finis, propter quem est actus ipse externus; & non solùm objectum secundùm suam entitatem, sed ut legi subditum; finis enim

non causat, nisi secundùm quòd est in intentione, attrahendo Voluntatem, quæ taliter attracta movet alias potentias. Manifestum est autem, quòd Voluntas non trahitur, ac perindè, nec movet potentiam executivã per objectum nudè sumptũ, & absque subjectione ad legem; aliàs neque actus ipsius voluntatis moralis esset. Ipsum ergò objectum legi subditum, est causa finalis externi actus, quanquàm ratio finalizandi, & trahendi Voluntatem non sit ipsa legis subjectio, sed entitas objecti. Actus igitur externus objectum respicit cùm subjectione ad legem, & nõ purè, & nudè sumptum. Teneant hæc quantum possunt.

Sequitur Summarium.

11. *Actus externus ex propriis non addit bonitatem, vel malitiam supra internum.*

12. *Duplex bonitas, & malitia formalis; in essendo, & in merendo, vel demerendo.*

13. *Explicatur hæc distinctio proportionabiliter ad veritatem.*

14. *Licèt actus externus dici possit intrinsecè bonus, vel malus formaliter; Solus internus in merendo, vel demerendo.*

15. *Colligitur ex Sanctis Patribus.*

16. *Consonant Sacræ Paginæ.*

17. *Probatur ab inconvenienti.*

18. *Confirmatur ab inconvenienti alio.*

19. *Rejicitur quædam responsio.*

20. *Alia ratione ostenditur.*

11. HIS non obstantibus, præter Scotum, ejusque discipulos, constans est omnium ferè Theologorum sententia; actum externum præcisè, & ex propriis, nullam addere bonitatem, vel malitiam supra bonitatem, vel malitiam ipsius voluntatis. Pro cujus intelligentia.

12. Notandum, bonitatem, & Malitiam actus formalem duplicem esse, vel dupliciter considerari posse; scilicet in essendo, & in merendo, vel demerendo, quæ distinctio consistit in hoc, quòd bonitas, vel malitia in essendo dicit tantùm præcisè

cisè conformitatem, vel dissonantiam ad legem; ità ut actio legi conformis, ex hoc ipso formaliter bona sit, difformis verò mala: bonitas verò, & malitia in merendo, & demerendo, ultra conformitatem, vel difformitatem ad legem, dicit rationem voluntarii liberi, quà quis liberè actionem elicit legi conformem, vel difformem; tota namque ratio meriti, vel demeriti ex libera elicientia boni, vel mali actus desumitur. Patet siquidem, eundẽ actũ cum eisdem omninò circunstantiis ad meritum, vel demeritum imputari, si liberè eliciatur; Secus verò, si absque libertate; imò, & idem actus liberè elicitus, magis, & minùs meritorius est juxta majorem, vel minorem libertatem.

13. Nec fictitiam quis judicet hanc bonitatis, & malitiæ formalis distinctionem; ipsa namque veritas formalis eandem admittit, proportione servata. Constat siquidem veritatem enunciationis formalem esse, & non merè objectivã; consistit enim in adæquatione, & cõformitate ipsius enunciationis cum objecto, quod est, esse veram formaliter. Hæc tamen veritas non reddit Intellectum formaliter verum; Si præcisè, & secundùm se sumatur ipsa enunciatio, ad hoc enim requiritur insuper, quòd Intellectus assensum præbeat per judicium.

Licet autem pluries intellectus enunciet simul, & judicet, ut cum dicit. Homo est animal, ly, est, exprimente, non solùm connexionem, & copulationem extremorum, quæ est propria enunciationis ratio, verùm etiam assertionem, quâ Intellectus judicat, ità esse, quod pertinet ad judicium: aliquandò tamen distinctus est actus enunciativus à judicativo, ut patet experientia in dubiis; verè namque Intellectus enunciat, v. gr. Hoc est bonum, sed tamen suspendit Judicium.

Datur ergò duplex veritas formalis, putà in significando, quæ est propria enunciationis, & in asserendo, quæ est propria Judicii. Prima dicit præcisè conformitatem ad objectum; Secunda cõformitatem, & assen-

ſenſum; & hæc ſola Intellectum reddit formaliter verùm. Quæ doctrina eſt Jo. à S. Thom. *quæſt. 5. de enunciatione art. 1.* deſumpta ex Angel. Præcept. 2. 2. *q.* 173. *art.* 2. *& quæſt.* 12. *de Ver. art.* 7. Ità pariformitèr nos diſcurrimus de bonitate, & malitia; ut ex dicendis magis patebit.

14. Dicimus ergò, quòd licèt actus externus, dici poſſit intrinſecè bonus, & malus formaliter, ut ex dictis conſtat; ſolus tamen Voluntatis actus eſt intrinſecè bonus, vel malus in merendo, aut demerendo.

15. Colligitur manifeſtè aſſertio iſta ex innumeris penè SS. PP. teſtimoniis, & præcipuè S. P. Auguſt. qui non ſolùm primò *de lib. arb.* cap. 3. & refertur *de pœnit.* diſtinct. prima, inquit: quòd ſi quis habet Voluntatē concubandi cum Uxore aliena, & non datur facultas, coràm Deo, tàm reus eſt, atque ſi opere compleviſſet. Sed etiā Epiſt. 49. ad 4. q. exponens illud Matt. 7. *In quà menſura menſi fueritis, remetietur vobis*, ait: Ideſt in quà Voluntate feceritis remetietur vobis. Et addit in ſequentibus quòd Voluntatis affectus eſt menſura factorum, & meritorum omnium. Chryſoſt. quoque Hom. 26. in Matt. Medina *prima* 2. *q.* 20. *art.* 4. Sola Voluntas remuneratur pro bono, aut condemnatur pro malo, & Bern. epiſt. 77. Idem ibi. Quid pleniùs, quàm quòd Volūtas reputatur pro facto, ubi factum excludit neceſſitas? Reliqua apud Authores videnda relinquimus.

16. Satis etiam optimè conſonant Sac. Paginæ. Gen. enim 22. Abrahæ non mactanti filium, ſed mactare parato ait Deus. *Quia feciſti hanc rem, & non perpeciſti filio tuo unigenito propter mè, benedicam tibi.* Ubi Chryſoſt. Hom 47. Gonet man. tract. *de act. hum.* cap. 14. Quantùm ad Voluntatem cruentaverat dexteram Patriarcha, perfectumque obtulerat ſacrificium, & idcircò Dominus, quaſi ſacrificio re ipſa conſummato, laudat Juſtum.

Item Marc. 12. & Luc. 21. Chriſtus duo pauperis Viduæ minuta in Gazophylacium miſſa prætulit magnis divitum eleemoſynis. Ubi

Cypr.

Cypr.idem ibi. Cõsiderans, nõ quantùm, sed ex quanto dedisset, dixit Vidua ista plus omnibus misit in Dona Dei.

Et Matth. 5. *Qui viderit Mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*; Undè August. relatus in Sacris Canonibus *de Pœnit.* dist. 1. cap. si cui. *Non minùs reus est, quàm si in ipso facto deprehenderetur*.

Quæ omnia vera non essent, si externi actus aliquã haberent intrinsecam bonitatem, vel malitiam in merendo, vel demerendo. Plùs enim utique mereretur quis, vel demereretur, opus exequendo, quàm sola Voluntate faciendi. Ex quò.

17. Probatur ab inconvenienti assertio posita. Si enim externi actus intrinsecam haberent in merendo bonitatem, sequeretur, quòd nobis invitis, ab extrinseco agente adimi posset bona pars meriti, cum actus externi possint, nobis invitis, ab alio impediri; & idem dic de malitia, & demerito. Sicque volens, v. gr. dare eleemosynam, aut aliter indigenti succurrere, si ab alio detineretur, vel aliàs impediretur, magnam partem amitteret meriti; è contrà vim inferens Mulieri, si ex ejus resistentia consummare non posset, multò minùs demereretur, quàm si ea consentiente, vel ejus victa resistentia, fornicarium actum expleret. Quæ nimis absurda videntur, quod enim invitis nobis, accidit, vel minimum jota ad meritum, vel demeritum addere potest, vel demere.

18. Deindè. Nam si admittatur intrinseca bonitas, & malitia in exteriori actu hæc certè non potest esse eadem cùm bonitate, & malitia interioris; eadem enim forma non potest intrinsecè denominare plura subjecta, cum non possit in pluribus intrinsecè inhærere; deberet ergò esse distincta. Sed neque hoc dici potest.

Hæc siquidem bonitas, & malitia, vel esset æqualis, vel major, vel minor bonitate, & malitia interioris actus: non autem potest esse æqualis, nam sequeretur, quòd peccaret in duplum, qui actualitèr fornicatur ac ille, qui Voluntatem efficacem habens fornicandi, ab exe-

executione impediretur; neque poteſt eſſe major, aut minor, nam velle actum externum, ideò bonum, vel malum eſt, quia ipſe actus externus bonus eſt, vel malus,qui proindè totam ſuam bonitatem, vel malitiam in Voluntatem refundit. Non poteſt ergò actus bonus eſſe, vel malus, v. gr. ut tria, & Voluntas illum exequendi, ut duo, vel quatuor.

19. Neque dicas hujuſmodi bonitates, & malitias, diverſas quidem eſſe in genere entis, ſed eaſdem moralitèr; quarè opus non eſt illas diviſim ſumptas ad invicem comparare. Frivolum enim eſt hoc: nam licèt ejuſdem ad ſe ipſum ſecundùm eundem ſtatum, & gradum non ſit comparatio, benè verò ſecundùm diverſos. Præterquàm quòd non ſalvatur ex hoc Adverſariorũ intentum, etenim per actus externi poſitionem, vel augeretur bonitas, & malitia, vel non; ſi non, fruſtra igitur ipſi fatigantur,adſtruendo in actu exteriori hanc bonitatem, & malitiam intrinſecam, ut indè quis melior, vel pejor dicatur; Si autem augetur, ut malitia, v. gr. fornicationis conſummatæ major ſit ſe ipſa in pura intentione, & Voluntate, quantum augetur? Hoc augumentum non poteſt eſſe majus,nec minùs,nec æquale cum quantitate malitiæ in pura Voluntate, propter allatam rationem; ergò idẽ, quod priùs.

20. Probari denique poteſt. Licèt enim ad bonitatem, vel malitiam, utcunque ſufficiat quælibet conformitas, vel diſſonantia ad legem; ratio tamen meriti, vel demeriti dicit activam conformitatem, vel difformitatem, quà quis activè ſe legi conformat, vel ab ipſa recedit. Non enim datur meritum, vel demeritum ex hoc præcisè, quòd quis patiatur;quòd enim ad formalem veritatem facit aſſenſus Intellectus, ad bonitatem, & meritum facit conſenſus. Hoc autem ſoli competit Voluntati; cæteræ namque potentiæ, vel omninò, ut motæ, in actus exeunt, vel ſi quoque ſe moveant, non tamen liberè ſe applicant, ſed ab ipſa Voluntate applicantur; ergò in ſola Voluntate

tate

tate poteſt intrinſecè ratio meriti, vel demeriti reperiri.

Sequitur Summarium.

21\. *Nil obſtat, quòd actus externi diverſis præceptis præcipiantur, vel prohibeantur.*

22\. *Eſt tamen externus actus in confeſſione explicandus.*

23\. *Solvitur inſtantia de præmio, vel pœna, quæ debetur actibus externis.*

24\. *Specialiter de martyrio. Duplex præmium in beatis, eſſentiale, & accidentale.*

25\. *Non omne præmium accidẽtale dicitur propriè aureola.*

26\. *Aureola dicit ſpeciale gaudium, ejuſque terminationem ad opus conſummatum, ità & meritum ejus.*

27\. *Æqualem habens martyrii voluntatem, licèt in re martyr nõ efficiatur, æquale habet meritum, & præmium, non tamen aureolam.*

28\. *Solvitur alia inſtantia de Sacramento, Sacrificio, & indulgentia, imò, & martyrio.*

29\. *Solvitur inſtantia de gratia ſpeciali ad actum externum requiſita.*

30\. *Ut plurimùm in operis executione creſcit meritum, vel demeritum, quia intenditur, vel extenditur Voluntas.*

31\. *Impudentia eſt, aſſerere, ſententiam noſtrã eſſe Abailardi errorem.*

32\. *Meriti, vel demeriti duplex eſt menſura; ſcilicet bonitas, vel malitia objecti, & voluntatis efficacia.*

33\. *Habens voluntatem operandi, quidquid Beata Virgo, & omnes Sancti, vel committendi omnia peccata, quæ homines, ac Dæmones commiſerunt, non ideò tantùm meretur, vel demeretur.*

34\. *Ad participandam totam gravitatem objectivæ malitiæ ſufficit quæcumque voluntas objecti; non verò ad participandam totam bonitatem, etiam quòad ſolùm objectivum valorem.*

35\. *Explicatur illud. Quantum intendis, tantùm facis.*

21\. PLURA contra iſtam veritatem opponi ſolent, quæ nihilominùs facilè diluuntur. Et primò quidem nihil obſtat,

quòd actus externi, & interni distinctis præceptis multoties præcipiantur, vel prohibeantur; putà non furtum facies, non mœchaberis, & non concupisces rem, vel uxorem proximi tui. Diversitas enim præceptorum non importat diversitatem bonitatis, vel malitiæ, nisi ex diverso motivo procedant, ut suo loco dicetur. Nec ideò frustra multiplicantur præcepta, cùm aliqua specialis adest ratio illa multiplicandi, ut in supradictis; cum enim ad hujusmodi concupiscentias propensissima sit humana fragilitas, ex qua facilè sibi quisque suadere potuisset, peccata non esse, nisi opere compleantur, ut quidem hæretici putaverunt, oportuit, homines ab illis cautiùs compescere per specialia præcepta.

22. Nec magis urget, quod addunt; sequi ex nostra sententia, necessarium non esse in confessione, actũ externum exprimere. Siquidem externus, quamquam interni malitiam non augeat formaliter, est nihilominùs substantiale complementũ peccati, ipsumque integrat; nam ex interno, & externo actu unum peccatum constituitur; debet autem in confessione integrum exprimi peccatum, & non mancum, præter alias congruentias, quæ possent adduci.

23. Objiciunt insuper, quia de facto exterior actus meretur pœnam, quam non meretur internus, quantumcunque efficax; putà non incurritur pœna propter homicidium à Jure statuta, nisi per actualem executam hominis occisionem. Idem est de præmio; ex duobus enim æqualem habentibus martyrii voluntatem, si unus cum effectu Martyr fiat, alius non; ille aureolam habebit, iste non.

Ad hoc tamen dicitur; ità contingere, quia externum forum non judicat, nisi de externis, nam ad solam pertinet divinam justitiam, de purè internis, & occultis judicare. Adde, quòd humana justitia ordinatur ad politicam conviventiam, quæ non nisi per externos actus destruitur, quòd si aliquando punitur innocens pro solo externo actu, id pariter est, quia de innocentia non con-

constat humanæ justitiæ, sed ex externo præsupponitur reus.

24. Major est difficultas de Martyrio, quoad aureolam, & de accidentali præmio aliis quoque actibus externis correspondente: pro quò sciendum. In Cœlesti Patria duplex dari præmium Beatis. Unum essentiale, quod consistit in perfecta conjunctione animæ ad Deum, quo perfectè fruitur, ut viso, & amato; & hoc soli charitati, ejusque merito per se correspondet; quòd perinde meritū, quoque dicitur essentiale. Actibus verò aliarum virtutum non respondet hoc præmiū, nisi quatenùs in charitate radicātur, & ab ea in ultimū finem, ipsumque Deum ordinantur. Aliud præmium, quod accidentale dicitur, est quoddā gaudium superadditum essentiali fruitioni ipsius Dei, quod habent beati de operibus à se factis, & hoc præmium debetur merito ipsarum operationum, quod habent ex genere suo, & proprio fine proximo cū debitis circunstantiis, ratione cujus propriam quoque habent bonitatem, & laudabilitatem specialem præter id, quod à charitate participant.

25. Cæterùm licet hoc accidentale præmium, & gaudium exigant, & addant supra essentiale, actus meritorii cujuscumque virtutis; non tamen omne hujusmodi gaudium aureola dicitur, nisi tantùm generaliter, quatenùs aureola dicit aliquid additum aureæ; sed strictiori vocabulo aureola dicitur gaudium respondens alicui speciali pugnæ, ac excellenti victoriæ; de quibus videatur S. Doct. in 4. *dist.* 49. *q.* 5. Hoc porrò accidentale gaudium, cum victoriæ cōsummatæ respondeat, ut propriè aureola est, terminari quoque petit ad ipsum opus consummatum.

26. Utrumque igitur dicit aureola, imò, & quodcumque aliud præmium accidentale, scilicet speciale gaudium, ejusque terminationem, seù extensionem ad opus consummatum; undè, & in merito utrumque postulat, actionem videlicet essentialiter meritoriam, efficacem nempè Voluntatē, &

ejus terminationem, ac extensionem ad opus consummatum. Quamvis igitur aureola verum sit præmium, ac proindè verum supponat meritum, benè stare poterit, quòd aliquis habens æquale meritum aureolam non habeat, quam alter habebit, ex hoc præcisè, quod ejus meritum careat hac extensione ad opus; quia aureola præter essentialem rationem præmii, dicit insuper eandem extensionem.

27. Itaque duo æqualem omninò, & efficacem habentes martyrii voluntatem quamvis unus in re martyr efficiatur, alius non; æquale omninò præmium habebunt, non solùm essentiale, sed accidentale, cùm hac sola differentia, quòd hic de sua bona voluntate, ille de Voluntate executa gaudebit. Et hoc sufficit, ut hic dicatur habere aureolam, alter non; quia aureola dicit præmium, & gaudium extensum, & terminatum ad executam victoriam, sicut ejus meritum dicit meritum victoriæ consummatæ.

Quod satis explicat S. D. in 2. *dist.* 40. *quæst.* 1. *art.* 3. ubi ait, *quòd actus exterior complet interiorem in bonitate, vel malitia, sicut terminus motus complet motum*. Sicut igitur terminus motus complendo illum non addit aliquid de motu, ità nec externus actus, complendo interiorem addit aliquid de merito. Undè canit de Beato Martino Ecclesia, & si gladius persecutoris non abstulit, tamen palmam martyrii non amisit.

28. Objicitur insuper, quòd volens recipere Sacramentum, vel actum elicere, quò indulgentiam lucretur, aut quòd sacrificium pro se offeratur; nisi cum effectu ista ponantur, nec Sacramenti gratiam, nec Sacrificii fructum, nec indulgentiam ipse consequetur.

Sed hæc non urgent; etenim de Sacramento, & Sacrificio id verum est, quia operantur effectum ex opere operato, indulgentiæ pariter fructus alligatus est operi; quarè non mirum, si non sufficiat Voluntas quãtumcunque efficax. Omnium siquidem horum fructus, non tam merito ipsius operantis, quàm passionis Chri-

Christi respondet, quod nõ applicatur, nisi per actualẽ Sacramenti susceptionem, vel Sacrificii oblationem, vel injuncti operis executionem per indulgentiam. Idem in probabiliori sententia est de Martyrio, cui remissio totius pœnæ, imò, & collatio primæ gratiæ, convenit ex singulari privilegio, quò realis est imitatio passionis Christi.

29. Addunt contrarii, quòd specialis Dei gratia requiritur ad externũ opus præter illam, quæ requiritur ad internum, ut habetur in Trid. sess. 6. cap. 16. ubi dicitur, quòd Virtus Christi jugiter influit in hominem justum, ut bona opera antecedat, comitetur, & sequatur: dicitur autem gratia antecedere, dum nostrã Voluntatem antecedit, & excitat; comitari, dum simul cùm ipsa voluntate cõcurrit ad actum ipsius Voluntatis eliciendum, sequi verò dum ad externi operis executionem concurrit; Undè August. *in Ench.* cap. 32. *Nolentem prævenit, ut velit, volentem subsequitur, nè frustra velit*. Et Fulg. lib. 1. *ad Mon.* cap. 11. *Prævenit* Deus *donans homini bonam Voluntatem, subsequitur benè volentem, operando in illo boni operis facultatem*.

Ad hoc autem dicitur; quòd nova gratia non solùm exigitur ad novam bonitatem, vel meritum, sed etiam ad quamcumque ejusdem bonitatis, vel meriti extensionem; præcipuè cùm adest nova difficultas, ad quam vincendam omninò gratia necessaria est, præter quam quod, cum in ipsa externi operis executione perseverare debeat Voluntas, & difficultas in ea respecta de se nata sit, remittere, imò, & retrahere Voluntatem, ut satis experientia constat; debet utique gratia ipsa non solùm excitare, non solùm in volendo comitari, sed & in exequendo subsequi, ut ipsi voluntati constantiam, & perseverantiam tribuat, nè vacillare contingat.

30. Ex quò insuper patet, quòd in operis executione, ut plurimùm augetur, & crescit meritum, vel demeritum, non tamen virtute ipsius externi operis præcisè,

sè, & secundùm se sumpti, verùm quia in executione augetur Voluntas, & intenditur; cum enim novam inveniat difficultatem, ad illam superandam, utique majori conatu, vel actuum frequentatione, seù innovatione fertur. Et adhuc admisso, quòd ab initio ante operis inceptionem, efficax adeò, & intensa fuerit Voluntas, ut de se quamcunq; difficultatem vincere sufficiens esset: additur nihilominùs ad illam, si non intensio, continuatio, & extensio, ac proindè meriti quoque continuatio, & augumentum. Plùs enim certè meretur, qui in charitatis affectu per horam perseverat, quam qui per dimidiã, etiam si cùm eadem intensione. Quarè dum dicitur, quòd tantùm meretur, qui æqualem Voluntatẽ habet alicujus boni operis, quòd tamen exequi non valet, quantùm ille, qui æquali Voluntate exequitur; intelligi debet, quòd æqualitas sit in intensione simul, & duratione, cæterisque circunstantiis.

31. Sed inquiunt adversarii: hic prorsùs error est inter cæteros Petri Abailardi ab Ecclesia damnatus; quòd scilicet Deus præmiat, aut punit Voluntatẽ solùm, & quòd propter opera non efficitur homo melior, aut pejor, nisi fortè in ipso opere Voluntas augeatur.

At verò impudentiam esse, ait Medina, asserere, hanc sententiam ab Ecclesia damnatam; cum non solùm D.Thom. sit, verùm SS. PP. plurimorumque Theologorum. Quòd autem illam docuerit Abailardus adeò incertum est, ut D.Bern.qui ut subdit Medina diligenter hujus Hæretici refert errores, nullam fecerit hujus dogmatis,& sententiæ mentionem, sicut nec Alphonsus de Castro diligentissimus in Hæreticis recensendis. Vel ergò ipse Abailardus hanc sententiam non docuit, vel certè nullam ex ipsa erroris notam incurrit; Sed fortè docebat ipse, ad æternam salutem sufficere rectam intentionem, quod quidem Hæreticũ est; nam furans, v. gr. ut det eleemosynam, grave cõmittit peccatum. Vel certè, satis esse, habe-

habere voluntatem bonam, & nil curare de operibus, quod pariter est Hæreticũ, neque enim bona, & efficax est Voluntas, quæ dum potest, opus non implet.

32. Pro coronide tandẽ nota, duplicem esse meriti, vel demeriti mensuram, bonitatem scilicet, & malitiam objecti, cùm suis circunstantiis, & efficaciam, seù intentionem ipsius Voluntatis, undè plus minusvè potest quis mereri, vel demereri, volendo idem objectũ cum iisdem circunstantiis modò remissa, modò intensa Voluntate. Sola ergò efficax Voluntas æquivalet operi in merito, vel demerito.

33. Undè habens, v. g. Voluntatem operandi quidquid B. Virgo, & omnes Sancti simul fecerunt boni, vel committẽdi omnia peccata, quæ homines; & Dæmones commisserunt; non tantùm meretur; quantùm B. Virgo, & omnes Sancti; nec tantùm demeretur, quãtum Dæmones, & omnes mali homines; quia tales Voluntates efficaces esse non possunt: ferri siquidem non potest efficaciter Voluntas in impossibile; impossibile autem est, quod unus homo illa omnia simul operetur, præcipuè cùm ex illis plura incompossibilia sint, ut patet. Præterquàm quòd efficax Voluntas distinctã prærequirit objecti cognitionem in particulari; non enim fertur efficaciter Voluntas in objectum abstractè, & in confuso; apprehendere autem omnia illa in particulari; & distinctè, humanum superat captum. Ac denique, ut tantùm mereretur, necesse esset, ut ejus Voluntas ità esset intensa, imò, & extensa, ut Voluntates omnium illorum adæquaret.

34. Adde insuper ex D. Thom. *in 2. dist. 40. quæst. 1. artic. 3.* ad primùm, quòd quãdo ex parte objecti proponitur quantitas bonitatis, vel malitiæ, licet ad participandam totam gravitatem objectivæ malitiæ sufficiat quæcumque Voluntas; quãtum enim aliquis credit, & intendit peccare, tantùm peccat; quia si credat aliquẽ actum grave peccatum, & ipsum velit, utique graviter peccat: ad bonitatẽ tamen, & me-

meritum non sufficit, quòd quis intendat optimũ opus utcumque, ut illius meritũ habeat, etiam quò ad objectivum solum valorem, intendens enim, v. gr. multùm placere Deo tepida Voluntate, non indè tantùm placet; hoc autem ideò, quia plura exiguntur ad bonum, quàm ad malum; bonum enim ex integra causa, malum verò ex quocunque defectu.

35. Quare Glos. illam explicans super Matt. 12. quãtum intendis, tantum facis, ait S. Doct. *ly, quantum, potest esse adverbium, vel nomẽ, etsi sit nomen, tenet in malis, quia, quantum aliquis credit, vel intendit peccare, tantùm peccat. In bonis autem non, quia potest aliquis tepida Voluntate intendere, multum Deo placere, nec tantum placet. Si autem ly, quantum, sit adverbium, sic verum est, & in bonis, & in malis.*

Ubi tamen adverte, ne decipiaris; quod, etsi ly, Multùm placere, grammaticalitèr sit adverbium; dialecticè tamen stat potiùs nominaliter; quia ly placere, cui additur, neque rationẽ verbi exercet, sed potiùs nominis, non enim ibi significat per modum actionis, viç, tendentiæ, & fieri, quæ propria est ratio significandi ipsius verbi; sed per modum objecti, & termini motus, actionis, & viæ. Dum enim dicitur, intendo, multum placere, idem est, ac intendo multam placentiam. Si autem ly, multum, adderetur ad ly, intendo, quod verè stat, ut verbum, tunc verè quoque ly, multum, adverbialiter staret, ac juxta regulam secundi membri de facto multum Deo placerẽ. Et hæc satis superque de ista difficultate.

§. III. *Undè sumatur specifica distinctio Bonitatis, & Malitiæ.*

SUMMARIUM.

1. *Potentiæ specificantur per actus, item per objecta.*
2. *Idem in re fateri tenentur Scotistæ.*
3. *Ratio principii exigitivi idem est, ac ordo trascendentalis.*
4. *Actus moralis per ordinẽ ad morale objectum specificatur.*

5. Be-

5. *Bonitas, vel malitia ex objecto est prima, & essentialis.*

6. *Actus de se indifferens, primam, & specificam bonitatem, vel malitiam recipit à prima circunstantia, quæ illum bonum, vel malum reddit; Sicut actus bonus ex genere primam, & essentialem recipit malitiā à prima circunstātia ipsum vitiante.*

7. *Nulla bonitas, vel malitia potest actum afficere, nisi mediante objecto.*

8. *Nec objectum specificare potest moralem actum, nisi quatenùs objectum est Voluntatis.*

9. *Medium etiam, ut medium, propriam habet intrinsecam bonitatem; undè finis est primarium, non adæquatum Voluntatis objectum.*

10. *Probatur ex Philosopho, & D. Thom. p. pars.*

11. *Probatur efficaci ratione.*

12. *Sufficit, quòd medium apprehendatur, ut proportionatum cum fine, licèt non sit in re.*

13. *Probatur, quòd ista bonitas sit diminuta, & dependens.*

14. *Quòd finis sit primarium objectum, probatione non indiget.*

15. *Quòd non sit adæquatum videtur de mente Sancti Doctoris.*

16. *Probatur idem ratione.*

17. *Actus Voluntatis recipit essentialem speciem à proximo, & immediato objecto, sivè illud sit finis, sivè medium.*

18. *Consequenter absolutè moralis actus speciem habet à Voluntatis objecto.*

19. *Finis duplex intrinsecus, & extrinsecus.*

20. *Dum dicitur, quòd actiones humanæ specificantur ex fine, intelligi debet de fine intrinseco.*

21. *Vel de potissima, & principali specie, licèt accidentali.*

22. *Quòd constituit rem in esse perfecto, est illi accidentale....*

23. *Finis est adæquata ratio formalis, sub quà Voluntatis...*

1. PLURA fusè nimis de hac materia dictavimus in scholasticis cōmentariis super quæst. 18. & 72. p. 2. ex quibus uti-

liora quædam breviter delibabimus, ac in primis certum est, non solùm in schola D. Thom. sed communiter apud Philosophos, ac Theologos; potentias specificari per actus, actus itidem per objecta; hoc est per intrinsecum ordinem ad illa. Quod licet absolutè neget Schola subtilis, re tamen ipsi quoque Scotistæ fateri cõpelluntur.

2. Cum enim, ordinem istum ad potentiam, & actũ essentialiter pertinere, negare non possint, illumque nolint pro constitutivo, nec habeant, quid aliud assignent; recurrunt ad ordinẽ ipsum, exigitivè tamen, & radicaliter, itaut formale constitutivum potentiæ, & actus sit principium exigitivum talis relationis, & ordinis.

Ita ex D. subtili docet Mastrius disp. 2. *de Anima, quæst.* 4. *num.* 57. ait enim Potentias animæ essentialiter habere, deservire animæ, & essentialiter proportionatas esse, & coaptatas ad actus, & objecta in secundo modo dicendi per se, non in primo, nisi solùm exigitivè, & radicaliter. Et subdit. Quia in quacumque natura prior est ratio actus primi secundùm se, quàm in comparatione ad actum secundum; nec constituitur in esse per actum secundum, cum illum saltem natura præcedat, nec per relationẽ ad illum, quia fundamentũ aliquo modo supponitur relationi; sed per hoc ipsum, quod est principium exigitivum talis relationis, & ordinis ad actum secundum.

3. Ex quibus mihi videtur colligi, formale constitutivum potentiæ esse rationem principii exigitivi relationis, & ordinis ad actum; & proportionabiliter formale cõstitutivum actus rationem principii exigitivi, seù exigentiam, vel rationẽ quandam exigentem ordinẽ ad objectum. Sed dico. Nunquid exigentia ista connotatio quædam non est? Quid enim est aliquid exigere, nisi illud connotare, tanquam sibi necessarium, vel à quò pendet, vel circa quod versatur, aut quid hujusmodi? Nunquid igitur non transcendentalis est ordo? Certè apud nos ordo transcendentalis,

talis, quem pro constitutivo potentiæ, & actus assignamus, aliud non est, quã ipsa entitas absoluta conrotans aliquid. Si aliud ipsi intelligant, laborabimus frustra in æquivoco.

4. Quidquid autem sit, certum id supponimus latè probatum in lib. *de Anima*, ubi videri poterunt DD. Itẽ S. Doct. *p.p.q.77. art.3.* cum expositoribus. Cum igitur actus moralis verè actus sit, specificabitur utique per ordinem ad morale objectum; hoc est non ad objectum nudè sumptum, sed ut lege dispositum. Cumque idem sit specificativum, & distinctivum, ab eodem ordine distinctio specifica moralium actum desumenda erit.

5. Hinc fit, quòd bonitas, vel malitia, quæ actui competit ex proprio objecto, est prima specifica, & essentialis; undè, & vocari solet bonitas, vel malitia ex genere: Ea verò, quæ actui advenit ex quacumque circunstantia, accidentalis est, v. gr. fornicatio in Ecclesia commissa, essentialiter est in specie luxuriæ, & fornicationis; accidentaliter autem in specie irreligiositatis, & sacrilegii.

6. Cum quo tamen stat, quòd, quandò actus est de se indifferens, prima circunstantia illum vitians, aut bonificans det illi bonitatem, vel malitiam specificam, & essentialem; sicut prima circunstantia inficiens actum ex genere suo bonum. V. gr. Deambulatio ad ostensionem propriæ dignitatis, est in specie vanæ gloriæ; & si addatur nova malitia per aliam circunstantiam, putà si indè Sacrum omittat die festo, hæc malitia accidentalis est ipsi deambulationi. Similiter dans eleemosynã Mulieri ad illam corrumpẽdam, actũ committit essentialiter in specie fornicationis.

Horum autem ratio est; quia quod primò completè constituit rem in aliquo genere, dat illi speciem essentialem. Jam verò deambulatio ad ostentationem, secluso quocumque alio, est formaliter mala, nec antecedenter aliam habet malitiam. Sicut pariter ex hoc ipso, quòd talis eleemosynam tribuat ad malum finem,

eleemosyna ipsa formaliter mala est, nec aliam habet moralitatis speciem, quia bonitas, quam de se haberet, impeditur ex malo fine, ut ex dictis §. 1. constat. Quarè tunc hujusmodi circunstantiæ, licèt respectu actus nudè sũpti circunstantiæ sint; in genere tamen moris in rationẽ transeunt objecti, quia ipsum objectum in determinata specie morali constituunt.

7. Quia verò tota substantia, & entitas actus est ipsa objecti attingentia, nihil enim penitùs est actus, quàm via, motus, & tendentia in objectum; hinc est, quòd non solùm bonitas, vel malitia essentialis, sed etiam accidentalis, non nisi medio objecto, illi convenit, nisi enim circumstantia objectũ afficiat, neque actum afficere potest.

Nec aliquid obstat, quòd communiter cum S. Doct. distingui soleat bonitas, vel malitia ex objecto, & ex circunstantiis proveniens. Verum namque est, quòd essentialis bonitas, vel malitia ex objecto, & ex objecto sumi dicitur, quia ex ipso ex genere suo, & secundùm se sumpto, provenit, undè bonitas, vel malitia ex genere appellatur. Accidentalis verò, non ex objecto nudè sumpto, sed ex objecti circunstantia oritur, & ideò propriè ex circunstantia dicitur. Aliàs autem nulla in actu bonitas, vel malitia esse potest, quæ in objecto non fuerit.

8. Cum autem nullus actus moralis sit, nisi quatenùs Voluntarius, non poterit objectum specificare moralem actum, nisi quatenùs objectum est ipsius Voluntatis. Magna verò est difficultas, adhuc intra Scholam D. Thom. an formale objectum adæquatum Voluntatis sit solus finis; ac per consequens à solo fine desumenda sit species actuum voluntariorum, & moralium. An potiùs media quoque intra latitudinem objecti formalis contineantur, & etiam ipsa dare possint actui voluntario speciem. Controversiam istam exactiùs citata q. 18. discussimus; hic autem sufficiat, illam summatim resolvere juxta proba-

babiliorem ſententiam.

9. Dico igitur in primis medium, etiam ut medium, propriam habere, & intrinſeçam bonitatem à bonitate finis diſtinctam, licèt diminutam, & à bonitate finis dependentem. Ac per conſequens, licèt finis primarium ſit, & principale objectum Voluntatis, non tamen adæquatum, & totale.

10. Prima pars, in qua eſt maxima difficultas, & à quibuſdam etiam Thomiſtis negatur; videtur conſona Philoſopho, qui lib. primo Magnorum Mor. cap. 5. ait: *Bonorum alia ſunt fines, alia verò nõ.* Conſonat etiam D. Thom. qui, omiſſis aliis locis, in ſecundo diſt. 21. q. 1. art. 3. loquens de bonitate mediorum, illamque diſtinguens à bonitate finis ait: *Aliquid tamen eſt, quod in ſe bonitatem habet, non tamen appetitur; ſi abſolutè conſideretur, ſed ex ordine ad finem bonitatem quandam ſortitur, quæ utilitas nominatur.* Ex quibus eruitur efficax ratio.

11. Medium etiam formaliter, ut medium, intrinſecè, & ratione propriæ naturæ, & entitatis, coaptationem, & proportionem habet ad finem, & non ſolùm extrinſecè; debet enim illũ cauſare, vel effectivè, vel per modum inſtrumenti, diſpoſitionis, aut alio quocũque modo; quælibet autem cauſa adhuc minima, & imperfectiſſima, debet aliquo modo cum ſuo effectu proportionari; Sed iſta proportio ſufficit ad conſtituendũ illud bonum, reddit enim ipſum verè appetibile, potenſque movere appetitum, ſicut movet de facto ad ſui electionem voluntatẽ: ergo aliquam habet in ſe bonitatem intrinſecam à bonitate finis diſtinctam, cum bonũ idem ſit, ac appetibile; bonum ſiquidem eſt, quod omnia appetunt, nec aliquid eſt appetibile, niſi bonum.

12. Quòd ſi aliquando medium in re proportionẽ non habeat cum fine; ex hoc ipſo, quòd ut medium proponitur, certè ut proportionatum apprehenditur, aliàs non appeteretur: quamvis igitur tunc vera bonitate careat, habet nihilominùs propriam bonitatem apparentem, & apprehenſam; quòd

ſuf-

ſufficit, ut ſit bonum potens movere Voluntatem, ſicut ſufficit in fine, apparens, ficta, & apprehenſa bonitas; ut intendatur.

13. Quòd verò dicta bonitas diminuta ſit, & à bonitate finis dependens, clarè de ſe patet; ac breviter probari poteſt ex doctrina D. Thom. *p.p. q.* 5. *art.* 6. Medium enim, ut medium, non eſt appetibile, ac proindè, nec bonum, niſi ſecundùm quid, & dependenter à fine; appetibile ſiquidem eſt id, in quod tendit motus appetitus, tanquam terminum, in quo quieſcit, motus enim quilibet in quietem definit per adeptionem proprii termini. Atqui mediũ, ut medium, non niſi ſecundùm quid, terminat appetitum, nec illum quietat, niſi ſecundùm quid imperfectè, & dependenter à fine, non appetitur namque, niſi per modum viæ, & tendentiæ in ipſum finem; bonitas ergò illius non eſt, niſi diminuta, imperfecta, & à fine dependens.

14. Ex quibus reliqua pars concluſionis probata manet. Et certè, quòd finis primarium ſit, & principale objectum, probatione nõ eget; verè namque finis per ſe primò, & principaliter à Voluntate attingitur, media verò non niſi ratione finis; quod ſufficit ad rationem objecti primarii.

15. Quod verò non ſit adæquatum, & totale, videtur de mente S. Doct. *p.* 2. *q.* 8. *art.* 2. ajentis. *Voluntas ſe extendit, & ad finem, & ad ea, quæ ſunt ad finem; ad ea enim ſe extendit unaquæque potentia, in quibus inveniri poteſt quocumque modo ratio ſui objecti; ſicut viſus ſe extendit ad omnia, quæcumque participant, quocumque modo colorem: ratio autem boni, quod eſt objectum potentiæ Voluntatis, invenitur non ſolum in fine, ſed in his, quæ ſunt ad finem.* Subditque in reſponſione ad ſecundũ, quod finis, & media comparantur ad Voluntatem, ſicut lux, & color ad viſum; patet autem, quòd color eſt verè objectum viſus.

16. Probatur etiam ratione. Objectum formale, quod adæquatum, & totale alicujus potentiæ eſt illud, quod attingitur, ut quod in om-

omni actu, & quod terminat omnem actum illius potentiæ; hæc est enim differentia inter objectum formale, quò, & quòd, seù rationem, quæ, & sub quâ; quòd ista, ut talis, est ratio attingendi, non id, quòd attingitur, licèt contingere possit, quod etiam ipsa, ut quod attingatur, sed tunc non se habet, ut ratio, sub quà, sed ut ratio, quæ; ut patet in luce, quæ est ratio videndi colores, & ut sic nō videtur, ut quod; nam species coloris non est repræsentativa lucis, videtur autem lux per suam propriam speciem ipsam repræsentantem, ut dicitur in libris *de Anima*.

Atqui non solus finis, verùm, & media, ut quod attinguntur, & terminant actum Voluntatis; nam etiam ipsa, ut probatum est, sunt appetibilia, ut quod, & potentia terminare actum Voluntatis, cum sint intrinsecè bona, ergò finis non est adæquatum Voluntatis objectum.

Constat insuper, quòd actus consensus, & electionis non attingit, nec terminatur, ut quod ad finem, sed ad media, licèt finis ratio sit, & motivum attingendi media ipsa; de fine siquidem, ut fine, non est consensus, nec electio: quarè dum quis, v.g. eligit, & vult laborare, ut lucretur, non dicitur formaliter, per talem actum velle lucrum, sed laborem propter lucrum.

17. Consequenter igitur dicendum est actum Volūtatis recipere suam speciem essentialem à suo proximo, & immediato objecto, sivè illud sit finis, sivè medium. Quilibet enim actus à suo proximo, & immediato objecto speciem desumit. Nihil enim est actus, ut dictum est, nisi via, tendentia, & motus ad objectum, & præcipuè Voluntatis actus, qui est quædam inclinatio, & pondus in appetibile; Via verò, tendentia, & motus à proximo, & immediato objecto, seù termino speciem desumit. Undè alteratio, v. gr. quamvis disponat ad generationem, & formam substantialem, non ab hac, sed ab accidentali, ad quam immediatè terminatur, suā accipit speciem. Cum ergò me-

media objectum sint Voluntatis, actus qui ad ipsam immediatè, & proximè terminantur, speciem ab ipso desument.

18. Cumque actus quilibet non sit in genere moris, nisi ut à Voluntate procedit, immò, ut supradictum est, actus aliarum potentiarum cum actu Voluntatis non ponant in numero; sed moraliter idem omninò sint, absolutè dicendũ erit, actus morales ab objecto Voluntatis, moraliter tamen considerato, idest cum ordine, & subjectione ad legem specificari.

19. Aliqua tamen pro pleniori intelligentia, & solutione plurium, quæ objici solent, addenda sunt. Ac primò habendum est præ oculis, finem duplicem esse, intrinsecum scilicet, & extrinsecum, vel quod idem est, operis, & operantis. Finis intrinsecus est, quem per se respicit, & ad quem actus ex natura sua ordinatur, præcisa quacumque extrinseca, & adventitia ordinatione.

Cumque actus de se ad objectum ordinetur, & propter illud sit; ad aliud siquidem non datur actus, quàm ad objecti attingentiã. Hinc est, quòd hujusmodi finis, & objectum idem omninò sunt. Insuper cum Voluntas ab objecto moveatur, si non efficienter, & per modum principii activi, de quo nolumus disputare, in genere saltem causæ finalis, & formalis extrinsecè, alliciendo ipsam; sequitur, quòd idem sint hæc tria, objectũ, finis, & motivum.

Finis autem extrinsecus ille dicitur, quem de se non respicit, sed ad illũ ex agentis intentione ordinatur. Et hic finis de se non dat speciem actui essentialem, sed se habet per modum accidentis, & circunstantiæ.

20. Quando igitur Sanctus Doctor cum communi proloquio ait, quòd actiones humanæ specificantur ex fine; intelligi debet de fine intrinseco, & immediato, & proximo, qui est idem, ac objectum.

21. Vel certè, quòd potissima, & principalis species à fine adhuc extrinseco, & operantis, desumitur. Verum namque est, quod, dum quis

quis furatur, ut adulterium committat, magis est adulter, quàm fur, quia Voluntas ejus, dum furatur, magis in adulterium fertur, quàm in ipsum furtum. Cũ quò tamen stat, quòd talis actus sit essentialiter in specie furti, & tantum accidentaliter in specie adulterii. Ut enim idem ait S. Doctor *p. p. q. 5. art. 1. ad 1. & alibi*, bonum, & malum sumuntur potissimè à forma accidentaria superaddita.

22. Nequè id mirum videri debet. Essentia namque constituit rem absolutè; id verò, quod constituit illam in esse perfecto, jam supponit rem in suo essentiali esse constitutam; quidquid autem rei advenit jam in suo esse constitutæ illi est accidentale. Undè, ut cętera omittamus, ipsa summa, & ultima hominis perfectio, & Beatitudo formalis, accidens quoddam est illi superadditum. Benè stat igitur, quòd potissima, & præcipua species humani actus à fine desumatur, & sit nihilominùs illi accidentalis.

23. Notate insuper, quòd licèt finis non sit Voluntatis adæquatum, ac totale objectum formale; quod est nihilominus adæquata ratio formalis, sub qua media etiam attingit: Undè ait S. Thom. *p. 2. q. 1. art. 1.* finẽ se habere ad media, sicut se habet lux ad colorem; quarè nec media, ut media attingit, nisi ratione finis.

Cum quò benè stat, quòd medium, etiam ut medium, non sit objectum purè per accidens, & materiale; ad hoc enim requireretur, quòd non solùm ratione finis attingeretur, sed insuper, quòd secundùm se nullam haberet attingibilitatem, sed per eandem omninò attingeretur attactionem, quà finis. Sicut hac ratione substantia non est, nisi materiale objectum visus; quia non solùm ratione coloris videtur, sed eâdem indivisibili visione, quà videtur color, dicitur videri substantia per accidens, & de materiali, nec aliter videtur, quàm per coloris visionem. At verò medium, licèt non nisi ratione finis appetatur; diverso tamen appetitu, quamvis in ipsa medii Voluntate inclu-

datur Voluntas finis, in ordine ad quem appetitur medium. Et hoc sufficit, ut non sit purè objectum materiale, sed formale, licèt minus principale, & secundarium; quia hoc sufficit ad hoc, ut aliquem terminet Voluntatis actum.

Sequitur Summarium.

24. *Non sufficit specifica distinctio in esse entis, ut objectum det speciem in genere moris.*

25. *Tria sunt præcipuè de legis essentia.*

26. *Non infert lex formalem actus distinctionem, nisi specialem directionem importet.*

27. *Diversus finis legis non sufficit ad specie diversificandum actum.*

28. *Nisi fortè proponatur, tanquam finis proximus, & particularis.*

29. *Finis generalis, & remotus non inducit novam speciem, nisi ab operante sit intentus.*

30. *Quomodò intelligatur Philosophus. Quod non est eadem virtus boni civis, & boni viri.*

31. *Virtutes morales faciunt bonum civem, prout inducunt rationem Justitiæ legalis.*

32. *Diversa est Justitia legalis juxta regiminum diversitatem.*

33. *Falsum est, Virtutes infusas per solum ordinem ad finem supernaturalem specie distingui ab acquisitis.*

34. *Fidelis peccans contrà virtutem moralem nō semper duplici malitia peccat, scilicet contrà infusam, & acquisitam.*

35. *Non semper tenetur fidelis, ad præcepta supernaturalia, & supernaturalem finem advertere.*

36. *In usu non est, etiam apud Doctos, de hujusmodi malitiis distinctè se accusare.*

37. *Tunc lex modum specialem præscribit, quandò in objecto respicit aliquam rationem, quæ sufficit se sola, ipsum completè constituere in genere boni, vel mali.*

38. *Id provenit originariè ab ipsa objecti appetibilitate.*

39. *Proprius modus operandi Voluntatis est, trahi ab objecto; ubi ergò est diversa appetibilitas, ibi est diversa ratio motivi, & objecti formalis.*

40. *Osten-*

40. *Ostenditur hoc in speciebus gulæ.*

41. *Quæcumque directionis diversitas ad malitiam specie distinguendam sufficit, non verò ad bonitatem.*

24. RESTAT modò, ut videamus, quomodo nosci possit, objectū specie distingui in genere moris, ut completam habeamus regulam specificæ distinctionis moralium actuum. Non enim sufficit specifica objecti distinctio in esse entis; aurum quippe, v. gr. & argentum specie distinguuntur. Furari autem argentum, vel aurum, in genere moris ejusdem sunt omninò speciei. E contrà fornicari cum libera, vel conjugata, in esse naturæ ejusdem sunt speciei, diversæ tamen in genere moris; cum autem in genere moris non constituatur objectum, nisi per ordinem, & subjectionem ad legem, hinc fit, quòd per eundem ordinem habet objectum moralem unitatem, vel diversitatem specificam.

25. Sed notandum ex D. Thom. *p. 2. q. 95. art. 4.* quod plura sunt de ratione, & essentia legis; ac præcipuè, quòd ad commune bonum ordinetur, quòd ab authoritatem habente instituatur; ac demùm, quòd humanorum actuum sit directiva. Id autem, quod per se propriè, & essentialiter ab actu, & ejus objecto respicitur in lege, est ratio directivi; aliæ verò rationes, quasi de materiali, & præsuppositivè se habent; itàut, si per impossibile vera lex dari posset, quæ veram haberet rationē directivi, & regulæ morum absque authoritate, vel ratione boni communis; verè actus per illā regulatus bonus, vel malus esset in genere moris: eo quia munus proprium legis circa humanos actus est, esse illorum regulam, & mensurā, quòd quidem non aliter exercet, quam objectum proponendo; undè & ordo actus, & objecti ad legem non est, nisi tanquàm ad regulam, & mensuram.

26. Licèt ergò, quotiescumque lex distinguitur secundùm aliquam ex dictis rationibus, cùm omnes illæ sint de legis essentia, lex ipsa

propriè, & essentialiter distingui dicatur; attamen ad formalem actus, vel objecti moralis distinctionem, non sufficit quælibet adhuc essentialis legis distinctio, sed requiritur, quòd sit distinctio penes rationem directivi, & regulæ, quæ per se ab actu, & objecto respicitur.

Quarè, licèt lex Divina, & humana essentialiter distinguantur ex parte legislatorum; nisi aliquam specialem directionem importent circa objectum, quod proponunt; nec illud, nec actum specie diversificant; undè furtum lege Divina & humana prohibitum ejusdẽ indivisibilis est speciei; quia modus, & distinctio utriusque legis eadem est omninò, putà æqualitas Justitiæ quam utraque lex intendit.

27. Dices tamen, quòd cùm legis directio sit propter finem, ubi diversus est finis legis, non potest diversa non esse directio; medium enim, & finis proportionari debent. Cum igitur finis legis naturalis, v. g. & legis humanæ positivæ diversus sit: hæc enim pro fine habet politicam conviventiam, & pacem; illa verò honestatẽ, & secundùm rationem esse; diversam quoque habebunt rationem directivi; ac per consequens diversam inducent moralitatem in objectum, & actum. Undè S. Doctor cum Philosopho 3. Pol. lec. 3. docet, quòd non est eadem virtus boni Civis, & boni Viri; immò nec eadem est Virtus boni Civis, secundùm quod benè se habet ad diversas Politicas.

Ad hæc autem dicitur, quòd cum unum, & idem medium possit benè ad plures fines, saltem extrinsecos ordinari, & optimè conducere, ut experientia satis constat, diversus finis legis de se non sufficit ad objectum, vel actum in genere moris distinguendum, quia non sufficit ad variandam rationẽ directivi, quòd per se ab utroque respicitur in lege; directio namque legis est, modum præscribere, cui debeat actus conformari, & commensurari; quarè, nisi lex diversum præscribat modum, nunquam diversa erit formaliter in ratione directivi.

Cum igitur idem omninò sit

ſit modus, quem præſcribit lex naturalis, & poſitiva, prohibendo, v. gr. furtum, putà æqualitas Juſtitiæ, quà unicuique ſuum tribuatur Jus; diverſitas finis, diverſam non inducit moralitatẽ. Undè communiter Theologi docent, quod finis præcepti non cadit ſub præcepto, v. gr. licèt præceptum abſtinendi à ſervilibus in die feſto habeat pro fine divinum cultum; quamvis aliquis die feſto divinis non vacet; immò potiùs illicitis, modò ſerviliter non operetur, præceptum ſervat.

28. Tunc ergò ſolùm finis legis, aut legislatoris novam inducit moralitatẽ, quandò tanquam finis proximus, & particularis proponitur, ſicut enim lex actũ, & objectum de ſe indifferens, præcipiendo, vel prohibendo ex rationabili cauſa, conſtituit in determinata ſpecie bonitatis, vel malitiæ moralis; ità præcipiendo, vel prohibendo actum de ſe bonum, vel malum ex novo titulo, & ſpeciali fine, illi addit novam bonitatis, vel malitiæ moralis ſpeciẽ, quæ tamen accidentalis erit, ut ex dictis conſtat, putà ſi præcipiatur jejunium in virtute obedientiæ.

29. Cæterum finis generalis, vel remotus legislatoris non inducit de ſe novã ſpeciem, niſi fortè ab operante ſit intentus; puta ſi quis patienter injuriam ſubſtineat, ut quieti Reip. cooperetur, vel ſi furtum, aut homicidium committat, ut eidem noceat: ſed tunc iſta nova bonitas, vel malitia non præcisè adveniret ex fine legis, ut talis; immò potiùs, quia jam eſt finis ipſius agentis, qui ſemper ſuã bonitatem, vel malitiam actui ſuperaddit.

30. Ad id, quòd additur ex Philoſopho, dicendum. Senſum Philoſophi, & S. Doct. non eſſe, quòd virtutes morales in ſe diſtinguantur ſpecie, ſecundùm quod ad bonum Reip. ordinantur, & bonum faciunt Civem, à ſe ipſis, ut præcisè circa propriam materiam verſantur, v. g. Quòd fortis Vir ad hoc quòd ſit bonus Civis, indigeat nova fortitudinis virtute ſpecie diſtincta à fortitudine, quà fortis eſt ſecundùm ſe. At ſenſus eſt, quòd

ratio

ratio faciens bonum Civem alia est, ac aliundè sumitur, quàm ratio faciens bonum Virum, etenim ad bonum Civem sufficit, quòd convenienter se habeat, & faciat opus suum, & ministerium in ordine ad Reip. conservationem, quod non sufficit ad bonum Virum, ad quem pertinet, benè se habere secundùm rationem; Undè contingit aliquem esse bonum Civem, qui tamen nō habet virtutem, secundùm quam aliquis est bonus vir, ut ait S. Doct. ibi; ex quò sequitur, inquit Medina *p.* 2. *q.* 63. *art.* 4. quòd hoc modò virtus boni Civis, ut sic, non est virtus simpliciter dicta; quæ simpliciter bonum facit habentem.

31. Si verò simul sit aliquis bonus Vir, & bonus Civis, illud habebit ex propria honestate moralium virtutum; hoc autem, quatenus ipsæ induunt rationem Justitiæ legalis ordinatæ ad commune Reip. bonum: undè nec propriam speciem amittent, sed aliam accidentalē Justitiæ legalis accipient, per quam constituent bonum Civem.

32. Cumque diversa juxta regiminum diversitatem, sit Justitia ipsa legalis; diverso namque modo se habere debent Cives ad Reip. conservationem in regimine populari, & in Magnatum, vel Tyrannorum: undè bonus quis potest esse Civis in uno, & non in alio regimine; hinc est, quòd ipsæ Vitutes diversam quoque sortirentur speciem, accidentalem tamen, secundùm quod ad diversas politicas ordinantur.

33. Major certè difficultas apparet in lege Divina supernaturali, quæ diversam omninò moralitatem inducit absque ulla objecti variatione per hoc solùm, quòd ad supernaturalem finem dirigat: undè communiter cum S. Doct. Virtutes infusas, quæ ad ipsam pertinent, specie distinctas esse ab acquisitis; Thomistæ docent.

At verò falsum est, Virtutes infusas ab acquisitis per solum ordinem ad supernaturalem finem specie distingui: docet enim expresse D. Thom. *p.* 2. *q.* 63. *art.* 4. distingui secundùm rationes formales objectorum,

rum, eò quia ratio formalis objecti virtutum moralium est modus à ratione institutus in bono propriæ materiæ; alterius autem rationis est modus, qui imponitur secundùm regulam rationis humanæ, & modus, qui imponitur secundùm regulam legis divinæ: putà in sumptione ciborum, ratione humana modus statuitur, ut non noceat valetudini corporis, nec impediat rationis actum; secundùm autem regulam legis Divinæ requiritur, quòd homo castiget corpus suum; & in servitutem redigat per abstinentiam cibi, & potus, & aliorum hujusmodi. Undè ait ibi Medina; Medium, quod eligit temperantia acquisita, est consentaneum rationi humanæ; medium verò temperantiæ infusæ videtur stultitia, si ratione humana examinetur.

34. Ex hoc tamen sequi videtur, quòd ut plurimum fidelis peccans contrà quãcunque moralem virtutem duplici specie distincta malitia peccet; Etenim modus virtutis infusæ, licèt superexcedat modum acquisitæ, illum tamen includit, non excludit, & insuper aliquid addit, v. gr. modus temperantiæ infusæ non excludit moderationem cibi, & potus, quam requirit acquisita temperantia, ut valetudini corporis, & recto usui rationis consulat, sed illam includit, & ampliùs addit moderationem, quâ corpus ipsum castigetur, & in servitutem redigatur. Quamvis igitur aliquis non servans hanc moderationem cibi, & potus, quà corpus castiget ubi, & quando tenetur, sivè ex communi, sivè ex speciali aliqua lege, aut præcepto; non nisi unica malitia peccet contra infusam virtutem; dum tamen quis modum excedit virtutis acquisitæ, puta plus de cibo, & potu sumendo, quàm naturalis ratio dictet, manifestum est, quòd modũ quoque transgreditur virtutis infusæ; ac per consequens duplici malitia peccabit.

Ita planè dicendum, existimat Medina *p. 2. q. 72. art. 6.* Ego autem, salvo meliori judicio, puto, quòd si taliter peccans advertat ad præceptum infusæ virtutis,

tis,

tis, utique duplici peccabit malitia; Secus verò, si absque tali advertentia. Et ratio est; quia sine tali advertentia infusa virtus non læditur, nisi ad summum per accidens. Cum enim actus de se in ordine sit naturali, non habet de se contrarietatem, nisi cum actu ejusdem ordinis, quemadmodum, & habitus vitiosus, ad quem pertinet, propriè non contrariatur virtutibus infusis, sed acquisitis, ut idem ait Medina *q.* 63. *art.* 3. *in resp. ad* 4. Undè admittit, quòd cum virtute infusa compatibilis sit habitus vitiosus oppositus.

Quia igitur modus, v. gr. temperantiæ acquisitæ non est proprius, & specialis modus temperantiæ infusæ, sed quodammodò per accidens, ac de materiali ad ipsam pertinet, quatenùs videlicet proprius ejus modus consistere nequit absque modo temperantiæ acquisitæ, ad minùs in quantùm moderatur excessum cibi, & potus; hinc est quòd excedens modũ acquisitæ temperantiæ nonnisi per accidens, ac de materiali, virtutem infusam lædit, nisi fortè, ut dixi, cum advertentia ad illam operetur. Hoc autem non sufficit ad dandam actui specialẽ malitiam contrà virtutem infusam; sicut quamvis omne peccatum mortale pugnet cum charitate, illamque expellat, non sequitur indè, quòd omne mortale peccatum sit in specie malitiæ contrà charitatem, nisi cum illa ex propria, & speciali ratione pugnet.

25. Neque fortasse dicas, non requiri ad peccatũ expressam, & actualẽ præcepti, & malitiæ advertentiam, sed sufficere, quòd quis teneatur advertere. Nam de facto non semper tenetur fidelis, dum quidpium agit, advertere ad supernaturalia præcepta, sicut nec actualiter suas operationes ad finem supernaturalẽ dirigere; sed sufficit, & benè tenetur, advertere ad actus honestatem: si ergò, dùm peccat, non advertat ad supernaturale præceptũ infusæ virtutis, cum aliàs ad illud advertere, non teneatur, nullo modo per se contrà virtutem infusam peccabit,

cabit, nec ipsam lædet, nisi ad summum per accidens, ac de materiali, quòd non sufficit ad dandam speciem.

36. Quidquid autem sit. Hæc teneant, quantum possunt, omnia saniori judicio submitto. Certum est, apud viros, etiam doctos, in usu non esse, de hujusmodi malitiis distinctè se accusare, nisi fortè, ut dixi cum advertentia quis peccet, vel speciale virtutis infusæ præceptum transgrediatur; undè puto, quòd etiam si verè semper distinctæ sint malitiæ non sit opus, de tali distinctione anxios nos esse in Sacramentali confessione, sed sufficiat, simpliciter nos de peccato accusare; cum enim hæc malitia cõtrà virtutem infusam comitetur de se peccatum contrà acquisitam, sufficienter jam utraque malitia explicatur, explicando peccatum ipsum.

37. Ex his liquidò colligitur, quòd tunc objectum in genere moris distinguitur specie, quando lex circa illud specialem habet directionem, specialemque in illo modum præscribit; sed remanet adhuc difficultas. Quomodo nosci possit, legem in objecto specialem præscribere modum? Ad hoc dico, tunc legem præscribere modum specialem, quando in objecto respicit aliquam rationem, quæ se solâ, præcisâ quacumque alia, sufficiat, ipsum objectum completè constituere in genere bonitatis, vel malitiæ: si enim talis ratio absolutè bonum, vel malum constituit objectum, jam utique dat illi moralem speciem; ac per consequens quęlibet alia ratio adveniens quæ sit pariter de se sufficiens ad illud bonificãdum, vel vitiandum, novam afferet speciem.

38. Hoc autem originariè provenit ex ipsa objecti appetibilitate: quotiescumque enim in objecto specialis ratio apparet, quæ de se vim habeat alliciendi, ac trahendi Voluntatem utpotè specialem cum ipsa proportionem, & convenientiam habens, putà specialẽ honestatem, vel delectationem, seù utilitatem, indiget utiquè Voluntas ipsa quadã speciali directione, ac modo

P quò

quò ad ipſum congruè ſe habeat. Undè ſæpè, & benè repetit S. Doct. tunc eſſe diverſum formaliter objectum, quando eſt diverſum motivum.

39. Neque dicas, id eſſe petitionem principii, cum ut diximus, idem ſint objectum, finis, & motivum. Quamquam enim id verùm ſit, diverſas tamen habent hæc tria formales rationes, ut ſupra in hoc §. explicuimus. Et quia proprius modus operandi Voluntatis eſt, trahi ab objecto per modũ ponderis, & inclinationis; hinc eſt, quòd ratio motivi propriè conſtituit objectum in ſpeciali ratione objecti Voluntatis, ſecundùm proprium ejus operandi modũ. Quia verò iſta motio, & attractio non fit, niſi media objecti appetibilitate; indè fit, quòd ubi diverſa eſt appetibilitas, diverſum quoque eſt motivum, & objectum formale: Et quia hæc diverſa appetibilitas diverſam exigit directionem, & modum; ex diverſitate motivi, & appetibilitatis, optimè arguitur formalis objecti diverſitas, etiam in genere moris, exigitivè ſaltem, quamvis formaliter ab ordine ad legis directionem habeatur.

40. Oſtenditur hoc manifeſtè in ſpeciebus gulæ tali verſu contentis.

Præproperè, lautè, nimis, ardentèr, ſtudioſè.

In quibus diverſitatem objecti ex diverſitate motivi, & appetibilitatis deſumere, neceſſe eſt; non enim apparet; undè aliter deſumi poſſit. Nam quòd quis præproperè comedat, provenire poteſt ex facili conſumptione humiditatis; propter quam homo dilationem cibi ferre non poteſt, undè præpropera comeſtio ſpeciale commodũ affert, quod non affert, v. gr. lauta, hoc eſt prætioſorum ciborum. Hæc pariter ſpecialem habet delectationem in pretioſitate cibi, quàm in aliis non reperies. Item quòd multum, & nimis quis comedat, de ſe provenit ex virtute naturæ multùm potentis ad convertendum cibum, & ſic de aliis. Quarè omnes iſtæ ſpecies diverſam requirunt directionem, & modũ; patet namque, poſſe quempiam

piam

piam moderatè comedere in quantitate, & tamen lautè, cibos videlicet pretiosos, & sic de singulis. Diversa ergò appetibilitas cum subjectione ad legem, quæ omninò essentialiter, & formaliter se habet in genere moris; non solùm in esse naturæ, sed etiam moris tribuit diversitatem.

41. Ubi tamen adverte, consultò in tradita regula nos posuisse, tunc legẽ specialem præscribere modum, quandò in objecto rationem aliquam invenit, quæ se sola, præcisa quacumque alia sufficiat, completè constituere in genere bonitatis, vel malitiæ: nam licèt quæcumque diversitas modi, ac directionis ad malitiæ speciẽ sufficiat, non tamen ad bonitatem; eò quia, ut sæpè dictum est, bonum ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu resultat; undè quod in vitio adæquatum est objectum, & se solo sufficiens ad ipsum cõpletè in specie constituendum, ejus moderatio inadæquata est, & partialis respectu virtutis, nec sufficiens de se, in bonitatis specie constituere, ut satis apertè constat.

§. IV. *Undè sumenda numerica distinctio moralium actuum.*

SUMMARIUM.

1. *Difficile est, regulam assignare, quà peccatorum numerus dignosci possit.*
2. *Numerica distinctio, etiã in genere moris, ab ipso actu sumenda est.*
3. *Non tamen attendenda unitas, vel distinctio actus in esse entis, sed moris.*
4. *Multiplicato moraliter Voluntatis actu, multiplicatur etiam bonitas, vel malitia.*
5. *Moralis continuatio dat unitatem, discontinuatio multiplicationem.*
6. *Etiam absquè discontinuatione multiplex esse potest actus moraliter.*
7. *Unitas, vel diversitas numerica moralium actuũ ab unitate, vel diversitate morali Voluntatis pensanda est.*
8. *Etiam quòad actus, qui opere complentur externo.*
9. *Probatur manifestè.*

10. *Distinctio numerica non est sumenda ab actibus Voluntatis, ut sunt formaliter morales, sed ab ipsis materialiter sumptis, moraliter tamen judicatis.*

1. NON parvi momenti est in re morali præsentis difficultatis resolutio, præcipuè quòad peccata, quorum in confessione, species non modò, sed & numerum, opus est, explicare. At multa, & tam varia, immò, & in parte opposita congerunt Authores, ut difficilè sit valdè, certam assignare regulam, quà numerum peccatorum dignoscere possimus. Nihilominùs, quà poterimus, brevitate id, quod certiùs videbitur, ex ipsius Angelici D. Doctrina, aliorumque DD. placitis, tanquam veriorem regulã statuere, conabimur.

2. In primis ergò certũ est, quòd, cum in moralibus actus ipse humanus se habeat, tanquam materia, bonitas verò, & malitia, tanquam forma; sicut formalis, & specifica distinctio à bonitate, & malitia, ita numerica, & materialis ab ipso actu sumenda videtur; forma namque dat speciem, & formalem distinctionem, materia verò individuationem, & numericam diversitatem. Quin immò, cum bonitas, & malitia sit accidens humani actus, ut ab initio notavimus; & individuatio accidentium à subjecto sumatur, ut constanter docet S. Thom. bonitatis quoque, & malitiæ moralis individuatio ab actu sumenda erit.

3. Quòd si Cajetanus tom. 1. tract. 31. resp. 15. ad 2. dub. videatur, asserere, nullo modo attendendum esse ad unitatem, vel multiplicitatem actuum, ut unitatem, vel multiplicitatem peccatorum inveniamus, sed tantùm ad actus deordinationem; ita ut, ubi est una numero deordinatio, unum sit numero peccatũ, quamvis actus plures.

Quæramus ab ipso, à quò habet deordinatio, ut una numero sit, nisi ab unitate actus, cujus est accidens.

Quarè Cajetanum intelligendum puto, non esse quidem attendendum ad unitatem actus in esse entis, & naturæ, benè tamen in esse mo-

moris; Verùm namquè, & certissimum est, quòd sicut plures actus diversarum specierum in esse naturæ, in genere moris in eadem specie adunantur; ità plures actus numero in esse entis, moraliter unus tantū actus reputantur. Patet siquidē quod moraliter unus actus dicitur Voluntas occidendi, & externa occisio; & ipsū homicidium voluntariè perpetratum unum, non solùm specie, sed numero peccatū, & actus moraliter dicitur, cum tamen specie,& numero distincti sint actus realiter, & in esse naturæ. Similiter è contrà;sicut quæcumque copula cum fœmina ejusdem est speciei in esse naturæ, in genere tamen moris distinguitur specie, si fœmina libera sit, vel conjugata; ità unus numero actus in esse entis, multiplex dici potest in esse moris.

Patet hoc, nam si quis eodem actu simul conjugatā, & liberam concupisceret; actus certè in esse naturę unus numero esset, in genere autem moris non posset, duplex non esse; implicat siquidem, quòd idem numero in duabus sit speciebus essentialibus; individuum nāquè determinatam supponit speciem; talis verò actus in genere moris in duabus esset speciebus essētialibus, quod manifestè convincitur. Nam ibi absque dubio duæ species malitiæ sunt; vel ergò utraque essentialis est,vel una essētialis,ac accidētalis altera; hoc esse nō potest;tum quia nō videtur assignabilis ratio, cur potiùs una, quàm alia sit essentialis; tum etiam quia, nec secundùm se una est accidens, vel circunstantia alterius, nec ex intentione peccantis, cum utramq; directè, & æqualiter intendat: igitur dicendū est,quòd talis actus, & si naturaliter unus, moraliter duplex est.

4. Supposito ergò, quòd unitas, vel diversitas numerica ex unitate, vel diversitate numerica actus in esse moris desumenda sit. Difficultas remanet, quandò unus, vel multiplex actus moraliter dici debeat. Et certum est in primis, quòd multiplicato Voluntatis actu moraliter, multiplicatur quoque bonitas, vel malitia, quæ potissimè in ipsa

Vo-

Voluntate consistit, immò in ipsa sola intrinsecè, quòad meritum, vel demeritum, ut ostensum est. Dubium autem erit, an stante unitate morali actus Voluntatis, cum multiplicitate actuum externorum, dici debeat absolutè unus, vel multiplex actus moralis bonus, vel malus. Hoc igitur erit primum punctum discutiendum.

5. Deindè videndum est; quando nam actus Voluntatis unus, vel multiplex moraliter censeri debeat. Circa quod certũ est, quod sicut naturaliter multiplicatur actus per discontinuationem, seù interruptionem, ità ut si Voluntas continuò operetur, putà continuò actualiter amando, non nisi unicum actum eliciat; si verò ab amore cesset, & iterũ amet; jam novum eliciat amoris actum à priori distinctum; ità moralis continuatio de se unitatem dabit, moralis verò discontinuatio, & interruptio multiplicitatem præbebit moralem.

Secundò ergo statuendũ erit; quomodò nosci possit, actum discontinuari moraliter.

6. Cæterum, cum possit adhuc Voluntatis actus absque ulla discontinuatione multiplex esse moraliter, ut in allato exemplo de simul concupiscente liberam, & conjugatam; ibi enim discontinuatio esse nõ potest; nam hæc successionem importat, ac perindè priùs, & posteriùs; In casu autem assignare non est priùs, & posteriùs, non enim tempore, quia supponimus, quòd simul in utrumque objectum feratur, nec natura, cum prædicta objecta de se nullum dicant ordinem, quò priùs unum, quàm aliud appeti poscat, nequè moraliter; hoc enim non videtur, undè possit oriri, nisi ex cõcupiscentis intentione, quæ in casu esse potest, quia supponimus, quòd utrumquè appetat æqualiter. Cumque ex alia parte non possit, duplex non esse moraliter actus, ut ostensum est, relinquitur, quòd præter discontinuationẽ ex alio quoque capite moraliter actus multiplicari possit. Hocque tertium erit resolvendum, quibus statutis, facilè satis numericam distinctionem bonita-

nitatis, & malitiæ discernere poterimus.

7. Dicendum ergò generaliter. Unitas, vel diversitas numerica moralium actuum, etiam quòad bonitatem, vel malitiam ipsorum, ab unitate, vel diversitate morali actuum Voluntatis pensanda est. Hæc videtur mens D.Thom. *in 2. dist.* 42. *q.* 1. *ar.* 1. ubi licèt solùm quęrat utrùm actus interior, & exterior sit unum, vel multiplex peccatum, dat nihilominùs generalem doctrinam, ait enim in corp. *Secundùm unitatem Voluntatis est sumendum Judicium de unitate ejus, quod in genere moris dicitur*. Et rursùm ad 4. *Ubi non multiplicatur actus Voluntatis, non multiplicatur peccatum*.

8. Conclusio ista, quòd actus, qui in Voluntate ipsa consummatur, puta amoris, vel odii, clara satis est. Quòad multiplicationē pariter actuum, qui opere cōplentur externo, quòd scilicet, multiplicatis actibus Voluntatis; quamvis non multiplicetur opus externū, multiplicetur actus moralis cum sua bonitate, vel malitia, ex dictis etiam patet. Quòad unitatem verò, quòd nempè, uno existente moraliter Voluntatis actu, quāvis multiplicetur externus, unus sit moralis actus, unaque numero bonitas, vel malitia.

9. Probatur manifestè. Nam actus externi moraliter non ponunt in numero cum actibus Voluntatis, neque novam addunt bonitatem, vel malitiam, ut §. 2. ostendimus; undè actus cōsummatus furti; v. gr. non est novum peccatum, sed unum, & idem cum intentione furandi, solùmque complementum est ejusdem peccati; ergò stante unitate in actu Voluntatis, per multiplicationem actus externi multiplicari non potest moralis actus, nec bonitas, vel malitia.

Patet consequentia; nam aliàs externi actus ponerent in numero, nec unum essent cum actu Voluntatis; Præterquam quod, ubi non est distincta bonitas, vel malitia, non potest esse distinctus actus moralis, qui per ipsam bonitatem, vel malitiam in genere moris constituitur.

Ubi

Ubi autem unus est Voluntatis actus, una numero est bonitas, vel malitia, quæ per actus distinguitur, ut dictum est; actus enim externi novam bonitatē, vel malitiam nō addunt supra Voluntatis actum, ut pariter supra ostensum est.

10. Quæ contrà istam conclusionem opponi possent, ex dictis, & dicendis facilè solvuntur; Una tantum occurrit specialis objectio. Quia nempè, sicut formalis, & specifica distinctio ex parte formæ, ità numerica ex parte materiæ desumitur; actus autem Volūtatis, ut moralis est, hoc est elicitus cum subjectione ad legem, non se habet, ut materia in genere moris; immò est jam formalissimè cōstitutus moraliter: ergò non ex illo, ut sic, sed potiùs ex actibus externis, vel etiam ipsius Volūtatis in esse entis, & naturæ consideratis; quomodo verè, ut materia, se habent, sumi debet numerica distinctio; ac per consequens, quotiescumquè multiplex est actus externus, vel actus Voluntatis entitativè; multiplex erit quoque in genere moris.

Ad hoc autem dicitur, quòd objectio procedit ex falso supposito; Non enim dicimus, quòd numerica distinctio actus moralis desumatur ex actu Voluntatis, ut moralis est; hoc enim esset petitio principii. Quæritur enim, per quid, non solùm actus externus, ac potissimè ipsius Voluntatis habeat in genere moris, quòd sit unus, vel multiplex numericè. Et dicimus, hoc pensandum esse ab unitate, & distinctione ipsius actus Voluntatis, non ut moralis est, quia hoc est, quod quæritur, sed ab ipso actu materialiter sumpto, moraliter tamen judicato, idest non secundùm unitatem, vel distinctionem naturalem, sed secundùm unitatem; & distinctionem, quam habet in morali estimatione. Et hæc de primo puncto.

Sequitur Summarium.

11. *Voluntatis actus moraliter discontinuatur per actum oppositum, vel retractationem.*

12. *Quotiescumque actus non retractatus formaliter in*

se,

se, aut virtualiter in suo effectu perseverat, continuari censetur.

13. *Explicatur, & simul probatur assertio.*

14. *Inclinatio, & promptitudo remanens post retractationem non remanet per modum actus; sed per modum habitus.*

15. *Sola naturalis, & involuntaria cessatio per se non sufficit ad moraliter actum discontinuandum.*

16. *Non qualibet Voluntatis interruptio moraliter ipsum interrumpit.*

17. *Probatur, non esse necessariam formalem perseverantiam ad Voluntatis moralem continuationem.*

18. *Sequeretur aliàs, quòd pluries quis peccaret in actuali ejusdem peccati executione.*

19. *Item verba, tactus, oscula non essent idem peccatum cum fornicatione contrà cōmunem sententiam.*

20. *Licèt in somno non dicatur homo, actualiter peccare, potest dici continuò peccans per antecedentem, & subsequentem Voluntatem.*

21. *Immò potest dici etiam in somno actualiter peccans.*

22. *Ad minùs completivè, si non substantialiter, & primariò.*

23. *Non tamen per hoc ullatenùs augetur malitia.*

24. *Contrarium sentientes minus benè docent, non esse necessariū, bujusmodi multiplicationem exprimere in confessione.*

25. *Neque Voluntaria cessatio sufficit per se ad actum discontinuandum.*

26. *Mulier non discontinuat actum concupiscentiæ, dum illi motus ipse concupiscentiæ displicet hic, & nunc, tanquam distractivus applicationis, quà se ornare vult.*

27. *Quæ dicta sunt, intelligi debent ex puris terminis cessationis, sivè voluntariæ, sivè involuntariæ.*

28. *Si in toto decursu cessationis Voluntas nullo moveatur impulsu; etiam si postea statim redeat, non videtur signum ità certum cōtinuationis.*

29. *Cessans Voluntariè ab actu potest hic, & nunc illum efficaciter velle, & solùm inefficaciter nolle.*

11. QUOAD secundũ punctum. Dico primò. Voluntatis actum discontinuari moraliter per actum oppositum, vel retractationẽ Voluntatis. Hoc indubium omninò est. Per actum enim oppositum, vel retractationem adeò praecedens actus trãsiit etiam moraliter, ut nullo modo ampliùs, nec moraliter perseveret. Si ergò iterum quis ad priorem Voluntatem redeat, utique moraliter quoque novum, distinctumque actum eliciet, nec apparet, quomodò cum priori continuari moraliter possit.

12. Dico secundò quotiescumque actus per oppositam Voluntatem non retractatus formaliter in se, aut virtualiter in aliquo suo effectu perseverat, continuari censetur. Istam conclusionem docet Mastrius disput. 15. *de pec. q.* 4. *art.* 1. *num.* 66. Tunc actus Voluntatis moraliter interrumpi censetur, quoties, nec formaliter, nec virtualiter perseverat; hoc est, cum nullus effectus assignari potest, in quo virtualiter, vel interpretativè manere censeatur.

13. Explicatur hoc. Intendit quis, inimicum occidere, gladio armatus exit ad quaerendum illum, per viã incidit in hominem, qui ad aliud negotium ipsum distrahit, sicque ad tale negotium applicatus, nihil interim ampliùs cogitat de homicidio, expleto autem tractatu, ad homicidii redit intentionem: certè hic physicè duos actus habuit volũtarios homicidii, unicum tamen moraliter, quia primus adhuc in negotiando moraliter perseverare censetur in suo effectu, puta in gladio ad hoc praecinto, in itinere ad hoc incepto, & multò magis in prompta animi dispositione ab ipso actu relicta, quae, licèt à superveniẽte applicatione impedita actualiter animum ad homicidium non inclinaret, verè tamen in sua virtute permanebat. Cujus evidens est signum, qnòd remoto applicationis impedimento, absque novo motivo, vel impulsu ad priorem Voluntatem recurrit.

Idque confirmari potest ex communi Theologorum sensu, quò ad merendum, satis-

ſatisfaciendum, immò, & ad Sacramenta conficienda, ſufficere docent virtualem intentionem; omnia enim iſta moralem, & voluntarium actum requirunt: evidens ergò eſt, voluntatis actum phyſicè non exiſtentem, ſed jam tranſactũ, perſeverare moraliter in ſui virtute, ac per conſequens, dum iterum Voluntas actualis redit, moraliter non cenſetur novus actus, ſed unus, & idem cum præcedenti, qui nunquam ceſſavit, immò ſemper moraliter perſeveravit.

14. Objicies tamen contrà iſtam concluſionem. Stat Voluntatis actum diſcontinuari moraliter, adhuc ejus virtute perſeverante, per actum enim oppoſitum, vel retractationem Voluntatis, ut in prima concluſione dicimus, omninò diſcontinuatur actus: Atqui poteſt adhuc virtus ejus perſeverare, teſte quotidiana experientia, quà poſt peccatorum pœnitentiam, conſtat, pluries in Voluntate remanere promptitudinem, & expeditam inclinationem ad illa, quod potiſſimum eſt ſignũ perſeverantiæ virtutis actus, ut hic dicimus. Falſa eſt igitur, quam tradimus regula, tunc cenſeri actum continuari moraliter, dum virtualiter in aliquo ſuo effectu perſeverat.

Reſpondetur ad hoc in primis. Talem inclinationem, & promptitudinem remanere quidẽ poſſe poſt pœnitentiam, vel retractationem Voluntatis: non tamen per modum actus, ſed per modum habitus, qui ex multiplicatis actibus generatur, nec per unum actum oppoſitum ſtatim deſtruitur; undè, ut §. præcedenti notavimus ex Medina, cum virtute infuſa remanere poteſt habitus vitii oppoſitus, quidquid ſit, an remaneat cum formalitate habitus vitioſi, vel tantùm de materiali, hoc enim parùm refert. Quamvis ergò remanere poſſit Voluntas habitualiter inclinata, non tamen actualiter, cujus eſt ſignum, quòd abſque novo motivo, & impulſu non recurrit ad priorẽ intentionem, ſicut benè facit, dum retractata non eſt.

Sed admiſſo etiam, quòd abſque novo motivo recur-

rere possit, adhuc non censebitur actus præcedens retractatus moraliter perseverare; quia talis dispositio, & inclinatio à præcedenti actu relicta, post ejus retractationem non remanet ampliùs voluntariè, sed omninò involuntariè, de materiali, ac naturaliter; undè potiùs dici potest virtus actus in esse naturæ, quàm in genere moris. Quando verò Voluntas retractata non est, immò vult, in affectu peccati perseverare, cum talis inclinatio rationem Voluntarii retineat participatam ab actu, benè dicitur in ipsa, tanquã in sui virtute, actus ipse moraliter perseverare.

15. Dico tertiò: solam naturalem, & involuntariam cessationem per se non sufficere ad moraliter actũ discontinuandum; Hæc probatur ex præcedenti conclusione. Quotiescumque perseverat in homine virtus actus voluntarii, moraliter censetur actus ipse perseverare; at non sufficit per se naturaliter, & involuntaria cessatio ad tollendam in homine virtutem Voluntarii actus: ergò non obstante tali cessatione, virtus perseverare potest, & in ipsa moraliter actus; ac proindè cessatio ista per se non sufficit ad ipsum actum discontinuandum. Consequentia videtur bona. Minor patet experientia. Nam efficaciter, v. gr. intendens homicidium, & in ipsa Voluntate persistens obdormiat; vix à somno excitatus ad priorem voluntatem redit; immò sæpè contingit, ut vi concitatæ passionis quies ipsa non semel interrumpatur; quid ergò clarius, quòd illius Voluntatis virtus in homine perseveret? Et quidem voluntariè; verè igitur in ipsa virtualiter perseverat præcedens Voluntas. Quod & ampliùs infra explicabitur.

16 Major quoque admittenda, ni velimus concedere, quamlibet Voluntatis interruptionem, ipsam quoque moraliter interrumpere, ac multiplicare. Quod licèt ab Azorio *p.p. libr. 4. cap. 4. q. 4.* inter alios tribuatur S. Doctori loco supra citato ex *2.* sent. Et D. Antonino *p.2. tit. 5. cap. 1. §. 10.* Certè S. Thom. nil aliud asserit, quàm id, quod nos retulimus:

limus: ex quo non benè colligitur, mentem S. Doctoris esse, quamlibet Voluntatis multiplicationem peccata multiplicare; optimè siquidem intelligi potest de morali multiplicatione. Quod videtur explicare *p.2. qu. 72. art. 7. ad* 3. ubi ait: *Peccatum cordis, & oris non distinguuntur à peccato operis, quando simul cum eò conjunguntur; sed prout quodlibet horum per se invenitur*; Ly enim per se, denotare videtur tunc peccatũ cordis distinctum esse peccatum ab opere, quandò taliter in ipso sistit Voluntas, ut nullatenùs ampliùs ad opus tendat, quod non contingit, si ex involuntaria solùm, vel naturali cessatione interrumpatur, ut patet; Eodem prorsùs modò intellige D. Antoninum, ut ejus textum legens, facilè quoque intelligerē poterit.

17. Ad rationem ergò redeamus. Si non sufficit ad actum Voluntatis moraliter continuandum perseverantia Virtutis ejus, necessaria erit perseverantia formalis ejusdem actus; ac per consequens quælibet actus interruptio moraliter ipsum discontinuabit, ut dicebamus. Hoc autem stare non potest multiplici ratione. Nam de facto, ut supra tetigimus, & communiter admittitur; ad meritum sufficit, quòd actus Volũtatis in virtute permaneat, licèt formaliter transierit, ut patet de recitante Divinum Officium, vel aliã quamcunque bonam exercente operationem, & aliquandò involuntariè ad alia distracto; non enim pro illo tunc, & mora talis distractionis desinit esse meritoria talis operatio. Id verò aliter dici non potest, nisi quia præcedens actus moraliter in sua virtute cõtinuari censetur; non enim, nisi actibus voluntariis, mereri possumus; Si ergo non continuetur actus ad minùs moraliter, neque meritum continuari poterit.

18. Deindè, quia sequeretur aliàs, quòd pluries peccaret quis in actuali executione ejusdem peccati; posset namque cõtingere, quòd dum aliquis, v. gr. actualiter furatur, pro aliqua mora Voluntas ad alia intenderet, ac distraheretur, & indè ad fur-

furtum rediret, hoc autem ridiculum sanè videtur.

19. Tùm demùm, quia in omnium sententia actus, qui ex natura sua ad unum ordinantur, & si realiter specie quoque distincti sint, in esse tamen moris unum specie, & numero peccatum constituunt; putà verba, tactus, oscula cum fornicatione, unum omninò peccatum sunt. At nonnè in his omnibus plures Voluntatis actus realiter distincti contingere possunt? Poterit namque Voluntas osculis, v. gr. taliter delectari, ut pro illo tunc nil cogitet Intellectus, nec proindè actualiter appetat Voluntas copulæ actū. An ergo novum erit peccatum, dum Voluntas actualiter copulam vult? Hoc certè non videtur dicendū; & absque dubio tunc novus est actus Voluntatis; quotiescumque enim Voluntas aliquid vult, quod ante actualiter nō volebat, novum elicit actum. Debet ergò sufficere omninò ad moraliter continuandum Voluntatis actum, quòd in sua perseveret virtute.

20. Sed objicies. Continuato actu voluntario peccati, continuatur ipsum peccatū: ergò durante morali continuatione actus, homo actualiter continuò peccat. At dici non potest, quòd homo in somnis, v.g. actualiter peccet; ergò ad minùs per naturalem somni cessationem discontinuatur actus Voluntatis. Discursus videtur bonus. Minor subsumpta, in qua potest esse difficultas probatur. Nam ad actualiter peccandū requiritur actualis libertas, quà sit in hominis potestate peccatum ipsum; nemo enim peccat in eò, quod vitare non potest, sed non est in potestate dormientis retrahere, vel prosequi peccatum; dormiens igitur dici non potest actualiter peccare.

Ad hoc responderi posset in primis. Quòd licèt in somno non dicatur homo actualiter peccare, nihilominùs Voluntas peccati somnum præcedens, & illud subsequens, benè dici potest continuari, & homo ipse continuò peccans; Et hoc ideò, quia tempus somni moraliter non computatur; undè per somni interjectionem

nem discontinuari non potest actus moraliter; nullum siquidē instans morale currit, in quò talis in sua libertate non sit; ac proindè actualiter non peccet, si in ipso Voluntas peccati, vel in se formaliter, vel in sua virtute perseveret.

21. Vel secundò dici potest; Ad peccatum requiri, & sufficere actualem libertatem, sivè in se, sivè in alio; Ut enim communiter asserunt Theologi, ad peccatū non requiritur voluntarium directè, & in se, sed sufficit voluntarium indirectè, sivè in alio, puta in causa: ità pariter satis est, quod sit liberum in eò, in quo est voluntarium. Cum ergò in dormiente remaneat virtus prioris actus, & quidem voluntariè Voluntate ipsius actus; pariter liberè libertate actus talis vis in eò perseverat. Nequè ad hoc opus est, quòd ipsa cosummatio peccati sit hic, & nunc in potestate peccantis; hoc enim requiritur solùm ad liberum, & voluntarium in se; ad voluntarium verò in causa sufficit, quòd illud, in quò est voluntarium, fuerit in potestate peccantis. Ut patet de pollutione in somnis, accidente ex voluntaria causa, quæ certè dum contingit non est in potestate patientis, quia tamen fuit in ejus potestate causa, ipsa pollutio, dicitur voluntaria, libera, & peccaminosa, non in se, sed in causa.

22. Vel deniquè tertiò dici potest. Quòd homo in somnis non potest dici quidem, peccare, actualiter primariò, & substantialiter; benè tamen completivè: Etenim peccatum quòad substantiam cōmittitur in primò Volūtatis actu, & ad hoc requiritur omninò, quòd actualiter, & formalissimè liber sit peccans, in ejusque potestate actus peccati; cōplementum verò nō est necesse, quòd ità formaliter sit liberum, & in potestate peccantis, sed sufficit, quòd sit liberum in antecedenti Voluntate; patet namque; v.g. non esse ampliùs in potestate sagittarii post emissam sagittam, illam retrahere, nè occidat, & tamen ipsa occisio peccatum est Sagittarii, non quidem novum, sed complementū prioris actus,

quò

quò voluit occidere, quippè in ejus potestate fuit, & cum quo ipsa occisio non ponit in numero.

23. Verum tamen est, quòd cum hujusmodi complementũ, & annexa voluntaria, & libera, & consequenter bona, vel mala non sint, nisi virtute actus voluntatis, de se bonitatem, vel malitiam non augent, nisi simul augeatur, vel intendatur actus Voluntatis; undè per pollutionem in somno accidentem, non additur major malitia, quam habuit actus, quò quis Voluntariè causam posuit pollutionis, & sic pariter, licèt in somno continuetur peccatum, non augetur ejus malitia toto illo tempore, cum non possit in eò actus Voluntatis intendi, nec ipsi aliquid addi; cum neque formaliter in se, sed tantùm virtualiter perseveret; eò, vel maximè quòd, ut in prima solutione dictum est, illud tempus moraliter non computatur; ac per consequens moraliter, neque augetur ipsius actus duratio.

24. Adverto insuper, quòd asserentes, per hujusmodi cessationem discontinuari, ac perindè multiplicari peccatum; docent nihilominùs, in confessione neutiquam esse necessarium, exprimere, quot vicibus fuerit discontinuatum, verum sufficere, ut exprimatur tempus, in quò persistit in peccato. Quod certè in hac sententia, nescio, quomodò absolutè possit affirmari; cum habeamus ex Tridentino, peccatorum numerum necessariò exprimendum in confessione; Si ergò in eorũ sententia plura sunt numero peccata, ipsorum numerus exprimi debet eò prorsùs modo, quò numerus aliorum peccatorum, ità ut, si morali diligentia inveniri possit certò, ità omninò exprimatur; alias plùs, minusvè, ut de cæteris peccatis.

25. Dico quarto: Neque voluntariam cessationem sufficere per se ad moraliter actum discontinuandum. Ista conclusio, licèt à pluribus negetur, etiam ex admittentibus præcedentem, ut à Mastrio loc.cit. evidenter nihilominùs eàdem ratione cõcludi videtur. Nam quandocumquè actus in sua

vir-

virtute perſeverat, actus ipſe moraliter perſeverare, & continuari dicitur, ut probatum eſt: at non obſtante voluntaria ceſſatione, actus in ſua virtute perſeverare poteſt; ergò voluntaria ceſſatio non eſt per ſe ad illum diſcontinuandum ſufficiens. Minor probatur. Potiſſimũ ſignum, quòd actus in ſua virtute perſeveret eſt: cùm remoto interruptionis, vel diſtractionis impedimento, Voluntas ad ipſum abſque indigentia novi motivi recurrit; ſed ità contingere poteſt non obſtante voluntaria ceſſatione; puta, ſi quis ad fornicandũ pergens recordetur alicujus negotii magni momenti, decernatque, priùs tale negotium explere, & poſtmodùm fornicationem proſequi; immò, etſi negotium peragendo, ipſi diſpliceat, quòd pro illo tunc à fornicationis cõcupiſcentia diſtrahatur ab applicatione negotii; quo tamen expleto, intendit, & defacto abſque alio motivo ad fornicationem redit. Quis dubitet, hunc voluntariè omninò ceſſaſſe ab actu fornicario Voluntatis?

Quòd autem nihilominùs perſeveret actus in ſua virtute, conſtat non ſolùm ex eò, quòd expleto negotio, de ſe Voluntas ad ipſum recurrit; verùm quia talis vult expreſsè in affectu, & diſpoſitione ad actum perſeverare, licèt nolit hic, & nunc ad actum exire; Sicut v. gr. ſi Mulier præparando, & ornando ſe, ut aptiùs ad amaſium accedat, ex impetu concupiſcentiæ ab ornatus applicatione diſtraheretur; ac perindè ipſi talis concupiſcentiæ motus diſpliceret hic, & nunc, tanquàm impeditivus meretricii ornatus; quis unquam dicat, ipſam diſcontinuaſſe actum concupiſcentiæ per talem voluntariã ceſſationem inter ornandum?

26. Neque dicas. Ità eſſe in hoc ſecundo caſu, quia, cùm ea intẽtione Mulier ornet ſe, ut amaſio placeat, in ipſa ornandi actione verè perſeverat principalis intentio, non verò in primo caſu, cùm negotium omninò diſparatè ſe habeat ad actũ fornicationis. Nam licèt hoc totum verum ſit, non ideò Mulier ceſſans vo-

luntariè ab actu concupiſcẽtiæ, dicitur, ipſum adhuc moraliter continuare, quia ipſa ornandi actio de ſe ad concupiſcentiam ordinatur; defacto enim, ſi priorem Voluntatẽ retractaret, omninò actus diſcontinuaretur. Tota ergò ratio moralis continuationis eſt, quia prior Voluntas virtute perſeverat, licèt formaliter ceſſet. Cùm ergò non minùs perſeveret Voluntatis virtus in primo caſu, nihil obſtat continuationi actus, quòd applicatio ad illum diſparatè ſe habeat.

27. Notandum verò, quòd conſultò in his duabus ultimis concluſionibus appoſita eſt illa particula, per ſe, intendimus enim, quòd ſolummodò ex puris terminis ceſſationis, ſivè Voluntariæ, ſivè involuntariæ, actus moraliter non diſcontinuatur, cum quò tamen ſtat quòd ex alio capite diſcontinuari poſſit. Et quidem tunc, quandò ex ceſſatione, vel diſtractione ceſſaret in Voluntate proxima, & expedita inclinatio ad actum; neque circa hoc aſſignari poteſt certa regula, ſed totum ex ipſius operantis diſpoſitione penſandum eſt. Contingit namque multoties, quòd Voluntas adeò tenaciter fixa eſt in affectu, & appetitu objecti, ut etiam per notabile tempus ad extranea diſtracta, ſponte ad ipſum recurrat; aliquando verò ex levi diſtractione taliter ipſum deſerat, ut niſi ex novo motivo, & impulſu, illud non appetat.

28. Regulariter tamen loquendo, puto, quod tunc cenſeri debeat continuata Voluntas in ſua virtute, quando, non ſolùm expleto negotio, vel diſtractione, ſponte, ac de ſe ad priorem intentionem recurrit; verùm etiam, cùm inter agendum aliquali motu excitatur; Si verò in toto negotii decurſu nullo moveatur impulſu, etiam ſi poſt negotii explicationem ſtatim redeat, non videtur ità certũ continuationis ſignum præcipuè ſi notabilis, & diuturna fuerit diſtractio: Experimur namque multoties, quod ex quadam ſubita excitatione memoriæ, fertur Voluntas in objecta jam à tempore multo, nec appetita,

tita, neque cogitata. Quarè hoc prudentum judicio potissimùm relinquendum est.

29. Objicies contrà istã conclusionem. Cessans voluntariè ab actu hic, & nunc, ipsum non vult: ergò si virtus ejus perseveret, involuntariè perseverat, ac per consequens moraliter etiam discontinuatur. Consequentia patet; antecedẽs quoque videtur certùm: Nam de facto, ut dictum est, hic, & nunc displicet ipsi, non solùm actus, verùm etiam concupiscentia, & inclinatio ad illum, ergò ipsum absolutè non vult.

Respondetur, quòd cessans voluntariè ab actu, modò Voluntatẽ nõ retractet, sed velit in affectu persistere, ut in allatis exemplis; inefficaciter quidẽ hic, & nunc ipsum non vult, sed absolutè, & efficaciter vult; Sic pariter ejus concupiscentia, licèt illi displiceat hic, & nunc quatenùs impeditiva præsentis applicationis; absolutè tamen ipsi placet, illamq; vult. Hæc est enim differentia inter efficacem, & inefficacem Voluntatem, quòd efficax executiva est, ac electiva mediorum ad finem intentum conducentium; Inefficax verò minimè. Cùm ergò talis, media non eligat impeditiva concupiscentiæ, & inclinationis ad actum, puta Voluntatem retractando; immò in ipsa persistere velit; inefficaciter solùm, & per noleitatem quandam ipsum non vult; verè tamen absolutè, & efficaciter vult. Sicut Mercator nollet quidẽ projicere merces in Mare, & non nisi cum magna projicit displicentia; absolutè nihilominùs, ut vitam salvet, vult, & voluntariè projicit.

Subsequitur Summarium.

30. *Unicus Voluntatis actus est moraliter multiplex, dũ æqualiter tendit ad plura objecta per se integra.*

31. *Si non æqualiter omnia respiciat, unus erit actus etiam moraliter, licèt cum bonitate, vel malitia multiplici.*

32. *Sola bonitas, vel malitia primariò ab actu respecta essentialis est.*

33. *Volens furari, ut fornicetur, unum committit peccatum; procedens autèm ad furti, & fornicationis exe-*

 cutio-

tutionem duplex omninò.

34. *In tali casu est duplex actus Voluntatis, moraliter nedùm, sed realitèr, formalitèr ad minùs, si non entitativè.*

30. CIRCA tertium punctum. Dico. Tunc unicum actum Volũtatis multiplicẽ esse moraliter, quandò æqualiter tendit ad plura objecta per se integra, hoc est, quorum unum non se habeat, ut pars vel complemẽtum alterius; neque unum ad aliud ordinetur, neque omnia simul ad unũ aliquid, & hoc quidem, non quia numerica distinctio, vel unitas actus moralis, ex numerica unitate, vel distinctione objectorũ formaliter sumi debeat, ut ait Azorius *p.p.lib.4.cap.4.q.3.* Sed quia, cùm singula hujusmodi objecta de se petant completum Voluntatis actum, omnia simul plures completos actus ex postulant. Si ergò ad omnia unico actu feratur Voluntas æqualiter; talis actus pluribus est æquivalens; ac perindè moraliter cẽsetur multiplex, & cum multiplici adæquata bonitate, vel malitia. Quod satis convincitur ex allato exemplo suprà numero tertio.

31. Si verò non æqualiter omnia objecta respiciat, unus erit numero actus, etiã moraliter, cum una essentiali malitia, & multiplici accidentali. Quod patet ex eo, quòd omne adveniens rei jam completè in suo esse cõstitutæ, & individuatæ, non potest ad illam se habere, nisi ut accidens illi superadditum; at per primam bonitatem, vel malitiam ab objecto primariò inspecto, jam actus est completè in suo esse constitutus, & quidem in individuo; non enim forma potest actuare in abstracto, sed quod ponitur in re, in individuo ponitur: ergò bonitates, vel malitiæ à secundariis objectis, & minùs principaliter inspectis omninò accidentales erunt.

32. Nec dici potest, quòd tales bonitates, vel malitiæ, quamvis adveniant actui jã individuo secundùm unam virtualitatem, adhùc tamen dici possunt essentiales, & primariæ ejusdem actus secundùm diversam virtualitatem

tatem, cùm sit actus virtualiter multiplex.

Non inquam hoc dici potest; Nam tales moralitates nullo modo essentialiter se habere possunt ad actum, etiam secundùm diversam formalitatem, ac virtualitatem; Quod enim est essentiale, omninò principaliter, & primariò ad rem spectat; hujusmodi autem bonitates, vel malitiæ absolutè secundariò, non principaliter inspiciuntur ab actu, ut supponimus; Et sic nullo modo ad ipsum essentialiter spectare possunt. Cùm verò nihil individuetur, nisi in sua essentiali specie constitutum, nullatenùs per tales bonitates, vel malitias novam individuationem actus recipere potest; ac per consequens nec numero multiplicari.

33. Objicies nihilominùs. Volens, v. gr. furari, ut fornicetur, duplex committit peccatum, & tamen non æqualiter duo respicit objecta, sed unum primariò, aliud secundariò, & ratione alterius: ergò ut Voluntatis actus sit moraliter multiplex, non est necesse, quòd plura objecta respiciat æqualiter; sed sufficit, quòd plura sint objecta de se integra, & adæquata. Major, in quâ potest esse difficultas, probatur evidenter. Nam talis defacto vi prædicti actus Voluntatis continuati usque ad consummationem furti, & fornicationis, duo peccata distincta committit; non enim rationabile videtur cōtrarium; at hoc esse non potest, nisi etiam in Voluntate sit duplex peccatum, immò principalitèr: ergò vera est propositio, ac per consequens id, quod sequitur.

Respondetur ad hoc ex Medina *p.2. q.18. art.3. & 4.* negando absolutè majorem; ad cujus probationē, in primis negatur suppositū, quòd scilicèt, continuato prædicto actu usq; ad furti, & fornicationis consummationē, vi solius dicti actus talis furetur, & fornicetur; talis namque actus est electionis, ut patet, est enim de medio in ordine ad finem; electio autem, necessariò supponit finis intentionem, cujus virtute movetur Voluntas ad eligenda media. Non ergò potest quis, velle furari

ad

ad fornicandum, nisi priùs fornicationē intendat. Constat autem, quòd actus intentionis, & electionis duo actus distincti sunt; non moraliter solùm, verùm & in esse naturæ. Itaque talis, furando, & fornicando, duo peccata committit, quia duplici, non externo solùm, sed & Voluntatis actu primariò duo integra objecta respicit; fornicationem quidèm actu intentionis, furtū verò actu electionis.

34. At fortè dices. Posse quempiam, eodem naturali actu simul velle fornicationem, & furtum propter illam; non enim implicat, Voluntatem simul appetere plura objecta inter se ordinata, vel quodammodo in unum congregata. Tunc ergò ista Voluntas continuata usque ad furti, & fornicationis effectum duplex erit peccatum, & objecta non æqualiter primariò, sed unum primariò, aliud secundariò volitum.

Respondetur. Quòd licèt Voluntatis actus formaliter distincti possint aliquando in eadem entitate adunari, ità ut unus entitativè sit actus, duplex autem formaliter, puta dùm quis finem simul in se vult; & illum per media efficaciter assequi; tunc enim volitio, & intentio in eodem materiali actu coincidunt. Et similiter eodem actu consentire, & eligere medium: immò etiam electio medii formalitatem intentionis habere in ordine ad aliud medium; putà electio furti ad fornicandum, habere potest rationem, & formalitatem intentionis, quatenùs movet Voluntatē ad eligenda congrua media ad furandum; Non est fortè adeò certum, intentionem unius finis, & electionem medii ad ipsum conducentis in eodē actu materiali posse adunari.

Sed quia nolumus de hoc disputare; admisso casu, dicimus; quod tunc talis actus non solùm moraliter, sed realiter formaliter, si non entitativè, duplex erit; & utrumque objectum primariò secundùm diversam formalitatem respiciet. Et quidem prioritate saltèm naturæ ad fornicationem terminabitur primariò per formalitatē intentionis; ac deindè

per

per formalitatem electionis pariter primariò ad furtum. Intentio namque finis est vera, & realis causa, realiter movens ad mediorum electionem.

Sequitur Summarium.

35. *Proponens, tota die Veneris comedere Carnes, toties peccat novo peccato, quoties comedit, non autèm persistens in odio, nisi fortè odii Voluntas moraliter discontinuetur.*

36. *Idem dic de rem alienam detinente, vel de ordinato in Sacris, non emisso Castitatis voto, & similibus.*

37. *Quòd semper instet praeceptum, solùm infert, quòd semper quis peccet, non autē semper novo peccato.*

38. *Sicut unicus actus plura implere potest praecepta, ità unicus plura transgredi.*

39. *Immò plura praecepta circa idem omninò obiectum non inducunt plures obligationes, sed unam numero.*

40. *Causa de se sufficiens, absque ullo virtutis detrimento impediri potest, nè producat effectum, per hoc solùm, quòd productum inveniat.*

41. *Quarè duplex praeceptum ejusdem rationis inducere possit duplicem poenam, & non duplicem culpam.*

42. *Duplex Praeceptum non potest inducere duplicē poenam totalem, sed partialem: ità dici posset inducere duplicem culpam, quasi partialem.*

43. *Pluralitas praecepti auget culpam, non autèm notabiliter.*

44. *Duplex praeceptum inducere potest duplicem poenam ejusdem rationis, quantùm ad vim coërcitivam, non quantùm ad effectum.*

35. ALIQUÆ sunt demùm objectiones diluendæ contra hucusque traditam doctrinam, quas consultò distulimus; faciliùs enim solvuntur ex dictis. Objicies ergo primò ad probandum, quamcunque multiplicitatem actus Voluntatis multiplicare actum, quòad moralem bonitatem, vel malitiam. Si quis odio habens inimicum pluries iteret actum odii, toties, quoties peccat, etiamsi semper intendat, ipsum odium continuare, & in illo per-

persistere. Sicut proponens per totum diem non abstinere, sed comedere Carnes in die Veneris, toties peccat novo peccato, quoties comedit ergo? &c.

Respondetur, negando absolutè antecedens, quod licèt à pluribus admittatur, nescio tamen, quà ratione, nisi fortè intelligant, toties, quoties moraliter discontinuatis actibus iteratur odiũ. Ad instantiam negatur paritas; magnum siquidèm est discrimen. Nam quælibet comestio est de se integrum, completum, & adæquatum objectum Voluntatis, ac proindè, licèt unico actu ad omnes comestiones feratur Voluntas, actus ille moraliter est multiplex: Sicut si quis unico Voluntatis actu vellet, quinquies, vel decies cùm eadem fœmina fornicari, quinque, vel decem committeret peccata, cæterùm in odio unum penitùs, & idem est objectum, & cõsequenter, existente unitate morali actus per continuationem, non est, undè moraliter multiplex cẽseri possit.

36. Idem omninò dici debet in similibus casibus; putà in detentione rei alienæ, detinens enim continuè peccat, quòad usque non restituat, sed non semper novo peccato, durante in ipso morali continuatione actus, ut explicatum est. Idẽ de ordinato in Sacris, non emisso castitatis voto, quod præcipit Ecclesia Latina, cõtinuè quidẽ peccat usque dum emittat, eodem tamen continuato peccato, si Voluntas cõtinuata perseveret.

37. Nec aliquid obstat, quod opponunt, videlicèt, semper instare præceptum emittendi votum, restituendi, vel deponendi odium. Nam si hoc valeret, sequeretur, quòd unica comestione carnium in die prohibita tot quis peccata committeret, quot sumeret buccellas, quia semper instat præceptum abstinendi, quod semper comedens transgreditur, & sic de singulis; quod planè ridiculum videtur. Quòd ergò semper instet præceptum, nil aliud facit, nisi quòd semper talis peccet; non verò semper novo peccato, nisi novum eliciat actum.

38. Ex

38. Ex quibus patet ad argumentum, quod objici posset ad probandum, præceptorum multiplicationem saltèm numero multiplicare peccata. Ubi enim est distincta transgressio, ibi est distinctum peccatum; sed ubi sunt plura præcepta, sunt plures transgressiones, quia sunt plures obligationes, transgressio autē nihil aliud est, quàm contraventio, vel omissio obligationis.

Sed respondetur. Quòd sicut unicus actus plura implere potest præcepta, ità unicus plura transgredi; & sicut unus actus implens duplex præceptum ex eodem motivo non habet duplex meritum, ità nec unus actus duplex transgrediens præceptum duplex habet demeritum, vel malitiam: Cujus multiplex adduci potest ratio. Prima quidem. Nam, ut sæpè diximus, moralitas in ordine ad legem consistit; benè autem potest idem ordo ad plures terminos materiales terminari, ut patet in relatione quoque prædicamentali; puta eadē paternitas ad plures filios. Si ergò ista præcepta purè materialitèr distinguantur, eundem numero ordinem terminare poterunt.

Deindè, quia talia præcepta unicam numero mensurabilitatem important, & unam numero rectitudinē; nec enim magis est rectus, & bonus actus ex eo, quòd pluribus præceptis imperatur. Sicut non magis artificiosum est opus ex hoc, quòd pluribus regulis idem omninò dictantibus coaptetur. Demùm, quia ut dictum est, numerica distinctio ex materiali, & subjecto sumi debet, quod in moralibus est actus; præcepta verò ex parte formalis se tenent. Undè ex ipsorum distinctione specifica potiùs, quàm numerica distinctio moralium actuum sumenda est, de quà jàm suprà.

39. Vel negari posset absolutè, plura pręcepta circa idē omninò objectū plures inducere obligationes. Et ratio est evidens. Obligatio siquidem nil aliud est, quàm necessitas quædam, quà exigit actus modum à lege propositum ad ipsum regulandum, & rectificandum; ubi ergò modus non additur, &

rectitudo, neque nova necessitas, & obligatio. Indigens enim, v. gr. uno denario, unam numero necessitatem habet, sivè necessitas illi ab uno, vel pluribus inducta fuerit.

40. Neque huic obstat, quòd unumquodque præceptū de se potens est, obligationem inducere, nec amittit veram Præcepti rationem, & virtutem per hoc, quòd aliud præceptum inveniat. Nam licèt hoc totum verum sit, nihil convincit. Benè siquidem potest causa de se ad producendū effectum sufficiens absque ullo suæ virtutis detrimento impediri, nè illum producat, ex hoc solùm, quòd jā productum inveniat; ut innumeris patet exemplis. Ignis enim quilibet de se materiā ignire valet, & non præstat si jam ignitam invenit. Sacerdotes plures verba consecrationis proferentes habēt omnes virtutem consecrandi, & nihilominùs, qui primus verba profert; solus consecrat, & hujusmodi.

41. Sed instabis adhuc. Præceptum non minùs habet vim obligandi ad culpā, quàm ad pœnam; sed duplex præceptum ejusdem omninò rationis potest inducere duplicem pœnam, etiam ejusdem rationis, puta duas excommunicationes; ergò, & duplicem culpam.

Respondetur in primis. Quòd licèt quantùm est ex parte precepti, & præcipientis, eadem sit vis obligandi ad culpam, & ad pœnam; valdè tamen est dispar ratio ex parte peccantis, & puniti: nam ad pœnam sufficit actio ipsius præcipientis, nec requiritur Voluntas puniti; immò contrà, & omninò præter ejus intentionem est pœna, ut pœna, de cujus ratione est, quòd sit contraria Voluntati, ut docet S. Thom. *p. 2. q. 46. art. 6. ad 2. & alibi*; undè non requirit actionem ex parte puniti; sed solùm ex parte punientis; & sic, si duplex sit punientis actio, duplex erit punitio, & pœna. Cæterùm in culpa requiritur omninò, immò principalissimè actio ipsa peccantis, ità ut præceptum non se habeat, nisi per modum termini extrinseci, quem transgreditur peccans; undè si una tantùm

tùm sit actio peccantis, una tantùm erit culpa cōtrà duplex præceptum.

42. Respondetur secundò. Quòd duplex præceptum circa idem, non potest inducere duplicem pœnam totalem, sed ad summum partialem, ut enim ait S. D. *2. 2. q. 39. art. 4. ad 3. & q. 99. art. 4. ad 2.* Unius peccati est tantùm una pœna totalis, & adæquata; multiplicatur autem pœna, quandò una non sufficit ad corrigendam culpam; si enim una sufficeret, injustè altera infligeretur. Quarè dùm plures pœnæ infliguntur, partialiter se habent; ità ut ex ipsis una totalis, & adæquata pœna resultet. Et sic posset etiam admitti, quòd aliquo modo duplicis præcepti transgressio, duplex quoque sit culpa, quasi partialis, unam totalem integrans.

43. Præcipuè cùm in sententia Cajetani, & aliorum, pluralitas præcepti gravitatem augeat culpæ, etsi non ità notabilitèr, ut sit necesse, in cōfessione explicare.

44. Tertiò demùm respondetur, quòd licèt duplex præceptum inducere possit duplicem pœnam ejusdem rationis, quantùm ad vim coërcitivam, non tamen quantùm ad effectum; duplex enim excommunicatio ejusdem rationis unum tantùm effectum pœnalem causat; quia eisdem privat bonis, nec aliquo privat una præ alia. Et hoc ideò, quia secunda jàm invenit subjectum privatum per primam omni bono, quo posset privare. Ità paritèr, licèt duplex præceptum duplicem habeat vim obligandi ad culpam; non tamen ad duplicem culpam in effectu; quia ad eandem culpam utrùmque obligat, si ejusdē sit rationis. Undè retorqueri posset argumentum. Sicut duplex præceptum ejusdem rationis pœnam ejusdē rationis inferens, non nisi unicam pœnam in effectu ponit; ità pariter neque ad duplicem, sed unam culpam obligare poterit in effectu.

CAPUT V.

De Specie Moralitatis, quæ Malitia dicitur.

§. I. *Quid sit Malitia Moralis.*

SUMMARIUM.

1. *Malitia moralis definitur, quòd sit privatio rectitudinis debita.*
2. *Rectitudo est adæquata conformitas ad rationem, & legem.*
3. *Duplex est Malitia, & malum, scilicèt malum absolutè, & privativè, & malum alteri, seù respectivè.*
4. *Moralis malitia formalitèr consistit in ordine dissonantiæ, cui annexa est privatio debitæ rectitudinis.*
5. *Distinctio inter malum simpliciter, & secundùm quid non est commentitia.*
6. *Gratis asseritur, sine ullo fundamento, malum morale appellari malum secundùm quid.*
7. *Distinctio malitiæ privativæ, & positivæ habetur expressè Hieremiæ 2.*
8. *Aptè SS. PP. peccatum explicarunt per privationẽ, tanquàm per magis notum.*
9. *Concilia multotiès per positivum explicant.*
10. *Item quoque Sancti Patres.*
11. *Probatur ratione, formale peccati constitutivum, esse ordinem dissonantiæ.*
12. *Confirmatur à simili.*
13. *Argumentum sumptum à divina causalitate ab adversariis quoque solvendũ est.*
14. *Solvitur argumentum idem.*

1. EX duabus Moralitatis speciebus, quòad bonitatem sufficiant, quę hucusque dicta sunt; in isto capite aliqua specialitèr de malitia cõsideranda occurrunt relictis pluribus, quæ minùs utilia videntur ad intentum nostrum, quæquæ potiùs Metaphysicam speculationem, quàm Moralẽ praxim sapiunt. Et primò se offert. Quidnam sit ista mo-

moralis malitia? Cùm autē malum, ut sic, nil aliud sit, quàm privatio boni: Privatio, inquam, non simplex carētia, hoc est privatio formę, perfectionis, & bonitatis debitæ privato; si enim debita non esset, ejus privatio non esset malum, v. gr. in lapide malum non est carentia visus. Hinc malitia moralis aliud esse non videtur, quàm privatio boni moralis: Ex quo communitèr definitio moralis malitiæ colligitur. Quòd sit privatio rectitudinis debitæ in esse, in quà cōsistit bonitas moralis.

2. Rectitudo namque dicitur, quasi recta Inclinatio, Tendentia, & Propensio ad præfixum terminum; sicut linea recta dicitur, quæ nulla obliquitate, vel ambitu ad ultimum usque punctum protenditur; Via recta, quæ ad metam, seù terminum directè ducit, nec ab eo per ullas ambages, vel circuitus deflectit. Sic igitur in humanis actionibus rectitudo est adæquata conformitas ad rationem, regulam, & legem, quà actio ipsa directè ad Statutū, & præscriptum legis, & rationis in debitum tendit objectum; ità ut in nulla circunstantia à præscripto legis deviet, vel deflectat, & sic actio bona est, ac per consequens mala, si hac rectitudinē careat. Nihil ergò videtur malitia, nisi privatio debitæ rectitudinis.

3. Hoc non obstante, magna est difficultas inter Theologos, an verè moralis malitia formaliter in hac privatione consistat; an potiùs in aliquo positivo, cui talis privatio annexa sit? Quam difficultatem fusè in tractatu *de Peccatis ad q. 72. p. 2.* S. Doct. discussimus; & hic libenter penitùs omitteremus, tanquàm purè speculativam; quia tamen ab ejus resolutione plurimùm pendet specifica Peccatorū distinctio, cogimur, vel summis labiis, quà poterimus brevitate, delibare. Pro quo. Notandum est, malum, seù malitiam duplicē esse, aliud enim est malum absolutè, & in se, aliud malum respectivè, & in ordine ad aliud. Primùm certè nihil esse potest, quàm privatio; cùm enim bonitas sit impræscindibilis ab entitate,

te, quodcunque ens est, bonum est, undè, & dicitur malum simpliciter, & absolutè privativum. Secundũ verò absolutè, & in se bonum est, quia entitas est, malum tamen alteri, quia illi disconveniens, & repugnans, undè, & dicitur malum secundùm quid,& contrariè.

Quia verò nil est alteri disconveniens, repugnans, & malum, nisi in quantùm illud privat aliqua sua perfectione, & bonitate; quod enim alteri non nocet, nec aliquid aufert, illi disconveniens nõ est,nec repugnans, sed vel conveniens, vel disparatè se habens. Hinc est, quòd etiam hoc secundùm malum privationem habet annexam, immò formalissimè illam importat; ità ut malum intelligi nequeat, nisi cum respctu, & connotatione ipsius privationis.

Cæcitas v. gr. in homine absolutè, & simpliciter malum est, quia in se nihil est, sed pura visionis privatio. Ægritudo autem nõ est malum simpliciter, & absolutè privativè,sed secundùm quid, & contrariè, quia in se non est pura privatio, sed entitas quædam positiva, puta qualitas, & dispositio humorum, quæ quia privat hominem debita sibi humorum dispositione, ac temperie, illi disconveniens,& mala est, nec mala esset, nisi hanc privationem afferret.

4. Dico igitur; licèt moralis malitia indispensabiliter secum afferat, & formaliter connotet privationem debitæ rectitudinis, non tamen in illa formaliter consistit,sed in ordine dissonantiæ ad legem, & rationem. Quòd malitia moralis privationem importet, adeò clarum est, ut probatione non egeat.

Quòd autem in ipsa formaliter non consistat, in quo est difficultas, videtur expressa D. Thom. sententia innumeris penè locis; ac præcipuè 3.cont.*Gen.* cap.9. ait inter cætera. *Nec malum, secundùm quòd est differentia specifica in Genere moralium, importat aliquid, quod sit secundùm essentiam suam malũ, sed aliquid, quod secundùm se est bonum,malum autem homini, in quantùm privat ordine rationis, quod est hominis* bonum

bonum. Idem docet *p.p.q.*48. *art.* 1. *ad* 2. Et clariùs explicat q. 1. de malo art. 1. ad primum, & infrà.

5. Ex quibus liquidò apparet, distinctionem inter malum simpliciter, & secũdùm quid, & morale, non esse fictam, & commentitiam, ut cùm Vasquez, & aliis ait Mastrius in 2.disp.6. *de Pec. q.* 1. *art.* 1. neque à Cajet. excogitatam, cùm illã, ut videre est locis citatis, expresse doceat S. Doctor, quem ipsi,aut non legerunt, aut intelligere noluerunt.

6. Gratis quoque omninò cùm Suar. disp. 99. *Met.* Sect. 1. n.16. idẽ asserit Mastrius, sine ullo prorsùs fundamento,malum morale appellari malum secundùm quid, & non simpliciter. Ut enim notat vocabulum ipsum, omnium malorum maximum est malum simpliciter, quam appellationem convenientiùs multò meretur morale malum; Cætera namque mala naturalia in ejus comparatione longè minora sunt. Quod certè non dicerent, si advertere vellent, nos idem malum morale in genere quoque mali simpliciter constituere, cùm ipsi privationem adjunctam asseramus.

Quòd si adhuc velimus dicere, morale malum, etiã præcisa privatione illi adjũcta, excedere in immensum quodcunque malum simpliciter in esse naturali, nil contrà nos convincerent. Minimum enim superioris ordinis excedit maximum ordinis inferioris; undè maxima perfectio argenti pervenire non potest ad minimã auri perfectionem, vel perfectissimum corporum ad infimum spiritũ. Etsi ergò Malum morale sit malũ secundùm quid, quia superioris est ordinis, excedit quodcumque malum simpliciter ordinis naturalis.

7. Porrò tantùm abest, quòd hæc duplex malitia, privativa scilicet, & positiva, ficta sit, & commentitia, ut cæteris omissis, habeatur expresse Jer. 2. ajente Domino. *Duo mala fecit Populus meus. Me dereliquerunt fontem Aquæ vivæ* (en privativum, & aversio) *& foderunt sibi Cisternas, Cisternas dissipatas*, (en positivum, & conversio.) Nonne

nè apertè conversionem ipsam, ut ab aversione distinctam, vocat Dominus malum? an fingit, an commentum loquitur Deus? an ista ignoraverunt SS. PP. quòd Mastrius asserit, ipsos nullũ aliud agnovisse malũ, quàm defectum, & privationem?

8. Negari certè non potest, multotiès Patres malitiam, & peccatum per privationem explicasse; & id quidem non incongruè, sed aptè nimis, tanquàm per magis notum; Cùm ex alia parte valdè obscura sit, nec facilis explicationis ejus natura, & essentia; maximè quòd ipsa privatio, licèt essentia non sit peccati, est nihilominùs quid necessariò connexum, & formaliter consecutum; Et quidem propriè, specialique modo, non ex cõmuni conditione, quà ad unamquamque essentiã, negatio alterius naturæ consequitur. Sicut objecta fidei, & spei positiva quædam sunt pro formali, sed tanquàm intrinsecos modos, negationem habent; Puta fides non visum, spes non habitum, per quas complentur utique, non constituuntur. Item motus est realis tendentia, quæ tamen intelligi nequit sine carentia termini ad quem, & demùm unitas quid positivum est, nihilominùs ipsam per privationem explicamus, Carentiam scilicèt divisionis: Ita pariter licèt morale malum, & peccatum in positivo formaliter consistat, ipsũ benè absque privatione explicare non possumus.

9. At falsum omninò est, semper PP. per privationem explicasse peccatum, & malitiam: Constat siquidem nedùm PP. sed Concilia, & Scripturas multotiès per positivum explicasse; puta vocando peccata actus, mala opera, & similia, & præsertim Trid. Sess. 6. Can. 6. *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera, ità ut bona, Deum operari, non permissivè solùm, sed etiam propriè, & per se &c. anathema sit*. Et certè loquitur Concilium de peccato pro formali, qualiter solùm permissivè à Deo est, nam prò materiali propriè ab illo est effectivè, sicut entia cætera. Peccata igitur mala opera sunt,

ſunt, opus autem quid poſitivum eſt.

10. Patres quoque centies peccatum per poſitivum explicant.. Sufficiat autem pro cunctis Auguſtinus innumeris in locis lib.22. contrà Fauſtum cap. 27. *Peccatum eſt factũ, vel dictum, vel cõcupitum aliquid contrà æternã legem*: Lib. *de duabus animabus* cap.11.*Peccatũ eſt Voluntas retinendi, vel conſequendi, quod Juſtitia vetat*. Primo de libero arbitrio capit. 16. Peccare nihil aliud eſt, quàm neglectis rebus æternis, temporalia ſectari. Lib. 83. quæſtionum q. 30. Omnis humana perverſitas eſt, uti fruendis,& frui utendis. Sed potiſſimùm lib. de perfectione Iuſtitiæ in initio ait: *Quærat ergò, quod eidem vitio nomen imponat, utrùm rem velit dicere an actum; an rei potiùs qualitatem malam, quà deformis actus exiſtit*. Ubi clarè deformitatem actus in qualitate conſtituit. Et lib. item de perfectione Juſtitiæ ratiocinatione 4. *Iterum quærendum eſt, quid eſt peccatum, Actus, an res? Reſpondemus, peccatum quidem actum dici, & eſſe, non rem*. Ideſt non ſubſtantiã; diſputabat enim contrà Cœleſtium. Demùm *de natura, & gratia* cap. 64. Pelagio alleganti, *Joannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus dicit; Peccatum non eſſe ſubſtantiam, ſed actum malignum*, reſpondet Auguſtinus: *Quis hoc negat?* Patet ergò, Auguſtinum, & Chryſoſtomum peccatum in actu conſtituere. Nec certè dici poteſt, in his præcipuè locis Auguſtinum ſumpſiſſe peccatum pro materiali: cùm enim contrà Hæreticos quærentes, in quo nam peccatum conſiſteret,diſputaret, inſufficienter nimis locutus eſſet, per materiale, non per formale peccati reſpondendo; quòd ſi formalitatem ipſius in privatione cognoſceret; Utique facillimè reſpondere potuiſſet. Peccatum nihil eſt, ſed privatio.

11. Probatur igitur breviter hac una, & efficaci ratione aſſertio noſtra. Illud eſt formale conſtitutivum cujuſcumque rei, quod primò in ipſa re intelligitur, & quo poſito, ponitur, & intelligitur ipſa res, quocum-

que alio præciso, atqui primum, quod in malo morali intelligitur, non est privatio, sed ordo dissonantiæ, & contrarietatis ad legem, & hoc posito, etiam non intellecta privatione, ponitur, & intelligitur morale malum: ergo in ordine isto formalissimè, & adæquatè consistit. Discursus est legitimus. Major est evidens. Minor verò quoad primam partem, videtur certa: privatio enim supponit fundamentum; priùs ergo intelligitur fundamentum, quàm ipsa privatio; hoc autem esse non potest, nisi contrarietas ad legem; in tantùm enim actus peccati secum fert privationem rectitudinis legis, & virtutis oppositæ, in quãtùm cum utràque pugnat, illisque contrariatur; ità ut si illis non contrariaretur, nec privationem induceret, immò cum illis compatibilis esset. Sicut calor in tantùm frigus expellit, ejusque privationem inducit, quia cum illo pugnat, illique contrariatur; ità ut si contrarius non esset, ipsum non expelleret, nec ejus induceret privationem. Non ergò privatio, sed ordo contrarietatis, & dissonantiæ, ad quẽ sequitur ipsa privatio, est id, quod primò in malo morali intelligitur.

Quoad secundam partem etiam probatur eadem minor. Ex hoc ipso, quod actus intelligatur dissonus, & cõtrarius legi, quocumque alio præciso, formalissimè moraliter malus est, eo enim ipso, quod cum ordine, & respectu, & subjectione ad legem eliciatur, utique moralis est, cum in alio non consistat moralitas, quàm in ordine, & subjectione ad legem: atqui non potest bonus esse, quia bonum dicit conformitatem: ergo malus. Et quidem formaliter, non tantùm initiativè, materialiter, aut fundamentaliter: ex hoc enim, quod actus cum respectu, & subjectione ad legem eliciatur, est formalissimè in genere moris; cùm respectus ad legem sit ipsissima formalis moralitas: ergo ex hoc ipso, quod cum repugnantia, & contrarietate legem respiciat, est formalissimè malus moraliter.

12. Confirmari potest.

Ca-

Calor enim, v. gr. non solùm, quia privat aquam frigiditate sibi debita, & convenienti, est disconveniens aquæ, sed etiam, quia de se qualitas est naturæ aquæ repugnans; ità ut, etiamsi per impossibile absque frigoris expulsione introduceretur calor in aquam, illi disconveniens esset, utpotè forma, non solùm nihil conferens; immò repugnans ipsius naturæ; ergo pariter actus, non solùm, quia privatur legis rectitudine, sed quia illi contrarius, & cum illa pugnans, disconveniens, ac difformis est: immò certè primariò ex ista contrarietate; cùm non nisi ex illa privationem importet; Sicut calor ex contrarietate privationem infert frigoris: igitur adhuc non intellecta privatione, actus per contrarietatem ad legem, formalissimè malus est moraliter.

13. Potissimùm argumentum, quòd contrà opponunt Adversarii, est ex inconvenienti. Si enim formalis malitia quid positivũ esset, non pura privatio, peccatum ipsum pro formali causaretur à Deo; omne siquidem positivum à Deo causatur; quod nimis est absurdum.

Cruciat certè objectio ista, quæ tamẽ ab ipsis quoque omninò solvenda est. Ut enim cætera brevitatis gratia omittam, estò apud ipsos peccatum pro formali sit pura privatio; hæc certè reale fundamentum habere debet, aliàs non privatio, sed mera negatio esset; at hoc fundamentum esse non potest, nisi quid positivum; privatio enim non est privationis fundamentum, ni velimus dare processum in infinitum. Si ergo fundamentum privationis, in qua per illos formalis malitia consistit, positivum est, utique à Deo causatur; causans verò fundamentum non potest non causare privationẽ, quæ posito fundamento, resultat, hæc enim aliter causabilis non est, nec aliter ab ipsa Creatura causatur, quã per fundamenti positionem. En ergo, quod ponendo formale malitiæ, & peccati in privatione, difficultatem non effugiunt.

14. Dicendum est igitur, brevi, facili, ac vera solutio-

ne. Omne positivum causari à Deo, non tamen sub omni formalitate, & ratione, sed tantùm secundùm id, quod habet de entitate, & perfectione; non secundùm id, quod à perfectione deficit. Constat enim, Deũ causare liberum arbitrium, non tamen, ut est causa peccati, licèt liberum arbitrium, ut causa peccati, non sit quid à se ipso absolutè sumpto distinctum. Ipsa defectibilitas, & potentia ad peccandum, non est certè privatio; non est enim ipse defectus, ipsum peccatum, sed quid positivum connotans defectum, peccatum, & privationem; est autem à Deo, ut entitas est, non ut connotans defectum. Actio limitata est à Deo, ut entitas, non sub formalitate limitationis, ut sic enim defectũ importat. Motus tibiæ claudicantis, à Deo, & ab Anima est in ratione motus, non obliquitatis, & claudicationis. Ipsum fundamentum privationis, in quà ponunt Adversarii formale peccati, dicere ipsi quoque debent, quod causatur à Deo, cùm sit quid positivum, non tamen, ut formaliter privationis fundamentũ, ut sic enim causaret Deus ipsam quoq; privationem, quæ aliter causabilis non est.

Hoc autem ideò, ut benè advertit Cajetanus *p. 2. q. 79. art. 1.* quia in resolutione effectuum in causas nõ consideratur distinctio rei, sed ratio rei. Præcipuè quando formalitas aliqua, quantumvis cum effectu identificata, est extra sphæram causalitatis, & efficaciæ ipsius causæ. Sicut quamvis obliquitas in motu sit illi identificata, vel adminùs inseparabiliter, ac intimè connexa, nihilominùs anima, tibiam curvam movendo, causat motum illum quatenùs physicus, & vitalis, non quatenùs obliquus, & defectuosus; quia obliquitas illa non continetur intra objectum adæquatum potentiæ loco motivæ, sed tota in tibiam curvam reducitur; quo exemplo utitur D. Thom. *p. 2. q. 79. art. 2.* & S.P. August. *de perf. jus: rat. 4.* Sic igitur quamvis formale peccati quid positivum sit, non dicitur causari à Deo; quia licèt causet illud positivum,

quan-

quantùm ad entitatem, & secundùm id, quod habet de perfectione; non tamen secundùm quod contrariatur legi, & rationi, estque fundamentum privationis, & aversionis, quamvis ista contrarietas, & hoc, quod est, esse fundamentum privationis, non sit quid distinctum realiter ab ipsa entitate positiva, quæ causatur à Deo; quia talis contrarietas, & fundamentum non est intra sphæram divinæ causalitatis, & efficaciæ, cùm defectum importet, & recessum ab ultimo fine; objectũ autem divinæ omnipotentiæ adæquatum est solùm id, quod in ipsum Deum ultimum finem est reducibile. Et hæc sint satis, superque dicta, nè à nostro nimis recedamus instituto; reliqua apud Authores videnda relinquimus, cui libuerit.

§. II. *Quid sit Peccatum, & à quò ejus distinctio sumenda.*

SUMMARIUM.

1. *Peccatum, aliud originale, aliud personale, & hoc, aliud actuale, aliud habituale.*
2. *Peccati actualis definitio explicatur.*
3. *Peccata diversis opposita virtutibus, proculdubio specie differunt.*
4. *Eidem virtuti opponuntur peccata specie diversa per excessum, vel defectum, seù etiam per omissionem, & commissionem.*
5. *Privatio ejusdem formæ, distingui potest specie, si consideretur ex parte positivi, cui necessariò conjuncta est.*
6. *leges, & præcepta diversum præscribentia modum, & directionem, diversificant specie peccata, non aliter.*
7. *Ex fine intrinseco, proximo, & immediato specie distinguntur peccata.*
8. *Tutior, formalior, & infallibilior est regula; peccata specie distingui per objecta.*

1. MUltiplex est peccatum. Aliud originale dicitur, quod ab Adamo derivatur, & per originem, & generationem in ejus posteros transfunditur. Aliud

Aliud personale, quod ab alio non derivatur, sed propria peccantis Voluntate committitur. Personale insuper dividitur in actuale, & habituale. Primum est actus malus, & difformis regulis morum; secundùm est macula quædam, quæ in anima relinquitur ex actuali peccato, & in ea remanet, donec per gratiam sanctificantem auferatur. Undè peccatum habituale non est habitus vitiosus; hic enim est quædam proxima, expedita, & prompta potentia, quæ ad peccandum inclinat; & non unico actu peccati, sicut macula, sed multiplici generatur. Relictis autem cæteris, utpotè ad nostrũ finem parùm conducentibus; hic pauca de actuali peccato subjiciemus; plura siquidem ex jam dictis patere possunt.

2. Definitur ergo communiter hujusmodi peccatum ex August. lib. 22. *con. Faust.* cap. 27. Dictum, vel factum, vel concupitum contra legẽ æternam. Quam definitionem explicat S. D. *p.* 2. *q.* 71. *art.* 6. per aliam strictiorem, & formaliorem, dicendo: *Peccatum nihil aliud est, quàm actus humanus malus*. Duo igitur sunt in peccato, actus videlicet humanus, hoc est voluntarius, & liber; & malitia. Ideò benè August. in dicta definitione utrùmque ponit; id, quod pertinet ad substantiam actus humani, scilicet dictũ, factum, vel concupitum; & quod pertinet ad rationem mali, scilicet contrà legem æternam, quæ prima regula est humanorum actuum, à quà omnes aliæ dependent, & legis, ac regulæ rationem participant. Quia verò subdit S. Doct. ad idem genus pertinet affirmatio, & negatio; ideò accipiendum est in dicta definitione dictum, & non dictum, factũ, & non factum; & sic etiam comprehendit peccatum omissionis, de quo paulò post dicemus.

3. Pro nunc aliqua de peccatorũ distinctione breviter advertenda sunt. Et quidem de numerica nihil prorsùs addendum remanet ad ea, quæ generaliter capite diximus præcedenti. Quò ad specificam verò triplex adest sententia. Prima eorum, qui ponunt formale con-

cõstitutivum peccati in privatione perfectionis oppositæ virtutis, & consequenter, cum privatio ex forma opposita specificetur, & distinguatur, asserunt, peccata specie distingui per oppositas virtutes. Quod hæc sententia de certo habet est, quòd peccata diversis virtutibus opposita citra dubium omninò specie distinguuntur; sivè hoc sit, tanquam ex ratione formali, sivè ex quocunque alio capite.

4. Cæterum, cum eidẽ virtuti peccata specie distincta opponi possint, puta liberalitati prodigalitas, & avaritia (non enim audiendus est Mastrius in 2. disp.6. *de Pec. q.2. art.3. & Met. disput. 5. num.* 318. admittens, peccata eidem virtuti opposita per excessum, & defectum, ejusdem esse speciei in genere moris, quòd nescio, quomodo possit admitti cõtrà communẽ Philosophorum sententiam.) Recurrendum est ad formalem distinctionem objecti, ut benè recurrit idem Mastrius loco citato *in 2. art.* 4. ad ponendam specificam distinctionem inter peccata omissionis, & commissionis contrà eandem virtutem, puta inter Dei odium, & omissionem amoris ejusdem. Quod certè omninò dici potest de peccatis per excessum, & defectum; licèt enim prodigalitas, & avaritia idem habeant materiale objectum, scilicet bona fortunæ; formale tamen objectum avaritiæ, est pretium illorum, ex quo ad illa congreganda Voluntas urgetur; prodigalitatis verò eorundem utilitas, ex quà ad illa parvipendenda, & dissipanda movetur: & intellige semper cùm ordine, & respectu ad legẽ, quæ perindè, ut cap. præcedenti diximus, diverso modò dirigit, ac moderatur.

5. Ubi etiam advertite ex Greg. Martinez *p.2. q.72. art. 1. dub. 1.* quòd si privatio in se consideretur per ordinem ad formam, cujus privatio est, proculdubio, eâdem forma manente, privatio diversificari non potest; Si autem consideretur ex parte positivi, cujus est proprietas, vel cui necessariò conjuncta est, etiamsi forma privata eadem omninò sit, benè poterit privatio

tio diſtingui, ſecundùm diſtinctionem formæ, ad quã ſequitur. Sicut diſtinctæ ſunt hoc modo privationes rationalitatis in equo, & Leone; quia licèt rationalitas, quà privant, eadem ſit, differentiæ tamen equi, & leonis, quibus tales privationes naturaliter conjunctæ ſunt, ſpecie diſtinguuntur. Undè in noſtra ſententia, diſtincta erunt peccata ſpecie contrà eandem virtutem, etiam in ratione privationis, & mali ſimpliciter, ſi rationes poſitivæ, quibus connexæ ſunt ſpecie diſtinguantur: Ità pariter in hoc ſenſu admitti poterit hæc ſententia, quod ex virtutibus, peccata ſpecie diſtinguantur; ità ſcilicet, ut nõ ſolùm diſtincta ſint ſpecie peccata contrà diſtinctas virtutes; verùm etiam, quãdo eidem virtuti opponuntur ſecundùm diverſam rationem rectitudinis, modi, ac directionis juxta ea, quæ à nobis tradita ſunt cap. prçcedenti §. 3.

6. Secunda ſententia eſt aliorum, formale peccati cõſtitutivum ponentium in privatione rectitudinis legis, ſeù præcepti; ac per conſequens ex diverſitate præceptorũ peccata diſtinguentium. Quæ pariter ſententia in praxim admitti poteſt modò intelligatur, tunc prçcepta, ſeù leges peccata ſpecie diſtinguere, quando diverſum imponunt modũ, ac directionem præſcribunt, & non aliter, ut ſatis quoque in præcedenti capite explicatum eſt.

7. Tertia eſt quoque ſententia, ſpecie diſtingui peccata ex fine. Quæ ſi benè intelligatur, vera eſt, & cum noſtra coincidit; finis enim intrinſecus, proximus, & immediatus idem eſt, ac objectum, à quo, nos diſtinctionem ſpecificam peccatorum ſumendam eſſe, aſſerimus: finis autem extrinſecus poterit quidem addere novam ſpeciem malitiæ accidentalem, ſi novam ſecum afferat formalem rationem objecti, ut pariter in dicto capite oſtendimus.

8. Quamvis igitur in praxi ad cognoſcendas peccatorum ſpecies uti poſſis pro regula præceptorum diſtinctione, formali tamen, & ex diverſo motivo proceden-

cedentium, diversumque modum præscribentium, & directionem: vel etiam oppositione virtutum modo explicato: Formalior tamẽ, tutior, infallibilior, ac expeditior est regula, si ab objectis formalibus in genere moris distinctionem peccatorum exquiramus. Cum enim peccata, etiam in genere moris, actus humani sint; actusque per objecta formalia distinguantur specie; nec aliter, quàm per ordinem ad objecta, ipsam legem respiciant, ut præcedenti capite satis ostensum est; per eundem ordinẽ moralitatem recipiunt, ac perindè speciem ipsius. Recolite, quæ capite eodem dicta sunt, nè hic frustra repetantur.

§. III. *De multiplici Peccatorum divisione.*

SUMMARIUM.

1. *Peccata dividuntur primò in carnalia, & spiritualia.*
2. *Item alia sunt specialiter in Deum, alia in se ipsum, alia in proximum.*
3. *Item dividitur peccatum, in peccatum cordis, oris, & operis.*
4. *Dividitur etiam generaliter in peccatum commissionis, & omissionis.*
5. *Etiam omissionis formalis malitia est positivus ordo dissonantiæ, & contrarietatis ad legem.*
6. *Fundatur iste ordo in actu voluntatis, quò vult omissionem, vel qui est causa, vel occasio omittendi.*
7. *Omnis actus, qui est causa, vel occasio inficitur malitia ipsius omissionis.*
8. *Secus si non influat in illam, quamvis cum actu præcepto sit incompossibilis.*
9. *Censendus est influere, nisi firma, & stabilis præcesserit omittendi Voluntas.*
10. *Immò quotiescumque spes adest mutandi propositum.*
11. *Clericus longam assumens navigationem cùm firmo proposito non recitandi horas canonicas, tot peccata committit, quot sunt dies.*
12. *Breviarium projiciendo, novum & distinctum peccatum committit.*
13. *Actus qui est causa omissionis, ex hoc præcisè non inficitur, nisi malitia ipsius omis-*

omissionis, quamvis privetur propria bonitate.

14. *Peccatum omissionis, non solùm est formaliter, dùm quis vult, omittere, sed etiam, dùm instat præceptum eliciendi actum.*

1. NON intēdimus hic omnes peccati divisiones in specie assignare, sed quasdam solùm generales; Illud enim longum esset nimis, ac per singulas materias discurrendo, prout se obtulerit occasio, ex regula jam tradita facilè quisque athomas etiam peccatorum species dignoscere poterit.

Primò ergò dividuntur peccata actualia in carnalia, & spiritualia: ea, sunt, quæ in carnali delectatione perficiuntur, ut gula, & luxuria: Ista verò, quæ in quadam spirituali delectatione, & appetitu consistunt; & spirituale intellige, prout spiritus à carne, & corpore distinguitur, non verò in alia strictiori acceptione, ut à Spiritu Sancto nominatur, & sic spiritualia peccata sunt omnia, quæ in sola apprehensione, & Voluntate de se consummantur, ut superbia, invidia, & hujusmodi.

2. Secundò peccatū dividitur ex parte personæ, in quam peccatur immediatè, & sic alia sunt peccata specialiter contrà Deum, licèt ex generali cōditione quodlibet peccatū contrà Deum sit, utpotè injuriam, & offensam illius includens: Alia sunt peccata contrà se ipsū: Alia contrà proximum. Ad hæc enim tria homo benè, ac moderatè habere se debet; Ad Deum quidem per debitum amorem, & reverentiam; ad se ipsum juxtà debitum, & exigentiā propriæ naturæ, & ad alios homines, quibus convivere debet, ut animal sociabile. Quotiescumque igitur ab aliquo ex dictis ordinibus deflectit, ac deficit, peccare dicitur; in Deum quidem; cùm illi debitum amorem, & reverentiam subtrahit. In se ipsum, cùm juxtà rationis exigentiam proprias non regulat passiones, & actus; Bonum enim proprium hominis est, secundùm rationem esse. In proximum denique, cum illi proprium

Jus

Jus non servat, vel humanam societatem offendit.

Patet autem, quòd omnia hucusque enumerata peccata, formaliter inter se distinguuntur, cum habeant distincta immediata, & propria objecta formalia; quidquid sit, an carnalia, & spiritualia ex præcisa ratione spiritualis, & carnalis distinguantur.

3. Tertiò dividitur in peccatum cordis, oris, & operis: quæ certè, si accipiantur, secundùm quòd cordis peccatum est illud, quod ex natura sua cõsummatur in corde interiùs, puta odium; peccatum oris, quod consummatur in ore, ut mendacium, ac peccatum operis, quod opere completur externo, ut homicidium, formaliter distinguuntur; patet enim, quòd distincta habent objecta formalia; si verò intelligantur, secundùm quòd ad idem ordinãtur, potiùs gradus quidam sunt ejusdem peccati, quàm diversa peccata, v. gr. in luxuria priùs ex concupiscentiæ motu quis appetit, dein per verba, vel alia externa signa internam cordis concupiscentiam dem onstrat, ac demùm actũ ipsum opere complet: non sunt autem hæc tria, sed unum etiam numero peccatum, nisi fortè discontinuetur, juxta regulas cap. præc. §. 4. generaliter de numerica distinctione traditas.

4. Quartò dividitur peccatum generaliter in peccatum cõmissionis, & omissionis. Primũ est actus malus, & regulę, rationi, ac legi difformis. Secundùm est carentia, seù privatio actus debiti, & à lege præcepti. Quarè commissio est contrà præceptũ negativum prohibens actũ, quem commissio ponit; omissio verò contra præceptũ positivum præcipiens actũ, quem omittens non curat, ponere. Quæ peccata ex præcisa ratione commissionis, & omissionis formaliter non differunt, sed purè materialiter; Undè si ex eodem motivo procedunt, & circa idem objectum, ejusdem sunt omninò speciei in genere moris, puta rapere alienum, & non solvere debitum, ut expresè docet S. Thom. *p. 2. q. 72. art. 6.*

5. Sicut ergò formalis

distinctio peccati commissionis ab objecto formali actus ipsius desumenda est; ità & omissionis ab objecto actus, cujus est carentia, ubi tamen advertite, quod licèt omissionis peccatum, secundùm suam specialem omissionis rationem pura sit privatio; nihilominùs ejus quoque formalis malitia, non pura privatio est, sed positivus ordo dissonantiæ, vel contrarietatis ad legem; qui quidem ordo non in ipsa privatione actus, quam dicit omissio, fundatur, privatio enim capax non est alicujus positivi, sed in actu Voluntatis, quò ipsam vult omissionem, quique malitia ejus inficitur, ut insinuat Martinez ad dictum art. 6. dub. 2. ad 2.

6. Et quidem, si directè volita sit omissio, puta dum quis expressè vult, omittere, seù non agere actum præceptum, clarè patet; quando verò expressè volita non est, fundabitur in actu, qui causa est, vel occasio omittendi, qui pariter indè malitiam ipsius omissionis cōtrahet, quia verò nolumus disputare, an possit dari omissio culpabilis absque omni actu, licèt probabilius omninò, & conformius ad S. Doct. mentem existimemus, non posse, cùm enim culpabilis esse nō possit, nisi voluntaria; siquidem volita non est directè, ad minùs certè indirectè, ac per consequens ad Voluntatem alterius, quod causa sit, vel occasio illius; sed nolumus, inquam, de hoc disputare, quia parùm refert, ideò adhuc in sententia eorum; qui contendunt, absque omni prorsùs actu posse omissionem dari culpabilem, dicimus; quod tunc ordo ipse in potentia, seù voluntate fundabitur, non quidem nudè sumpta, sed ut suspendente actum à lege præceptum, ut sic enim verè legi contrariatur.

7. Aliqua demùm circa hujusmodi omissionis peccatum notanda sunt, & primò certum est, quòd omnis actus, qui sit verè causa, vel occasio omittendi, ejus malitia inficitur, v. gr. si quis propter nimiam studendi aviditatem omittat Sacrum in die Festo, tale studium, quamvis bonum in se, vitiatur

tur ex ista circunstantia mali effectus, & malum redditur. Dubium est autem, an quando actio non est causa, neque occasio omittendi, nihilominùs eâdem inficiatur malitia, si cum actu præcepto incompossibilis sit, v.g. si quis jam deliberaverit, Sacrum omittere, ac interim, dum urget præceptum, studio vacet, an, inquam, tale studium vitietur eâdem omissionis malitia?

8. Ad quod negativè respondetur. Siquidem tale studium nullatenùs in omissionem influit, sed merè per accidens, & concomitanter ad illam se habet: quotiescumque igitur actus de se incompossibilis cū adimpletione præcepti supponit, jam firmum, & efficax Voluntatis decretum non servandi præceptum, ad ejus omissionem talis actus merè per accidens se habet, nec ejus malitia inficitur.

9. Si verò tale propositum non supponit, etsi aliqua præcesserit omittendi Voluntas, non tamen adeò firma, & stabilis, actus ipse incompossibilis censendus est, aliqualiter influere; cùm enim de se humana Voluntas variabilis sit nimis, talis actus est causa, quòd præcedens non retractetur, cum de se adeò non fuerit efficax.

10. Immò addo, quòd licèt Voluntas efficax fuerit omittendi; si tamen aliqua sit spes moraliter mutandi propositum, puta quia longum adest implendi præceptum tempus, actus cum ejus impletione incompossibilis cēsetur adhuc influere utpotè obicem, & impedimentum ponendo, nè Voluntas retractetur, sicut veri similiter poterat retractari: undè Clericus, v. g. longam assumens navigationē cùm firmo proposito non recitandi horas canonicas toto navigationis tempore peccaret mortaliter, projiciendo Breviarium, quia verisimile est, quòd toto illo tempore priorē retractaret Voluntatem, & per projectionē necessitatur ad omittendum.

11. Et quidem puto, quòd novum esset ac distinctum peccatū à præcedente Voluntate; & ratio est, quia licèt Voluntas omittendi con-

continuata sit; moraliter tamen discontinuata censetur, juxta regulam superiùs traditam cap. præcedenti §. 4. Pro cujus intelligentia notandum, quòd proponens, non recitare Divinum Officium per mensem, v. g. non unum, sed tot peccata committit, quot sunt dies in mense, quia cujuslibet diei officium est de se completum, integrum, & adæquatum objectum præcepti; ac proindè transgressionis, nec unum ad aliud ordinatur, nec aliquo modo per modū partium se habent; undè talis actus Voluntatis, quò proponit, per mensem non recitare, virtualiter est multiplex, sic eâdem ratione intendens ter, vel quater fornicari, etiam eodem simplici Volūtatis actu in esse naturæ, tria, vel quatuor fornicationis peccata mentaliter committit, licèt opere non expleat.

12. Insuper advertendum, quòd in tali casu duplex est omninò actus Voluntatis, etiam realiter, & in esse naturæ, vel entitativè, ut probabilius puto, vel saltem formaliter, juxta ibidem tradita: prior enim voluntas est intentionis, quâ intendit non recitare, ex quâ movetur ad electionem medii conducentis, projectionem scilicet ipsius Breviarii; undè talis actus, quò vult, Breviarium projicere, distinctum omninò habet primarium, & adæquatum objectum à priori Voluntate; per hunc enim vult primariò, & immediatè, obstaculum ponere ad officii recitationem, ità ut, etiam si prior Voluntas retractetur, non possit officium recitare, & hoc quidem, aut directè, & expresè, aut sanè indirectè, dùm enim vult, Breviarium projicere, indirectè saltem vult omne id, quod ipsam projectionē consequitur. Quarè talis Voluntas æquivalet, & virtualiter cōtinet actum, quò post retractationem prioris voluntatis, iterùm ad ipsam recurreret; Sicut defacto, si talis Voluntatem retractaret, nō posset amplius Divinū Officium recitare; hoc autem est quod saltem indirectè, & in causa volvit, dùm projectionem volvit Breviarii, ac per consequens per talem actum

actum Divini Officii omissionem, etiam supposita retractatione prioris Voluntatis; quod constat distinctum esse peccatum, & actum etiam in genere moris.

13. Aliud occurrit dubium. An actus de se bonus, dum vitiatur, eò quod sit causa, & occasio omissionis; duplicem habeat malitiam specie distinctam; unam scilicet ipsius omissionis, & aliam oppositam virtuti, ad quam spectaret, si non vitiaretur, v. gr. utrùm studium causans omissionem Sacri sit, non solùm contrà Religionem, sed etiam contrà virtutem studiositatis. Et ratio dubitandi est, quia talis actus privatur de facto bonitate, quam aliàs haberet ex specie sua, non videtur autem hac posse privari, nisi per contrariam malitiā, quod enim alteri non contrariatur, illud non expellit. Præterquamquod nimius, & immoderatus affectus ad studium est propriè contrà studiositatis virtutem; omittens autem Sacrum, ut studio vacet, omninò videtur excedere in affectu studendi; ac per consequens etiam contrà studiositatem peccat.

Dicendum nihilominùs, actum, qui est causa omissionis, nisi aliundè pariter vitietur, ex hoc præcisè non infici, nisi unica omissionis malitia: licèt enim privetur etiam propria bonitatis specie, id non est per se, sed omninò per accidens ratione incompossibilitatis, quā habet generaliter malitia cū bonitate; quælibet enim specialis malitia cum omni bonitate pugnat, illamque expellit: Sicut quodlibet mortale peccatum expellit gratiam, charitatem, omnesque virtutes infusas; non tamen sequitur, quòd quodlibet mortale peccatum tot habeat malitias, quot virtutes expellit, sed tantùm illā, quæ virtuti opponitur, cùm quà specialiter pugnat. Similiter non quilibet excessus est propriè contrà studiositatem, seù quamcunq; aliam virtutem, sed tantùm ille, qui transgreditur limites, & modum ab ipsa virtute specialiter præscriptos; puta si quis prohibitis, inanibus, vel propriā facultatē superantibus studere vellet:

let: quando, verò excessus non est in propria materia, nec per transgressionem limitis, aut modi talis virtutis, sed tantùm ratione alterius virtutis, ut in casu, non vitiatur actus per malitiam propriæ virtuti oppositam, sed per malitiam oppositam virtuti, quam lædit.

14. Nota demùm, quòd sicut, licèt tota malitia; præcipuè quòad demeritum, ut supradictum est, in actu voluntatis consistat, ità ut externa executio novam non addat, nec augeat malitiã; nihilominùs ipsa externa executio mala, & peccaminosa est formaliter, & non solùm objectivè, neque ut purus effectus; eâdem tamen formali malitia voluntatis: ita pariter in omissione, tota quidem formalis malitia est in actu, quò quis directè, vel indirectè vult ipsam omissionem, nihilominùs, dum instat præceptum eliciendi actum, quamvis tunc non adsit actualis Voluntas omittendi, omissio ipsa mala est formaliter, & peccaminosa; eâdem tamen, & non distincta malitia, & non purus effectus malæ Voluntatis, vel peccati, modò Voluntas ipsa retractata non sit.

Quod non est speciale in omissione, sed in quocumque alio effectu voluntario in causa; puta dum quis turpi cogitatione delectatur, ac indè in somnis polluitur, pollutio ipsa, dùm contingit, non est purus peccati effectus, sed in se mala, & peccaminosa, eâdem tamen malitia præcedentis delectationis, in quà, tanquam in causa voluntaria est; ità pariter dùm quis inebriatur, aut somno indulget, ex quo Sacrũ tempore debito omittit, ipsa omissio mala, & peccaminosa est, non purus peccati effectus, quia in causa voluntaria est; eâdem tamen malitia, quà fuit mala Voluntas causæ; hujusmodi enim effectus, & omissiones sunt veluti quædam substantialia complementa ipsius Voluntatis, sicut actus externi.

§. IV. De

§. IV. *De Peccato mortali, & veniali.*

SUMMARIUM.

1. *Mortale dicitur, quod infert animæ mortem, privando gratia, & charitate; veniale autem dignum venia, nec privans gratia.*
2. *Non distinguitur mortale à veniali ex parte subjecti, fidelis scilicet, & infidelis, prædestinati, & reprobi.*
3. *Nec etiam per hoc, quod mortale sit contrà præceptum, veniale contrà consilium.*
4. *Sed potissimè; quòd mortale est contrà legem, veniale autem, non contrà, sed præter legem.*
5. *Veniale ex parvitate materiæ, vel imperfecta deliberatione nō est propriè contrà legem.*
6. *Veniale ex genere non est contrà, sed præter legem, hoc est, non contrà finem intentum à lege.*
7. *Veniale est contrà legem particularem, non contrà totam legis unitatem, seù contrà modū ad perfectionem pertinens, non substantiam legis.*
8. *Vel demùm, si veniale est contrà legem, non tamen, quæ simpliciter sit lex, sed potiùs modus, & accidens legis.*
9. *Mortale includit saltem virtualiter magnum Dei contemptum, non autem veniale.*
10. *Mortale charitatē, Deique amicitiam excludit, non veniale.*
11. *Mortale avertit ab ultimo fine, veniale verò non, licèt ab illo retardet.*
12. *Mortale ab intrinseco est irreparabile, non autem veniale.*
13. *Regula generalis: peccatum graviter lædens Dei, sui, vel proximi dilectionem, vel commune bonum, est mortale, aliàs veniale.*
14. *Peccatum ex genere suo mortale fit veniale ex parvitate materiæ, vel imperfecta deliberatione.*
15. *Quod sit præter intentionem, non sufficit ad reddendum veniale, nisi adsit, vel imperfectio deliberationis, vel parvitas materiæ.*
16. *Ignorantia, vel inadver-*

tentia reducitur ad imperfectam deliberationem.

17. *Veniale ex genere fieri potest mortale, si in ipso constituatur finis ultimus, vel ex contemptu, conscientia erronea, scandalo, vel quacumque mortali circumstantia.*

18. *Plura venialia simul non possunt unum constituere mortale; immò intrà propriam materiam nunquam veniale potest fieri mortale.*

1. Dividitur tandem generaliter peccatum in mortale, & veniale; mortale dicitur, quod infert animæ mortem, eam privando gratia, & charitate, & ab ultimo fine avertendo. Veniale verò, quod ex se venia dignum est, utpotè leve in comparatione ad mortale; neque enim gratia, vel charitate privat, sed solummodò fervorem ejus diminuit; Nec ab ultimo fine avertit, sed potiùs aliqualiter ab eò divertit, ac retardat.

2. Itaque in primis non distinguitur peccatum veniale à mortali, ut volunt Lutherus, Calvinus, aliique Hæretici, solùm ex parte peccantis, ità scilicet, ut infideli, aut reprobo omnia peccata sint mortalia, fideli autem, vel prædestinato omnia venialia. Neque pariter, ut olim docuere Gerson. & Almainus, ex sola Dei misericordia, quædam punire nolentis æterna morte, licèt omnia de se justè ipsa punibilia sint, sed quia mortale de se dignum est æterna morte, utpotè gravis, & simpliciter offensa Dei; Veniale verò de se venia dignum est, utpotè levis, & tantùm secundùm quid ipsius Dei offensa. Undè à B. Pio V. & Gregorio XIII. dãnata meritò fuit hæc Michaëlis Bay propositio. *Nullum est peccatum natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

3. Non item differt mortale à veniali, ut docent Scotus, Gabriel, & alii, quia mortale est contrà præceptum, veniale verò contrà consilium; etenim consilium ad nullum peccatum obligat, ac perindè, contrà consilium agere, nullum est peccatum. Undè Apostolus 1 ad Cor. 7. *de Virgi-*

nibus

nibus præceptum Domini non habeo, consilium autem dò, & subdit. *Si nupserit Virgo non peccavit*; consilia enim sunt, non de necessariis, sed de perfectioribus, ad quæ homo non tenetur.

4. Potissima ergò inter mortale, & veniale peccatum differentia, ex quà omnes aliæ derivantur, consistit in hoc, quòd mortale est contrà legem, veniale verò non contrà, sed præter legem. Pro cujus intelligentia notandum: Venialia peccata in triplici esse differentia; quædam enim venialia sunt ex genere suo, puta Verbum otiosum, mendacium jocosum, aut quid tale; quædam verò ex parvitate materiæ, putà furtum unius pomi; quædam demùm ex imperfecta deliberatione; adde, si vis quartam ex intentione legislatoris nolentis graviter obligare, de quà infra cap. *de legibus*,

5. Ex his ergò patet, quòd peccatum veniale ex parvitate materiæ non est propriè contrà legem, sed potiùs præter ipsam, vel ad summum contrà secundùm quid, & imperfectè; parum enim pro nihilo moraliter cōputatur. Similiter ex imperfecta deliberatione peccans non potest dici, simpliciter agere contrà legē, cùm enim lex agentibus liberis imponatur, propriè in rigore non violatur, nisi à liberè, & cum deliberatione operantibus. Cæterum difficultas est circa venialia ex genere, vel etiam ex intentione legislatoris; patet siquidem, quòd proferens deliberatè mendacium, absolutè legem transgreditur nō mentiendi; & agens deliberatè; quod lex prohibet sub veniali illam absolutè violat, & transgreditur.

6. Ad hoc respondet Cajetanus *p.2.q.88. art.1.* Cùm dicitur veniale ex genere esse præter, non contrà legem; potest dupliciter intelligi: Primò, ut ità sit præter legem, ut contrà nullam sit legem; & in hoc sensu falsum est, nam mendacium est secundùm se pravum, & contrarium virtuti; ac per hoc contrà legem illius virtutis, & tamen non est mortale ex genere, Alio modo, ut sit præter legem, & non

contrà, quia non est contrà intentum finem legis;& hoc modo contrà nullam legem est veniale, quia finis cujuscumque legis est dilectio Dei, sui, & proximi; Idem fere ait Medina ibidem. Quæ doctrina fundamentum habet in D.Thom. *q.* 7. *de ma. art.* 1. *ad primum*, ubi ait. *Cõvenienter dicitur, quòd peccatum veniale non est contrà legem, sed præter legem; quia si in aliquo recedit ab ordine legis, non tamen ipsum corrumpit, quia non corrumpit dilectionem, quæ est plenitudo legis.*

7. Idipsum clariùs expendit Gabriel à S.Vinc. p.2. disp. 19. dub. 1. num. 7. advertens, quòd nomen legis sumitur aliquandò pro hac, vel illa determinata; aliquando verò pro tota lege, à quà dirigimur, & ordinamur ad ultimum finem humanæ vitæ; secundùm quã rationem amplectitur omnes leges, omniaque earum præcepta, velut partes integrales, ex quibus coalescit: in lege autem sic accepta aliquid se habet, veluti substantia legis, & est id, sine quò lex nequit, homines ad finem ultimum perducere, ut sunt præcepta obligantia sub mortali; & aliquid se habet, ut modus, vel accidens pertinens ad perfectionem legis, quia sine illo potest lex, homines ad dictum finem perducere, ut sunt præcepta obligantia solùm sub veniali. Peccatum ergò veniale est præter legem primo modo, licèt cõtrà secundo modo.

8. Hoc pariter fundamentum habet in D.Thom. *p.* 2. *q.* 88. *art.* 1. *ad primum* sic enim ait. *Venialiter peccans non facit, quod lex prohibet, nec prætermittit id, ad quod lex per præceptum obligat; sed facit præter legem, quia non observat modum rationis, quem lex intendit.* Quibus verbis insuper insinuare videtur aliam doctrinam clariorem certè, ac expeditiorem, licèt fortè aliquibus non nimis placeat, quam tradit Gonet *in Clyp.* tom. 1. tract. 5. disp. 9. art. 1. §. 4. Quòd scilicet, ut verificetur, aliquem actum esse contrà legem simpliciter, duo requiruntur; primum est, quòd lex, cui opponitur, sit de numero illarum,

quæ

quæ simpliciter leges vocantur, eò quòd omninò necessariæ sunt ad finem ultimum consequendum; secundùm quòd talis actus simpliciter tendat contrà talem legem, seù simpliciter illam transgrediatur. Leges ergò tantùm ad veniale obligantes non simpliciter leges dicuntur, cum non imponant necessitatem simpliciter, sed ad melius esse, & secundùm quid. Undè actus contrà tales leges non dicuntur propriè, & simpliciter contrà legem, quia non sunt defacto contrà legem, quæ sit simpliciter talis. Hoc inquam insinuat S. D. dum ait, quòd peccans venialiter non facit, quod lex prohibet, nec prætermittit id, ad quod lex obligat per præceptum, hoc est, per veram legem, quæ simpliciter sit talis; ità ut ly, præceptum, denotet legem præceptivam, & graviter obligantem, aliàs enim patet, quod peccans venialiter verè facit, quod lex prohibet, si nomine legis intelligatur, quæcumque lex; sed hujusmodi leges ad veniale obligantes potiùs modi, & accidentia legis, ut ait Gabriel; quàm propriè leges dicendæ sunt; Undè subdit S. Doctor. *Sed facit præter legem, quia non observat modum rationis, quem lex intendit.*

9. Ex hac igitur potissima differētia sequuntur aliæ. Prima quidem, quòd mortale peccatū virtualiter saltem includit magnum Dei contemptū, cùm pro amore Creaturæ non curet homo, graviter ipsum Deum offendere, contrà ejus legem, & voluntatem agendo. Undè creatoris amori amorem præfert creaturæ: quod non facit peccans venialiter, ex hoc ipso, quòd contrà Dei legem non agat simpliciter, quamvis aliqualiter ab illa deficiat.

10. Secunda, quòd mortale peccatum charitatem excludit, Deique amicitiam, cujus certè legem violat, amicum graviter offendens ejusque amori quidpiam vile præferens: quod non facit veniale, cum tantùm levem offensam importet, neque absolutè contrà charitatem sit, cum lex, quam transgreditur, ad illam conservandam non sit absolutè,

tè,

tè, & ſimpliciter neceſſaria.

11. Tertia, quòd mortale peccatum avertit ab ultimo fine, ad quem per charitatem dirigimur; eſt enim contrà legem, quæ ad illius aſſecutionem neceſſaria eſt, charitatemq; excludit. Veniale verò licèt ab illo retardet, non tamen avertit propter oppoſitam rationem.

12. Quarta demùm, quòd mortale peccatum ab intrinſeco eſt irreparabile, non autem veniale: Ultimus enim finis, à quò avertit mortale, eſt ſicut primum principium in ſpeculativis. Sicut autem errans in primis principiis incorrigibilis eſt, non autem errans circa concluſiones, quia per ipſa principia reduci, corrigi, & illuminari poteſt, ità qui ab ultimo fine averſus eſt, non habet in ſe, undè ad ipſum converti, & reduci poſſit, ſed ſolùm per extrinſecam Divinam virtutem; qui verò ab ultimo fine non eſt averſus, per ipſam rectam finis intentionem poteſt reduci: Ex quo fit, quòd mortale de ſe reatum inducit pœnæ æternæ; cum enim ejus malitia purgari nō poſſit, quæcumque temporalis pœna illi eſt inadæquata; per pœnam ſiquidem reparari debet ordo juſtitiæ, qui per culpam pervertitur; ac proindè culpa, quæ inordinationem dicit de ſe irreparabilem, quantùm eſt de ſe, pœnam exigit interminabilem; ſecus verò peccatum veniale, cum ejus inordinatio ſit ab intrinſeco reparabilis.

13. Ex dictis licèt regulam colligere ad cognoſcendum, quando peccatum veniale ſit, vel mortale. Si enim graviter, ac notabiliter charitatem, & dilectionem lædat Dei, vel proximi, & multò magis ſui ipſius, aut commune bonum, peccatum erit mortale; ſi verò tantum leviter, peccatum erit veniale: quod & meliùs explicabitur infrà capite *de legibus*.

14. Conſtat pariter ex dictis, quomodo peccatum aliàs ex genere ſuo mortale poſſit eſſe veniale, ſcilicet ex parvitate materiæ; puta minimum furtum; vel ex imperfectione actus, cum non ex plena deliberatione, ju-

juxta doctrinam supra traditam cap. 2. §. 1. Et nota, quòd nunquam imperfecta deliberatio ad mortale peccatum sufficit; tùm quia, ut diximus, non potest simpliciter, & perfectè violari lex nisi ab agente libero, & ex perfecta deliberatione operante. Lex enim est regula humanorum actuum: non autem perfectè humani sunt actus ex imperfecta deliberatione procedentes; tùm quia satis dedecet infinitam Dei bonitatem, pro hujusmodi culpis, quas humana fragilitas vitare vix potest, æterna morte punire.

15. Dominus Cajetanus in *Summula* pluribus in locis addere videtur tertium aliud Caput, ex quò peccatum ex genere suo mortale, fiat veniale, scilicet, cum est præter intentionem, præcipuè in peccatis linguæ, aut similibus, quæ sine intentione talia non sunt, nisi materialiter, puta contumelia, detractio, & hujusmodi: cũ tamen addat, quòd si notabiliter lædatur proximus, actus redit in naturam suæ formæ, & est mortale peccatum, quamvis non ex intentione; manifestum est, quòd si levitas materiæ, vel imperfecta deliberatio non excuset, adhuc hujusmodi peccata mortalia remanent, quamvis præter intentionẽ.

16. Addi etiam posset ignorantia, vel inadvertentia venialiter tantùm culpabilis, puta quia tantum ex levi negligentia, hæc enim, licèt omninò à peccato non excuset, tantùm nihilominùs minuit, ut de mortali reddat veniale; cùm enim facta per ignorantiam, vel inadvertentiam, voluntaria non sint, ac perindè nec peccata, nisi quatenùs ignorantia ipsa voluntaria est, si hæc non nisi venialiter mala est, nõ potest actio ex ipsa procedens mortalis esse. Quia verò ignorantia ipsa, vel inadvertentia venialis esse nõ potest in materia gravi, & peccati mortalis, dum est perfectè, & ex plena deliberatione voluntaria; hinc est, quòd ex imperfecta deliberatione habet, quòd sit venialis, ac per consequens peccatum ex illa procedens, quod aliàs erat mortale, veniale fit ex imperfecta deliberatione. Undè relinquitur,

tur, ex duplici tantùm capite peccatum ex genere veniale fieri, ſcilicet ex levitate materiæ, vel imperfecta deliberatione.

17. At verò peccatum veniale ex genere multipliciter quidem reddi poteſt mortale. Primò ex contemptu, non ſolùm Dei, ſed etiam ſuperioris, aut legis, aut etiam Perſonæ, vel loci. Si quis enim in ſpretum Eccleſiæ, ibi confabulari vellet, aut in contemptum nollet, obedire Prælato, etiam in his quorum tranſgreſſio de ſe mortalis non eſſet, proculdubio mortaliter peccaret. Notate verò, quòd, ut contemptus mortale reddat peccatum ex genere ſuo veniale, neceſſe eſt, quòd verè quis tota deliberatione, & ex determinata intentione contemnendi Deum, Superiorem, vel legem, actum eliciat; & inſuper, quòd abſolutè, & ſimpliciter Deum, Superiorem, aut legem contemnere intendat, & non tantùm in his minimis; undè ſi quis, v. gr. paratus abſolutè, obedire Deo, Prælato, ac legi graviter præcipienti, contemnat nihilominùs, parere in levibus, & minimis, quia minima ſunt, & de illis curare non vult; non ideò mortaliter peccat, quia non contemnit ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, & cum addito, ſcilicet in minimis. Videte Cajet. V. *Contemptus*.

Secundò veniale peccatũ mortale redditur, ſi quis in ipſo ultimum finem conſtituat, puta ſi taliter eſſet affectus, ut illud omninò vellet, quamvis indè gravis offenſa Dei conſurgeret.

Tertiò ex conſcientia erronea, ut videbimus cap. *de Conſcientia*.

Quartò ex ſcandalo, & generaliter ex quacumque circũſtantia, quæ de ſe mortalem importet malitiam, præcipuè autem ex fine, & effectu, & periculo incidendi in mortale peccatum, qui enim amat periculum, in illo peribit.

18. Quibus non obſtantibus fieri non poteſt, quòd multa peccata venialia ſimul, unum conſtituant mortale peccatum; *non enim*, ut ait D. Thom. *p. 2. q. 88. art. 4. omnia peccata venialia de mũdo, poſſunt habere tantũ de reatu, quantum unum peccatum mor-*

mortale. Quod pluribus rationibus demonstrāt Theologi, apud quos videndas relinquimus. Immò, & quando peccatum ex genere suo veniale fit per aliquā circumstantiam mortale, nō remanet ampliùs in propria materia, sed ab illa quodammodo extrahitur; quod quidem patet, dum fit mortale ex primo, vel quarto capite, trahitur enim tunc ad speciem contemptus, vel scandali, aut ejus malitiæ, quam secum fert circumstantia illa aggravans. Quandò verò ex secundo, vel tertio capite, quamvis in propria materia permanere videatur, formalitas tamen verè ab illa extrahitur: dum enim v. gr. quis mendacium profert officiosum cum erronea conscientia, quòd sit mortale peccatum, vel si ponat in illo rationem ultimi finis, defacto in illo apprehendit, illique tribuit inordinationem, contrarietatem, & aversionem, quam ex genere suo, & propria materia non habet, undè quasi ad extranea ducitur per conscientiam errantem, vel inordinatum affectum: Si verò intra limites propriæ materiæ maneret, nunquam posset mortale fieri.

§. V. *De comparatione Peccatorum*.

SUMMARIUM.

1. *Peccati gravitas considerari potest, vel per ordinem ad rationem, vel Deum; item ex parte conversionis ad objectum, vel privationis gratiæ, & opposita virtutis*.
2. *Ex parte conversionis ad objectum, non omnia peccata mortalia paria sunt*.
3. *In ratione offensæ quodlibet mortale est infinitum; ac per consequens absolutè unum non est majus alio*.
4. *Similiter quodlibet mortale tota gratia, & charitate privat, undè nec unum est gravius alio*.
5. *Nec plura eidem virtuti opposita, benè verò diversis virtutibus*.
6. *His non obstantibus, licèt omnia mortalia in ratione offensæ paria sint, quòad gravitatem subjectivam, & personalem, non tamen quòad objectivam*.

7. Nec etiam in ratione privationis, si privatio consideretur, ut proprietas, vel consecutum ad aliud.

8. Gravitas essentialis ex objecto, accidentalis verò ex circunstantiis pensanda est.

9. Non solùm mala intrinsecè, sed etiam mala, quia prohibita, differunt in gravitate.

10. Potest unum peccatum esse gravius alio contrà eandem legem, quamvis modus præscriptus sit indivisibilis.

11. Gravius est peccatum secundùm se, quò præstantior est virtus opposita.

12. Secundùm se graviora sunt peccata in Deum, deindè in se ipsum, postremò in proximum. Item graviora, quæ in Spiritualibus lædunt, quàm quæ in corporalibus, & graviora, quæ in vita, quàm, quæ in bonis exterioribus, ac demùm graviora, quæ contrà bonum commune, quàm quæ contra particulare.

13. Intellige hæc primò secundùm objectum primarium, & principale virtutis oppositæ.

14. Secundò nè peccatum inferiori oppositum includat etiam oppositionem cum superiori virtute.

15. Tertiò, quòd habeant eundem modum oppositionis ad virtutem peccata, inter quæ fit comparatio.

16. Timiditas ex formali objecto pejus est peccatum, quàm intemperantia; ex annexis tamen è contrà.

17. Regula generalis. Comparatio fieri debet, proportione servata, puta maximi cum maximo, minimi cum minimo.

18. Potissimè habenda est ratio voluntarii, & libertatis, difficultatis vincendæ, & motivi impellentis.

19. Peccans ex certa scientia graviùs peccat, quàm peccans ex ignorantia etiam culpabili, vel infirmitate, aut passione.

20. Licèt peccans ex habitu peccet ex certa malitia; potest malè habituatus quandoq; non ex habitu peccare.

21. Præcipuè si jam pœnituit de præteritis.

22. Peccatum ex objecto minùs grave potest ex circunstantia gravius esse peccato aliàs graviori ex objecto.

23. *In*

23. *In moralibus fallere potest Metaphisica ratio, quòd perfectius, quoad substantiam excedi nō potest à perfectiori quoad accidens.*

24. *Immò fallit, quando accidētalis imperfectio impedit essentialem formam, nè totam suam perfectionem subjecto communicet.*

25. *Demùm, quia moralitas ipsa accidens est.*

1. NON parùm utile est Confessariis, peccatorum gravitatem dignoscere, ut prudentiali judicio gravioribus prò merito congruas adhibeant medicinas. Ex duplici autem capite potissimùm gravitas peccatorum pensanda est. Primò quidem per ordinem ad rationem, cujus regulas transgreditur, ordinemque pervertit peccatum. Secundò in ordine ad Deum, cujus offensa est. Similiter considerari potest peccatū, vel ex parte conversionis ad proprium objectū, vel ex parte privationis gratiæ, & charitatis, aut etiam rectitudinis oppositæ virtutis. Hoc posito.

2. Certum est, quòd si consideretur peccatum ex parte conversionis ad objectum, non omnia peccata, etiam mortalia, paria sunt; sed unum gravius alio, secundùm quod magis, vel minùs contrariatur bono cōmuni, ordini rationis, dilectioni Dei, vel proximi.

3. Difficultas verò est, quomodò unū gravius alio dici possit in ratione offensæ vel privationis; cum enim quodlibet mortale peccatū simpliciter sit offensa Dei, ex hoc quandam infinitatē participat ratione infinitæ dignitatis personæ offensæ, siquidem ex dignitate personæ offensæ crescit gravitas injuriæ, & offensæ; ac per consequens quodlibet mortale peccatum in ratione offensæ infinitam gravitatem habet; unum autem infinitum non est majus alio.

4. Similiter cum omne mortale peccatum totaliter gratia, & charitate privet, nec etiam in hac ratione unum gravius alio dici potest; una enim privatio non est major alia.

5. Immò licèt in ratione privationis rectitudinis oppositæ virtutis, peccata

diversi generis inæqualia dici possint, unumque gravius alio secundùm quòd unum digniori virtuti opponitur; pejor siquidem est privatio, quæ meliori forma privat; v. gr. pejor est mors, quæ privatio est vitæ, quàm cæcitas, quæ privatio est visus. Peccata nihilominùs mortalia ejusdem speciei paria omninò erunt in ratione privationis, cum omnia eâdem, & tota virtutis oppositæ bonitate priment.

6. Sed his non obstantibus certè dicendum est; non omnia peccata, etiam mortalia æqualis gravitatis esse, adhuc in ratione offensæ, vel privationis. Et in primis notandum, quòd gravitas offensæ duplex est. Objectiva scilicet, quæ desumitur ex ipsa injuria, & offensa; & subjectiva, quæ desumitur ex persona læsa, & offensa, quæ subjectum est morale, in quò censetur ipsa injuria moraliter recipi. Quamvis ergò omnia peccata mortalia in ratione offensæ paria dici possint, quò ad gravitatem personalem, & subjectivam, cum omnia infinita sint moraliter, ut benè dicebatur; inæqualia tamen sunt, quòad gravitatem objectivam, ut patet quoque in humanis. Quamvis enim omnis offensa Regis, regia sit, non tamen omnis æqualis est in gravitate; graviùs enim, quis regem offendit, ipsum percutiendo v. gr. quàm verbis tantùm resistendo, aut impugnando.

7. Similiter, quanquam privatio, si præcisè consideretur ex parte positivi, quo privat, seù cujus est privatio, ejusdem sit omninò rationis, in quocumque reperiatur, si forma privata sit eadem; attamen si consideretur ipsa privatio, ut proprietas, & quid consecutum ad aliud, ex illius diversitate diversificatur, ut suprà §. 2. notavimus ex Martinez. Quia ergò privatio, sivè Gratiæ, & Charitatis, sivè oppositæ rectitudinis, in peccato consequitur ex conversione ad objectum, & contrarietate ad legem, ac dilectionem Dei, vel proximi; nec non ad oppositam virtutem; quo deterior erit conversio, & objectum, magis-

gisque disconveniens, ac repugnans, eò pariter deterior erit ipsa privatio.

8. His præmissis. Cùm gravitas peccati ex ejus malitia debeat attendi; cùm, ut suprà ostensum est, essentialis malitia ex proprio objecto, accidentalis verò ex circunstātiis desumatur; cōsequens est; ut pariter essentialis gravitas ex objecto, accidentalis ex circunstantiis pensanda sit.

9. Antequam verò, quænam graviora peccata sint, quævè nimis gravia statuamus, notandum est; non solùm eà, quæ intrinsecè, & ex natura sua mala sunt, verùm illa, quę mala sunt, quia prohibita lege positiva, inter se in gravitate differre. Cujus ratio est; quia ex hoc ipso, quòd lex aliquem actum prohibet, vel præcipit, ponit illum, sub determinata specie Virtutis, vel Vitii, juxta motivum, ex quò præceptum, vel prohibitio dimanat. Cum autem ipsæ Virtutes, & Vitia inæqualia sint in bonitate, & malitia, per consequens etiam tales actus præcepti, vel prohibiti.

10. Sed restat adhuc difficultas; an peccata contrà eandem legem positivam ex eodē motivo prohibita, possint esse inter se inæqualia, sicut contingit in his, quæ intrinsecè mala sunt, v. gr. gravius peccatum est; Furari centum, quàm furari decem. Quamvis autem Mag. Serra *p. 2. q. 73. art. 2.* videatur sentire, quòd si leges humanæ determinent modum indivisibilem, tunc peccata contrà eandem legem æqualia sint: Quod quidem verum est, per se loquendo, ut idem subdit; sed hoc non est speciale in his peccatis, sed cōmune etiam de se malis; unà enim fornicatio v.gr. non est gravior alia, per se loquendo: Cùm quo tamen stat, quòd una præ alia possit aggravari ex circunstantia illi adjuncta: Ego puto, quòd ex eodem capite peccata contrà eandem legem positivam inæqualia esse possint, ac unum graviùs alio, quantumque sit indivisibilis modus à lege præscriptus. Undè omittens audire Sacrum v. gr. ut vacet ludo, graviùs peccare videtur, quàm omittens,

tens, ut ſtudio, vel gravi negotio incumbat. Nec oppoſitum ſentire judico Cajet. Sylv. & Navar. à Serra citatos. Sed tantùm velle, non ita notabiliter aggravari peccatum, ut in confeſſione ſit neceſſarium, hanc exprimere gravitatem, quod ultrò concedimus.

11. Itaque cum gravitas eſſentialis ex objecto, accidentalis verò ex circunſtantiis deſumatur, manifeſtum eſt; illud ſecundùm ſe gravius eſſe peccatum, quod pejus habet objectum. Cumque objectum omnis peccati contrarium ſit objecto alicujus virtutis, cui perindè ipſum peccatum contrariũ eſt; patet etiam, quòd eò gravius erit peccatũ ſecundùm ſe, quò præſtantior virtus oppoſita: Ex hoc enim ipſo tale peccatum pejus habet objectum, majuſque bonum habet corrumpere, ac deſtruere.

12. Quarè ſecundùm ſe graviora ſunt peccata in Deum, deindè in ſe ipſum; poſtremò in proximum: Item graviora, quæ in Spiritualibus lædunt, quàm quæ in temporalibus; Et graviora, quæ in vita etiam corporali, quàm quæ in bonis exterioribus. Item graviora, quæ contrà commune bonum, quàm quæ contrà particulare.

13. Tria nihilominùs cum Salmanticenſibus advertit Gonet in man. tract. *de pec.* cap. 3. Primò, quòd, cum dicitur, illud peccatum eſſe gravius, quod præſtantiori virtuti opponitur, intelligi debet ſecundùm objectum primarium, & principale talis virtutis; undè licèt charitas perfectiſſima ſit omnium virtutum; non omne peccatum charitati oppoſitum graviſſimum erit; nam odium proximi v. gr., immò & ſchiſma, licèt charitati opponatur, eſt minùs peccatum, quàm infidelitas, ut docet S. Doct. 2. 2. *q.* 39. *art.* 2. at verò odium Dei, qui eſt primarium, & principale charitatis objectum, inter alia peccata gravius eſt, ut idem docet ibidem *q.* 34. *art.* 2. *&* *p.* 2. *q.* 73. *art.* 4. *ad* 3.

14. Secundò notandum, quòd ſi peccatum inferiori virtuti oppoſitum includat etiam oppoſitionem cum vir-

virtute superiori, poterit, ex tali inclusione superare in malitia, & gravitate peccatum directè ipsi majori virtuti oppositũ: & sic, quamvis justitia, cui opponitur furtum, sit perfectior castitate, cui adulterium opponitur, gravius tamen furto est adulterium, quia simul cum oppositione ad castitatem, includit etiam oppositionem ad justitiam.

15. Tertiò demùm, quòd peccata, inter quæ sit comparatio, eundem habeant modum oppositionis ad virtutem; ità ut utrumque sit peccatum commissionis, vel omissionis; aliàs enim satis probabile videtur quòd si peccatum inferiori virtuti oppositum sit commissionis, & oppositum superiori omissionis, illud possit esse gravius, v. gr. homicidium, quòd justitiæ opponitur, gravius omissione Sacri, quæ præstantiori virtuti religionis opponitur. Hoc tamen nõ videtur omninò verum: nam omissio, v. gr. restitutionis, vel cujuscumque actus Justitiæ in materia gravi, & notabili, absolutè, & simpliciter peccatum videtur gravius fornicatione simplici: quòd ergò in aliquo casu omissio præcepti superioris virtutis minùs grave peccatum sit commissione contrà inferiorem, ex alio proveniet capite, quòd ex dicendis hic, & sequenti capite patebit.

16. Aliqua hic interim occurrit difficultas ex D. Th. 2. 2. *q.* 142. *art.* 3. ubi absolutè docet, ac probat, quòd intemperantia majus est vitium, quàm timiditas, cum tamen fortitudo, cui opponitur timiditas nobilior omninò sit virtus, quàm temperantia; non ergò verum est, eò pejus, & gravius esse peccatum, quò præstantiori virtuti opponitur.

Ad hoc tamen respondetur ex doctrina ipsius Angelici Præcept. ibidem ad 1. Ubi ait: *Quòd excellentia fortitudinis suprà temperantiam potest considerari dupliciter, unò modò ex parte finis; quod pertinet ad rationem boni, quia scilicet fortitudo magis ordinatur ad bonum commune, quàm temperantia; ex hac etiam parte timiditas habet quandam excellentiam suprà intemperantiam, in quantum*

tùm scilicet per timiditatem aliqui desistunt à defensione boni communis: alio modò ex parte difficultatis, in quantùm scilicet difficilius est, subire pericula mortis, quàm abstinere à quibusdam delectabilibus; & quantùm ad hoc non oportet, quòd timiditas praecellat intemperantiam: Sicut enim majoris virtutis est non vinci à fortiori; ità etiam è contrario minoris vitii est, à fortiori vinci, & majoris vitii à debiliori superari: Ex quibus clarè patet, quod si consideretur timiditas ex proprio formali objecto, secundùm quod fortitudini directè opponitur, absolutè, & simpliciter pejus peccatum est, quàm intemperantia; si verò consideretur ex annexis, puta ex causa, & motivò inducente timiditatem, ut necessarius vitæ amor, benè poterit minus peccatū esse, quàm intemperantia, quia ex hoc ipso habet plura minuentia, & excusantia, ut de se patet. Non mirum autem, quòd S. Doct. absolutè quæstionem resolvat, dicendo, quòd intemperantia gravius est vitium, quàm timiditas; quia defacto, ut plurimùm, ità est, sicut in citato Articulo discurrit; & casus valdè rarus est, quòd timiditas gravius peccatum sit, quàm intemperantia; secundùm ea, quæ regulariter accidunt. Satis nihilominùs mentem suam explicavit Sanct. Doct. præcipuè in resp. ad 1.

17. Satis placet regula generalis, quam tradit Mag. Medina *p. 2. q. 73. art. 4.* Quòd ut cognoscatur, quod nam peccatum sit gravius, debet fieri comparatio, proportione servata, puta maximi cum maximo, minimi cum minimo, mediocris cum mediocri. Quod patet in primis in virtutibus ipsis; licèt enim justitia v. gr. dignior sit fortitudine, non ideò quilibet actus justitiæ excedit omne opus fortitudinis; vendere enim triticum justo pretio, actus est justitiæ, quis autem dicet, hunc actū digniorem eo, quo quis pro defensione Reipublicæ fortiter pugnat? Deindè in naturalibus, Leo de se fortior est Urso, poterit nihilominùs grādior Ursus, catulum superare leonis. Item in humanis, Aurum pretiosius est Ar-

Argento; vas tamen argenteum affabrè constructum pretiosius esse poterit vase aureo simplici. Semper ergò digniori virtuti oppositum, gravius est peccatum, cæteris paribus; quandò verò cætera non sunt paria, benè poterit oppositum inferiori virtuti gravius esse: quod certè multoties, immò fortè semper continget, si peccatum inferiori virtuti oppositum sit intrinsecè malum, oppositum verò superiori malum tantùm, quia lege positiva prohibitum; ex hoc enim ipso illud majorem dicere videtur ad rationem repugnantiam: & hoc etiam intellige, cæteris paribus.

18. Potissimè autem in gravitate peccatorum dijudicanda, ratio habenda est voluntarii, & libertatis; quodlibet enim, voluntariū & libertatem diminuens, minuit quoque malitiam. Item notanda est difficultas vincenda, motivumq; inducens ad peccatum; nam, quę non nisi cum magna difficultate superari, & repelli possunt, ex hoc ipso eorum culpa alleviatur, & quodam modo excusatione digna redditur: Sicut pariter excusabilis est in parte, qui gravi motivo, passione, vel tentatione impulsus delinquit; damnabilis autem valdè, qui tota libertate, ac propria electione peccat. Undè S. Doct. *p. 2. q. 73. art. 5.* benè cum D. Gregorio 31. *Mor.* cap. 31. docet, quòd peccata carnalia secundùm se sunt minoris culpæ, & majoris infamiæ, quàm spiritualia, nam ex una parte valdè sunt exprobrabilia, ut ait Philosophus 3. *Ethicor*: quia sunt circa illas delectationes, quę sunt communes nobis, & brutis, undè quodammodò per ista peccata homo brutalis redditur, ex alia tamen parte sunt minoris culpæ, quia vehementius habent impulsivum, idest ipsam concupiscentiam carnis nobis innatam.

19. Ex his manifestè colligitur, quòd peccans ex certa scientia, hoc est, benè quidem advertens ad malitiam actus, & nihilominùs propter affectum ad bonum delectabile concupitū peccare volens, graviùs peccat, quàm peccans ex ignoran-

tia, inadvertentia, vel inconsideratione etiam culpabili, vel ex infirmitate, ac passione. Ille siquidem peccat ex certa malitia, quod omninò gravius est, ut cum D. Thom. *p. 2. q. 78. art. 4. & alibi*, docent communiter Theol. Peccare namque ex certa malitia, ut explicat Medina ibi *art. 1.* est nulla opprimente, vel impellente passione, eligere malum, quod scitur, esse malum.

20. Sed advertendum ex eodem S. Doct. *ibi art. 2. &* Medina ibi. Quòd licèt peccãs ex habitu peccet ex certa malitia, eo quia per habitum fit illi per se diligibile, & quodammodò naturale id, quod secundùm ipsum habitum est ei conveniens, ex hoc quidem, sivè malus habitus sit in Voluntate ipsa, sivè in appetitu sensitivo; quia etsi motus sensitivi secundũ se habeant potius minuere peccatum, impellendo voluntatem, & rationem perturbando; cùm tamẽ ex habitu quis peccat, jam voluntas inordinata est, ac in objectum propensa; undè potiùs ipsa passiones, & sensitivos motus excitat, quàm ab illis trahatur. Cum hoc tamen stat; quòd aliquandò malè habituatus nõ ex certa malitia peccet, immò nec propriè ex habitu, sed ex aliquo passionis impetu. Habitu enim, non est necesse, quòd semper utamur, sed subjacet imperio Voluntatis; undè definitur, quod sit, quò quis, cum voluerit, utitur; Tunc igitur peccatum non aggravatur.

21. Addit insuper, & benè Medina juxta superiùs à nobis tradita cap. 2. §. 2. & cap. 4. §. 4. Quod si malè habituatum pœniteat, quãvis in illo remaneat inclinatio, & pronitas ad peccatum, quia tamen illi ampliùs voluntaria non est, immo involuntaria, si contingat, ex ipsa iterum ad peccatũ impelli, ejus peccatum non erit ex certa malitia, sed potiùs ex infirmitate; pronitas enim illa potiùs minuit rationem voluntarii, ac proindè malitiam, quàm augeat. Idque notaverim pro Confessariis, ut cùm hujusmodi malè habituatis, non rigorosæ procedant, pœnitentias aggravando, sed potiùs

tiùs insistendo, ut veram, ac perfectam peccati detestationem concipiant; consiliis adjuvando, modosque suggerendo, quibus faciliùs ab hujusmodi noxiis retrahant voluntatem; ac potissimùm per Sacramentorum frequentiam, præcipuè Sanctæ Confessionis.

22. Restat demùm aliqua difficultas. An quando peccatũ inferiori Virtuti oppositum aggravatur nõ ex propria formali ratione objecti; sed ex aliqua omninò accidentali circunstantia, dici debeat absolutè gravius? Quamvis autem quidam ex D. Thom. Discipulis velint, peccatum ex objecto minùs grave nunquam posse, tantùm ex circunstantiis aggravari, ut excedat peccatum gravius ex objecto: Id tamen falsissimum putat Medina. Sit enim v. gr. simplex furtum ex una parte; simplex fornicatio ex altera; furtum nudè sumptum gravius est fornicatione pariter nudè sumpta. Aggravetur modò fornicatio ex circunstantia, nedum accidentali, ad aliam speciem non transferente. Puta quòd quis non adeò vehementi passione concitatus, immò tota, plenaque libertate fornicetur. Allevietur ex alia parte simili circunstantia furtũ, puta quod quis ex necessitate, licet non extrema, sed gravi, furetur; quod nam horum gravius erit peccatũ? Videtur certè, quod fornicatio: talis enim fornicator excusationem ullam non habet de peccato suo; multam autem fur: Graviùs verò peccatum absque dubio rigorosiorem expetit vindictam, strictiorique Judicio dignũ est; ac perindè peccatum excusationem admittens gravius esse non potest excusationis experti.

23. Contrarium autem sentientes fundantur in metaphysica ratione. Quia id, quod perfectius est, quòad substantiam, & essentiam, quamvis ab alio in aliquo accidenti excedatur, non ideò dicitur minus perfectum; immo absolutè, & simpliciter perfectius, & solùm secundùm quid imperfectius: Si ergo unum peccatum est alio gravius ex objecto, ex quo gravitas substantialis, & essentialis de-

desumitur; quamvis in aliqua circunstantia, & gravitate accidentali superetur; dicendum nihilominùs est absolutè, & simpliciter gravius, & secundùm quid minùs grave.

Cæterum ipsi, meo videri, multipliciter falluntur. In primis, quia estò illa metaphysica ratio absolutè convinceret, fallere tamen posset in moralibus, in quibus non adeò metaphysicæ rationis rigor, sed magis prudentialis attēditur existimatio. Ut enim dicebamus, Vas aureum pretiosius est substantialiter Vase argenteo; si tamen huic addatur accidentale pretium, puta si optimè sit fabrefactum, absolutè, & simpliciter pretiosius judicatur Vase aureo, licèt hoc illud superet in pretio substantiali.

24. Deindè potest illa propositio distingui, ità ut vera sit, quandò accidentalis imperfectio substantialē perfectionem non impedit; secus verò, si obstaculum ponat, nè forma ipsa essentialis totam suam perfectionem subjecto communicet; Quod certè in moralibus cōtingit. Sicut enim potest accidentalis circunstantia taliter impedire objectum, ut non solùm totam suam bonitatem actui non tribuat, immò nullā penitùs conferat; & actus circa objectum de se bonum aliqua circunstantia vitiatum absolutè, & simpliciter malum reddatur ut suprà vidimus cap. 4. §. 1. Poterit eodem modo circūstantia impedire, nè objectum totam suam malitiam transfundat in actum: & hoc ideò, quia ut pariter eodem cap. notavimus §. 5. tota malitia, vel bonitas actus ex objecto derivatur, nec circunstantia potest actum afficere, nisi objectum ipsum afficiat; undè quelibet circunstantia objectum ipsum reddit melius, vel pejus, magis, vel minùs bonum, aut malum.

25. Demùm, quia moralitas ipsa accidēs est actus, & objecti, undè licet perfectio essentialis actus, quam recipit ab objecto in esse naturæ, quę verè essentialis est, ipsum actum in sua specie essentiali constituens, per nullā accidentalem circunstantiam superari nō possit;

benè

benè verò perfectio, seù gravitas moralis per aliam circunstantiam in esse moris. Hoc siquidem non est, perfectionem accidentalem excedere essentialem, sed unā accidentalem, aliam pariter accidentalem; quod nullum est inconveniens. Dicitur nihilominus bonitas, vel malitia ex objecto substantialis, & essentialis, quia per illas verè primò constituitur actus in specie moris; quæ tamen species absolutè illi accidentalis est. Hæc ad superabundantiam dicta sint, neque enim in his diutiùs nobis immorandum.

CAPUT VI.

De Circunstantiis humanorum actuum.

§. I. *Quid, & quotuplex sit Circunstantia.*

SUMMARIUM.

1. *Circunstantiæ, accidentia quædam sunt actus humani.*
2. *Propriè circunstantiæ actus non sunt locus, v. gr. vel tempus, sed aliquid in ipso actu resultans ex illorum respicientia.*
3. *Septem communiter assignātur circunstantiæ actus humani.*
4. *Nomine circunstantiæ, Quis, intelligitur conditio Personæ elicientis actum.*
5. *Circunstantia semper objectum afficit moraliter, dans illi specialem conformitatem, vel dissonantiam ad legem.*
6. *Circunstantia, Quid, est effectus secutus, vel accidens objecto principali adjunctum.*
7. *In Circunstantia, Ubi, cōsideratur qualitas, vel conditio loci.*
8. *Nomine auxiliorum, veniunt, sivè Personæ, sivè Instrumenta, quibus utitur operans.*
9. *Circunstantia, Cur, est finis, non quidem proximus, & immediatus actus, sed ad quem ex intentione operantis ordinatur.*
10. *Circunstantia, Quomodò, dicit modum quemdā ipsius actus,*

actus, vel ex parte operantis, vel ex parte ipsius actus, vel ex parte medii.

11. *In Circumstantia, Quando, consideratur tẽporis qualitas, & quantitas.*

12. *Numerus non est propriè circumstantia.*

1. CIrcunstantiæ, ut nomen sonat, à circunstando dictæ sunt, à localibus translato vocabulo, ut notat S. Doct. *p.* 2. *q.* 7. *art.* 1. Dicitur autem in localibus aliquid circunstare, quod est quidem extrinsecum à re, tamen ipsam attingit, vel ei appropinquat secundùm locum; Et ideò quæcumque cõditiones sunt extrà substantiam actus, & tamen aliquo modo ipsum attingunt, circunstantiæ dicuntur. Quod autem est extra substantiam rei, ad rem ipsam pertinens, accidens ejus dicitur; Undè circunstantiæ humanorũ actuum accidentia eorum dicenda sunt. Ex quibus habetur, quòd circunstãtię nihil aliud sunt, quàm accidentia quędam actus humani. Proprium autem est accidentis, inhærere subjecto, cujus est accidens; si ergò circunstantiæ, accidentia sunt actus humani, debent ipsi actui inhęrere, quod tamen omninò falsum apparet. Dum enim quis, v. gr. occidit hominẽ in Ecclesia, Ecclesia certè non inhæret occisioni, & tamen ejus circunstantia est novam ipsi tribuens malitiam.

2. Verum nihilominùs est, quòd circunstantiæ omnes actui insunt: licèt enim locus, v. gr. vel tempus, & alia hujusmodi circunstantiæ dicantur actus humani; attamen propriè, non ipsa in se circunstantiæ sunt; sed aliquid in actu resultans ex illorum respicientia: Sicut in Logica, vel Metaphysica dici solet, quod, Ubi, non est locus ipse continens, sed modus quidam intrinsecus, locato adveniens, ipsique inhærens, ex loci circunscriptione. Sit exemplum. Vult quis inimicum occidere; actus istæ voluntatis est quædam tendentia, quà Voluntas fertur in Vitam inimici auferendam. Contingit, inimicum esse in Ecclesia, & adhuc ipsum vult occidere; Jam voluntatis actus non respi-

respicit eodem modo inimici Vitam; priùs enim, ut absolutè auferendam, respiciebat, nunc verò illam respicit, ut auferendam in Ecclesia. Datur ergò in tali actu essentia, quæ in ordine ad vitam auferendam consistit; & accidens, seù circunstantia, quæ in ordine ad ipsam auferendam in Ecclesia. Nõ quod isti sint duo ordines, sed idem ordo essentialiter, & primariò ad vitam terminatur, & secundariò ad illam loci circunstantiam.

3. Septem autem communiter assignantur circunstantiæ actus humani hoc versu comprehensæ. Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando. Explicemus ergò breviter singulas.

4. Et primò circunstantia, Quis, intelligitur de persona eliciente actum; dupliciter autem eliciens comparari potest ad actum; essentialiter scilicet, seù per se, & accidentaliter, seù per accidens: essentialiter quidem, tanquam causa efficiens necessariò ad actum ipsum cõcurrens; hujusmodi autem est persona liberè operans cum usu, & judicio rationis; hoc enim est de essentia actus humani, quòd à ratione deliberata procedat; ut sæpè dictum est; quare hoc non est circunstantia, sed quid essentialiter, & necessariò ad actum requisitũ. Illud ergò, quod nomine circunstantiæ, Quis, intelligitur, & quod accidentaliter ad actum pertinet, est conditio personæ elicientis, puta dignitas, officium, status &c. Ex hoc enim, quòd operans hujus, vel illius sit conditionis, diversimodè actus objectum respicit, ac si talis conditionis non esset.

5. Nota verò, quòd licèt aliquandò circunstantia nullo modo videatur objectum afficere moraliter, nihilominùs ipsum verè afficit, ac variat, diversamque conformitatem, vel dissonantiam ad legem, & rationem in illud inducit: dum enim Judex, v. gr. furatur, licèt cõditio Judicis nil reale ponat in objecto furti, re scilicèt aliena; illam tamen reddit respectu Judicis aliter dissonam, ac sit in se, puta quod violet justitiam, qui ponitur Justitiæ defensor:

&

& hoc quidem ad minùs moraliter, quidquid sit in esse physico, de quo nolumus disputare.

6. Secunda pariter circunstantia. Quid, non significat substantiam actus, vel ipsius objecti, quod etiam pertinet ad substantiam, sed intelligitur, vel effectus ex actu secutus, puta, damnũ, aut utilitas; vel etiam accidens aliquod objecto principali, & substantiali adjunctum, puta in furto magna, vel parva quantitas; in accessu ad non suam, quòd sit soluta, vel conjugata. Undè sicut diximus, quòd circunstantia, Quis, dicit accidens, conditionem, vel statum personæ elicientis actum, ità circunstantia; Quid; conditionem objecti, vel effectum ex actu secutum.

7. Tertia circunstantia, Ubi, idest locus; in quà pariter consideratur loci qualitas, vel conditio, puta si privatus, vel publicus, Sanctus, vel prophanus: Etenim in loco publico peccare, peccatum reddit scandalosum; multa item licent in privato, quæ in publico indecentiam afferunt; Similiter in loco Sancto consideratur, vel tantùm indecentia quædam, quam omne peccatum dicit in loco Sancto commissum, quia Domum Dei decet Sanctitudo: vel consideratur propria ratio injuriæ, quæ loco Sancto fit, quandò scilicet ad prophanos usus trahitur, sic enim violatur specialiter Sãctitas loci, & quasi jure suo privatur, quo Sanctis usibus destinatus est; sicut si committatur in eo luxuria, homicidium, negotiatio, aut quibuscumque prophanis usibus destinetur; quę omnia sacrilegii speciem inducunt, ut ait Jo. à S. Thom. *p.2.q.7.* Vide infra §. seq. num. 19. Alia verò peccata, licèt ratione indecentiæ aggraventur, non tamen propriè sacrilegii speciem contrahunt.

8. Quarta, Quibus auxiliis. Possunt nomine auxiliorum intelligi, & personæ, quarum quis utitur opera, & exteriora instrumenta, quibus exequitur, vel præparat ad exequendum opus, v. gr. si quis utatur auxilio infidelium ad bellum præcipuè contrà Catholicos, si ope Dæmonum; vel magi-

cis

cis incantationibus, quæ distinctam speciem malitiæ præbent: si quis alium occidat instrumento majori cruciatu necante, aut si arundine, vel fuste ignominiæ causa percutiat, quæ aliquandò solùm aggravant, aliquandò speciem mutant, puta si speciale dehonestationem afferant.

9. Quinta, Cur, seù propter quid, & intelligitur finis, seù intentio. Cum autem, ut suprà diximus, duplex sit finis, operis videlicet, & operantis; finis operis, qui est ipsum proximũ, immediatum, & proprium objectum actus, non est circunstantia, ex ipso enim species essentialis desumitur, finis verò operantis respectu actus intentionis neque circunstantia est, cum sit illius proprium, & immediatum objectum, sed est circunstantia respectu actus electionis, & imperati; quandò tamen non per se, sed per accidens, & ex pura intentione operantis ad illum ordinatur, v. gr. dum quis vult, furari, ut ludat, ludus ipse non est circunstantia respectu actus, quô quis ludere intendit, sed est ejus objectum speciẽ essentialẽ ipsi tribuens; quia verò ex hac intentione ludi movetur, ut eligat, & velit furari, ipse ludus dicitur circunstantia furti, vel quia furtum non est de se ad ludum ordinatum, sed hoc accidit illi ex intentione furantis propter ludum.

10. Sexta, Quomodò; & hæc dicit modum quendam specialem ipsius actus absque ullo respectu ad aliud extrinsecũ; qui potest considerari, vel ex parte operantis, puta quòd tardè, aut velociter, promptè, vel ineptè operetur; sicut in gula attenditur, quòd quis pręproperè, vel ardenter comedat. Vel potest considerari ex parte ipsius actus, quòd sit intensior, aut remissior; vel demùm ex parte medii, ut si per fraudem, vel insidias occidat, si modos extraneos adhibeat; puta in gula, venere, fastu &c.

11. Septima denique. Quandò, idest tempus, in quo consideratur, & qualitas, & quantitas; ut si dies festus, vel in quo aliquid est prohibitum; item si multùm, vel parùm in actu

perseveraverit.

12. Addunt aliqui octavam circunstantiam quoties, hoc est, numerum non esse propriè circunstantiam, nam hæc dicit propriè conditionem accidentalē unius actus humani, numerus verò non reperitur in uno, eodemque actu. Præterquàm quòd numerus, etsi non sit ipsa substantia, sed accidens; multiplicat nihilominùs ipsam substantiam rei, & actus, ità ut in qualibet unitate conflante numerum sit tota substantia actus; circunstātia verò supponit substantiam, & aliquid accidentale superaddit. Sed quidquid sit, hoc parùm refert; de numero certè omninò ratio habenda est, ut de se constat.

§. II. *Quomodò dictæ Circunstātiæ minuant, augeant, vel mutent speciem.*

SUMMARIUM.

1. *Ex circunstantiis quædā augent, quædam minuunt bonitatem, vel malitiam.*
2. *Aggravantes, vel minuentes, præcipuè quòad malitiam, quædam aggravant; vel minuunt in infinitum, quædam citrà infinitum.*
3. *Dupliciter mortale peccatum dici potest gravitatis infinitæ, scilicet ratione offensæ, & ratione privationis infiniti boni.*
4. *Tripliciter adhuc ista gravitas considerari potest; Primò in ordine ad ipsum Deum offensum, & sic est infinita.*
5. *Secundò in ordine ad offendentem, à quo non potest infinitatem accipere.*
6. *Tertiò in ordine ad objectum, quod nequè infinitatem dare potest.*
7. *Aggravare in infinitum, dupliciter stare potest, negativè scilicet, & positivè.*
8. *Circunstantia mutans speciem dici potest, aggravare in infinitum negativè, non autem positivè, nisi faciat de veniali, mortale.*
9. *Immò ex D. Thom. non aggravat in infinitum, nisi addat gravitatem peccati mortalis.*
10. *Dupliciter adhuc stare potest, aggravare in infinitum, materialiter scilicet, & formaliter.*

11. *In*

11. *In rigore nunquàm circumstantia in infinitum aggravat, nisi dum facit de veniali mortale.*

12. *Addens novam speciem peccati mortalis novo titulo reddit infinitè grave, nō autem formaliter infinitè aggravat.*

13. *Colligitur hoc ex D. Th.*

14. *Ex ipso S. Doctore colligitur item, circunstantiam novam speciem addentem peccati mortalis aggravare in infinitum solùm materialiter.*

15. *Vel, si velis etiam formaliter, intellige, non in effectu, sed quantùm ad sufficientiam, & efficaciam de se.*

16. *Circunstantia non minuit in infinitum, nisi dum facit de mortali veniale.*

17. *Tunc solùm circunstantia mutat speciem, quandò specialem ordinem ad rationē importat.*

18. *Sacrilegium propriè importat violationem rei Sacræ formaliter, seù contrà id, ad quod sanctificata est.*

19. *Quodlibet peccatum in Ecclesia commissum distinctā contrahit specie malitiam, non tamen ex genere suo mortalem, nec propriè sacrilegium dicitur, nisi latiori vocabulo.*

20. *Peccatum veniale dici potest quodammodò ejusdem speciei cum mortali circà eandem materiam, reductivè tamen, & ut quid imperfectum in tali specie.*

21. *Immo formaliter diversum dicit ordinem ad rationem.*

1. Ex dictis ergò circūstantiis quædam augent bonitatem, vel malitiam actus, quædam verò minuunt: Augent, quæ actū reddunt magis rationi conformem, vel difformem; puta dum quis multùm eleemosynę tribuit, per ly, multùm, augetur bonitas eleemosynæ; Si enim eleemosynam dare, est rationi consonum, plùs dare, magis est consonum. Et similiter, si furari malum est, ac dissonum, est magis dissonum, ac malum, furari multùm. E contrà minuunt, quæ non ità conformem, vel difformem rationi, & legi reddunt actum, puta minimum dare, vel furari, & sic dis-

currendo per singulas circũstantias.

2. Insuper pręcipuè quòad malitiam, aliquę sunt aggravantes, vel minuentes in infinitum, aliæ citrà infinitum.

3. Pro quo notandum. Quòd mortale peccatũ dupliciter dici potest gravitatis infinitæ: Primò ratione offensæ, quia per illud infinita Majestas offenditur: secundò ratione privationis infiniti boni, quam habet annexam.

4. Gravitas porrò, maximè offensionis, adhuc tripliciter considerari potest. Primò in ordine ad ipsum Deum offensum, seù secundùm id, quod ab ipso, ut offenso, recipit: Et sic verè dicitur infinitæ gravitatis moraliter; quidquid sit, an debeat dici simpliciter infinitę gravitatis, nec ne? Quia sicut honor, & meritum accipit valorem, ac æstimationem ab honorante, ac merente, in quo subjectatur; ità injuria, & offensa gravitatẽ sumit ab ipsa Persona læsa, & offensa in quà moraliter subjectari dicitur, undè gravitas ista, ut supra tetigimus, dici potest gravitas personalis, & subjectiva.

5. Secùndò considerari potest in ordine ad offendentem, seù secundùm id, quod ab offendente recipit. Et dici potest gravitas affectiva, quia ex affectu, & voluntate offendentis desumitur; quæ cum sit finita, non potest in actum infinitam gravitatem refundere.

6. Tertiò demùm ex parte objecti, seù secundùm id, quod ab objecto, ejusque circunstantiis desumitur, & gravitas dicitur objectiva; neque ista infinita est, sed finita, sicut objectum, & Circunstantiæ: Quod, si aliquod peccatum objectum habeat infinitum, puta odiũ Dei; neque tamen ipsi actui gravitatem infinitam communicare potest; Quia objectum non cõmunicat omni actui totum id, quod aliàs communicare posset, sed secundùm modum, & mensuram, quo per actum attingitur: Quarè neque actui Charitatis, quo Creatura ipsum Deum diligit, infinitam suam tribuit bonitatẽ, sed secundùm mensurã illi par-

participat. At verò injuriæ, & offensæ, quia illam in se recipit moraliter, estque forma ejus gravificativa, totam gravitatem communicat. Sicut dignitas tota Personæ merentis actui communicatur. Hujus verò discriminis ratio est; Quia objectum, estò sit terminus, vel etiam forma actus, est forma extrinseca, non autē forma extrinseca totū suum præbet effectum semper; at verò subjectum est intrinseca moralis forma valorans, aut gravificans actum; forma autem intrinseca ex hoc ipso, quòd informat, totam se ipsam communicat.

7. Notandum insuper; quòd aggravare in infinitū, dupliciter potest intelligi; negativè scilicet, & positivè: negativè quidèm, quatenùs unum pervenire non potest ad gravitatem, seù perfectionem alteriùs; puta argentum, quantumcunque perficiatur, manens argentum, ad perfectionem auri pervenire non potest; & hoc modo quæcunque species infinitè distare ab alia dicitur, quia nulla species ad perfectionem alteriùs potest pertingere: Positivus autem excessus infinitus est, quòd unius perfectio infinita sit, alterius autem finita; sic enim verum est, quòd id, in quo unum aliud excedit, infinitum est; sicut Deus in infinitum excedit omnes Creaturas, non verò una Creatura aliam, cum omnes finitæ sint.

8. Juxtà quam doctrinam circunstantia dici non potest, aggravare in infinitum positivè, nisi dùm actū de se finitæ gravitatis ad infinitam trahit; quod non est, nisi dùm ex veniali facit mortale. Poterit nihilominùs dici, aggravare in infinitum negativè, quotiescunque novam speciem addit; cùm una species infinitè distet ab alia: Ita sentire videtur Nugnus in *ad. q. 9. art. 2. dub. 2. ibi 4.* notandum.

9. Cæterùm ex hoc sequeretur, quòd circunstantia quoque addens novam speciem peccati venialis, in infinitum aggravare, dici posset; puta si quis jocosum dicat mendacium ad irridēdum proximum; quod, certè non video, quomodò possit

ſit affirmari: Immo S. D. *in 4. diſt. 16. q. 3. a. 2. quæſtiunc. 4.* expreſsè ait, quòd, ſi circunſtantia *mutet ſpeciē, tunc poteſt, in infinitum aggravare, ſed non ſemper hoc facit, quia quandò ex deformitate ſpeciali, quam circunſtantia addit, habet directè oppoſitionem ad Charitatem, quod oſtēditur ex hoc, quòd eſt directè contrà præceptum legis, cujus finis eſt Charitas; tunc in infinitum gravitatem addit, ſcilicet peccati mortalis.*

10. Alitèr ergò fortè meliùs dicendum, puto: Quòd aggravare in infinitum, dupliciter ſtare poteſt, primò quaſi materialiter, inquantùm ſcilicet malitia, quæ additur, eſt abſolutè in ſe infinitæ gravitatis; hoc autem non eſt, abſolutè, in rigore, & formaliter in infinitum aggravare, ſed potiùs ex parte materiæ; quia ſcilicet id, quod additur; eſt infinitæ gravitatis: Aggravare autem in infinitum formaliter, eſt, reddere infinitè gravius id, ſupra quod aggravans additur, eò quia formaliter aggravare, eſt graviùs reddere; in infinitum ergò aggravare, eſt, reddere infinitè gravius. Hoc poſito.

11. Dico: nunquàm circunſtantiam formaliter, & in rigore in infinitū aggravare, niſi dùm actum de ſe venialem reddit mortalem. Quod patet: Si enim addatur malitia venialis, cum iſta finita ſit, non poteſt utique actum, cui additur, infinitè graviorem reddere: Si verò novam addat mortalē malitiā actui jàm in ſe mortali, neque dici poteſt, formaliter in infinitum aggravare, cum enim ſupponatur actus jàm infinitę gravitatis, per ſupervenientem circunſtantiam, quantumcunque pariter infinitæ gravitatis, reddi nō poteſt infinitè gravior, nam infinitum additum infinito non facit magis infinitum, præcipuè in eodē genere. Sicut ſi infinitæ quantitati adderetur alia quantitas pariter infinita, illam non faceret magis infinitam, nec extenſam; quia jàm ſupponitur adeò extenſa, ut ampliùs extendi non poſſit, aliàs infinita non eſſet. Cum ergò infinitas peccati ſit ſolùm in ratione Divinæ offenſæ, vel privationis

in-

infiniti boni, quod totum omni minimo peccato mortali convenit; non poterit una mortalis gravitas alteri mortali addita, in infinitum aggravare formaliter.

12. Poterit quidem, novo titulo infinitè gravē reddere; Sicut novo titulo Dei offensivum reddit actum, & infiniti boni privativum, quod est, materialiter tantùm in infinitum aggravare. Sicut pariter aggravabit formaliter offensā ipsam, quòad objectivam, vel affectivam gravitatem, non autem in infinitum; quia hujusmodi gravitates infinitæ non possunt esse, ut explicatū est.

13. Hoc totum insinuare videtur S. Doct. loco citato, ubi ait; quòd circunstantia, *quandò speciem non mutat, sed aggravat, adhuc remanet in ratione circunstantiæ, & non potest, in infinitum quantitatem peccati augere, ut ex veniali mortale fiat*. En ergò sentit, quòd tunc aggravat in infinitum, quandò facit de veniali mortale: *Quia*, subdit, *ut dictum est, circunstantia taliter aggravans, ex suppositione præcedentis deformitatis, habet rationem majoris deformitatis ex ejus virtute; undè, si etiam illa sit infinita, non potest, infinitam deformitatem addere*. En expressè ratio nostra, quòd si jàm peccatum infinitæ sit gravitatis, quale est omne mortale, non potest, infinitæ aggravari, quia jàm supponitur infinitum. Quæ ratio currit omninò, sivè circunstãtia novam addat speciem peccati mortalis, sive non, ut explicatum est.

14. Sed fortè dices, quòd S. Doct. apertè, & absolutè admittit, circunstantiam aggravare in infinitum, quandò ex deformitate speciali habet directè oppositionem ad Charitatem, & solùm id negat de circunstantia solùm aggravante ex suppositione præcedentis deformitatis, & per consequens non mutante speciem.

Ad hoc tamen dicitur, quòd ex allato contextu satis patet, S. Doct. intelligere, quòd circunstantiam in infinitum aggravare, idem est, ac de veniali mortale reddere; nec enim quolibet passu eadem repetere, necesse est: Adde, quòd ibidem S. Doct. non asserit absolu-

solutè, circunstantiam, quæ ex speciali deformitate directè oppositionẽ habet ad Charitatẽ, in infinitũ aggravare, sed quod in infinitum gravitatem addit, scilicet peccati mortalis; hoc est infinitam addit gravitatem, quòd est, aggravare in infinitum, quasi materialiter, non formaliter, ut explicuimus: præcipuè cum jàm expressè paulò ante insinuaverit, quid sit, in infinitum aggravare hoc est, ut ex veniali mortale fiat.

15. Quòd si adhuc velis contendere, intelligendum esse de formali aggravatione; dicamus, quòd hujusmodi circunstantiæ in infinitum aggravant, quantùm ad sufficientiam, & efficaciam, de se namque gravitatem important, quæ actũ de veniali reddere potest mortale, quamvis per accidens id cum effectu nõ præstent formaliter; quia jàm actum infinitæ gravitatis inveniunt. Sed quid de his, quæ parùm, vel nihil ad nostrum? Tenenda tamen est doctrina pro sequentibus.

16. Ex quibus facilè cõstat de minuentibus, quòd scilicet circunstantia minuere non potest in infinitum, nisi de mortali faciat veniale juxta regulas traditas capit. præced. §. 4.

17. Quænam verò circircunstantiæ mutent speciem, quæ non, constat pariter ex dictis de specifica distinctione humanorum actuum, ac de Peccatorum divisione; Ex quibus regula generalis hæc est. Quotiescumque circunstantia specialem ordinem ad rationẽ importat, mutat speciem, secus verò, si specialem ordinem non dicat, de quo satis in citatis locis.

18. Neque contrà hoc est, quod supra de tertia diximus circunstantia, peccata in loco Sancto commissa, quę solùm indecentiã quandam important, non contrahere propriè speciem sacrilegii, sed solùm aggravare; Cum tamen semper circunstantia loci sacri specialem ordinem ad rationem importet. Nam verè utique semper hujusmodi peccata novam speciem contrahunt, eò quia circunstãtia loci sacri novam illis addit malitiam contrà Virtutẽ aliam,

puta

puta Religionem: Diximus tamen, propriè non contrahere speciem sacrilegii, quia sacrilegium propriè importat violationē rei sacræ formaliter, hoc est, in eo, seù contrà id, ad quod sanctificata est specialiter; undè licet ager, v. gr. sanctificatus sit Ecclesiæ, & Deo, non tamen, si quis in eo fornicetur sacrilegium committit, quia non est sanctificatus ad hoc, ut ibi non exerceatur fornicatio, vel aliud peccatum; sed ad hoc, ut oneribus secularibus sit immunis, omnesque fructus ad honorem Dei, ministrorumque ejus sustentationem applicentur, quarè sacrilegium cōmitteret, qui illum devastaret, aut redditus exigere, conaretur.

19. Ecclesia pariter sanctificata est specialiter ad Divinum Cultum, & Refugium; Undè solùm propriè sacrilegium est, ad ipsam confugientes extrahere, capere &c. Vel in ipsa exercere, quæ Divinum Cultum impediunt, puta sanguinis, vel seminis effusionem, vel negotiationes, quæ ipsam in Speluncam Latronum converterent, ut ajebat Dominus Jesus. Quia tamen Domum Dei decet sanctitudo, quodlibet peccatum in ea commissum nonnullam indecentiam, & irreverentiam præsefert, quæ, licèt aggravet peccatum, & certè distincta specie malitiæ; non tamen ex genere suo mortali; undè nec necessariò in Confessione declaranda, ut cōmuniter docent Casuistæ; nisi fortè contemptum, aut grave scandalum secum ferret: Posset nihilominùs ampliori vocabulo sacrilegium dici, quia circà rem sacram.

20. Sed restat difficultas. Nam peccatum mortale, & veniale circà eandē materiam, puta furtum grave, & leve specie differunt, immò plùs, quàm genere, in sententia D. Thom. apud quem, non univocè, sed tantùm analogicè conveniunt in ratione peccati, ut expressè docet *p. 2. q. 88. art. 1. ad primum*; Non videtur autē, quomodo specialem distinctum ordinem ad rationem dicant, utrumq; enim Justitiæ ordinem, & æqualitatem violat, quāvis magis, & minùs, quod non mutat speciē.

Respõdetur ad hoc ex eodem D. Thom. *ibi q. 72. artic. 5. ad primum. Quòd peccatum mortale, & veniale differunt in infinitum ex parte aversionis, non autem ex parte conversionis, per quam respicit objectum, undè peccatum speciem habet; undè nihil prohibet, in eadem specie inveniri aliquod peccatum mortale, & veniale.* Quod tamen non sic intelligendum est, quòd mortale, & veniale peccatum circà eandem materiam, omninò, & absolutè dici debeant ejusdem speciei; sed quòd ad eandem speciem spectant; mortale quidem; & absolutè, & simpliciter speciei rationem participans; veniale verò secundùm quid, & imperfectè; undè nec simpliciter dici debet peccatum illius speciei, sed quid reductivè ad talem speciem pertinens. Sicut embrio, v. gr. non dicitur quidem esse in specie hominis, sed benè quid ad talem speciem pertinens, tanquam imperfectum, & homo in fieri.

21. Dici etiam posset, quòd licèt ordo, quem ad rationem, & legem dicit furtum grave, & leve, materialiter ejusdem sit rationis, & speciei, formaliter nihilominùs diversus est valdè; Tota siquidem ratio legis, quam respicit actus humanus est rectitudo, & modus, quem lex illi præscribit: Satis autem diversimodè legis directionem respicit mortale, & veniale peccatum: Illud enim respicit ejus fini contrarium, hoc verò tantùm secundùm quid, seù præter ipsius legis finẽ, & non contrà.

§. III. *Quænam circunstantiæ sint necessariò in Confessione Sacramentali explicandæ.*

SUMMARIUM.

1. *Circunstantia speciem addens peccati mortalis necessariò explicanda est.*
2. *Circunstantia verò addens tantùm speciem venialis nõ est de necessitate aperienda.*
3. *Circunstantia in infinitũ aggravans, vel minuens est necessariò explicanda.*
4. *Aggravantes citrà infinitum, salutiferum est, aperire; minuentes verò neque* con-

consilium; sincerè tamen sunt explicandæ, si à Confessario petatur.

5. *An Circunstantiæ purè aggravantes explicădæ sint, necnè? Utraque pars gravissimos habet fautores.*

6. *Media via incedendum; Ut solæ circunstantię necessariò explicandæ sint, quæ notabiliter variare possunt confessarii judicium.*

7. *Falsum est, Circunstantias intrà eandem speciem aggravantes de se ferre gravitatem peccati mortalis.*

8. *Ex D. Thom. absolutè, & per se loquendo, non sunt necessariò explicandæ circunstantiæ solùm aggravătes.*

9. *Quàm claræ sint S. Doct. authoritates.*

10. *Refellitur explicatio Jo. à S. Thom. ex contextu ejusdem S. Doct.*

11. *Consonat sententia nostra Conc. Trid.*

12. *Expenditur ipsius Concil. authoritas.*

13. *Ratio potissima nostræ assertionis.*

14. *His non obstantibus, necessariò explicădæ sunt circunstantiæ, quæ notabiliter diversũ exposcunt judiciũ.*

15. *Id convincunt authoritates Canonum, & Conciliorum, quæ pro contraria sententia possent afferri.*

16. *Falsum est, in morali æstimatione posse hujusmodi circunstantias æquivalere, & superare multiplicationẽ peccatorum.*

17. *Furans, aggrediendo viatorem, vel per rapinam, debet, has circunstantias explicare, quia non sunt purè aggravantes.*

18. *In sententia, quòd omnes incestus unius atomæ sint speciei, non esset substantialiter gravius, accedere semel ad Matrem, quàm ter, vel quater ad aliam consanguineam.*

19. *In foro externo graviùs puniuntur, quæ magis lædunt politicam conviventiam, & commune bonum, quàm graviora in se.*

20. *Omnia prædicta diversum valdè postulant Judicium; undè necessariò explicanda sunt.*

21. *Ratione confirmatur limitatio nostræ assertionis.*

22. *Quomodò in furto centum, vel mille notabiliter aggravet, ut sit necessariò explicandum, vel non?*

23. *Qui furatus est mille, peccat mortaliter, confitendo, se furatum nongenta, quia tota furti quantitas est materia necessaria.*

24. *Immo, qui furatus est unum scutum, confitens, furatum se novem Julios, precipuè in tutiori, & probabiliori sententia, quòd in confessione mentiri etiam circà venialia, sit mortale peccatum.*

25. *Adhuc in sententia, quòd mentiri circà venialia, sit solùm veniale, mentiri circà materiam peccati mortalis, esset mortale.*

26. *Etiam necessariò explicandæ sunt circunstantiæ minuentes, dùm notabiliter variant judicium.*

27. *Si circunstantia minuens aliquid importet magni momenti, necessariò explicanda est; si verò tanti momenti non sit, poterit illam pœnitens explicare, sed fortè non tenetur necessariò.*

28. *Absolutè, quòad necessitatem explicandi, idē est judicium de minuentibus, ac de aggravantibus.*

29. *Id non est, se excusare, sed justè accusare, quòd pœnitentis est munus.*

1. QUÆDAM in hac re certa sunt apud omnes, alia controversa inter DD. Certum est in primis, quòd circunstantia mutans speciem necessariò in confessione declaranda est, modò tamē species ejus peccati sit mortalis, non autem, si tantùm sit venialis. Horum est ratio, quia tota malitia mortalis est necessaria materia cōfessionis, ad ejusque integritatem spectat, ità ut, si unum tantùm de mille peccatis mortalibus taceatur voluntariè, confessio nō integra, sed invalida, & sacrilega sit. Si ergò circunstantia novā addit speciem peccati mortalis, necessariò aperienda est; aliàs non tota malitia mortalis exponeretur, & confessio integra non esset.

2. Per oppositum peccata venialia non sunt necessaria materia, licèt sufficiant ad Sacramentalem absolutionem recipiendam, undè licitè quis potest, cum conscientia decem peccatorum venialium unum tantummodò confiteri. Si ergò circunstantia variet speciem peccati solùm venialis, non

non erit de necessitate in confessione aperienda, puta si quis in Ecclesia detraxerit.

3. Pariter certum est, quòd si circunstantia in infinitum aggravet, vel minuat; hoc est, de veniali reddat mortale, aut de mortali veniale; omninò explicanda est; aliàs in materia gravi, & necessaria confessio non esset fidelis, & graviter falleretur confessarius existimans pœnitentem reum venialis tantùm, qui verè peccati mortalis reus est, vel è contrà.

4. Hic autem nota, quòd licèt salutiferum, & optimũ sit valdè, in confessione circunstantias omnes aperire, quæ adhuc tantùm venialiter aggravant, sicut optimũ est de venialibus quoque se accusare; Circunstantias tamen, quæ non ità notabiliter minuunt, neque consilium est explicare; immò consulunt, & benè DD. illas omittere; munus enim pœnitentis est, se accusare, non excusare: Si tamen de hujusmodi quoque à confessario interrogetur, illas explicet pœnitens: v. gr. si quis gravi tentatione, aut metu, vel prompta occasione invitatus fornicetur, aut falsum juret, debet simpliciter se accusare, dicendo; Semel falsum juravi: Si verò interroget confessarius; Quod habuisti motivum? Sincerè dicat, ex metu, occasione &c. Sed & insuper addat. Potui, occasionem vitare, & non feci; fortiter metum excutere, & nolui. Debet enim accusans esse confessio, non excusans. Quod tamen intellige juxtà ea, quæ infrà dicemus de circunstantiis notabiliter aggravantibus, & §. seq. de consuetudine habitu, & occasione.

5. Tota igitur difficultas reducitur ad circunstantias illas, quæ intrà eandem speciem aggravant; puta si quis furtum committat mille aureorum; An sufficienter se accuset, dicendo. Semel furatus sum in quantitate gravi; an sit necesse, quantitatem ipsam exprimere? Utraque sententia gravissimos habet fautores, nec levia fundamenta, quæ fusè nimis, & accuratè libravimus in tract. *de moralitate ad artic.* 11. *q.* 15. *p.* 2.

Ex

Ex quibus breviter meo videri:

6. Media quædam via in hac re tenenda eſt, quam ni fallor, Sapientiſſimus inſinuat Mag. Soto *in 4. diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 4. *con.* 7. Videlicèt; Non eſſe quidem ex neceſſitate omnes circunſtantias aperiendas, quomodocunque aggravantes; at illas tantùm, quæ ità notabiliter aggravant, ut earum explicatione diverſa notabiliter exiſtimatio, ac judicium formetur de pœnitente ab eo, quod ſinè illis formaretur.

7. Quarè mihi non ſatis probatur regula, quam cum aliis tradit Jo. à S. Thom. *p.* 2. *q.* 19. *diſp.* 10. *art.* 3. Quòd ſcilicet neceſſariò ſint explicandæ, quandò ſecundùm ſe ſumptæ gravitatem important peccati mortalis; ità ut in furto v. gr. ſuppoſito, quòd materia ſufficiens ad mortale peccatum ſit quinque Juliorum, quod modò non definimus, ſi quis furetur decem ſcuta cum dimidio, teneatur ex neceſſitate dimidium illud explicare: Non enim eſt diverſum notabiliter judicium de furto decẽ, ac de furto duodecim, vel quindecim ſcutorum; Satis autem diverſum eſſet de furto centum, aut mille: Hujuſmodi ergo circunſtantiæ neceſſariò erunt explicandæ, ſecus aliæ.

Nec aliquid obſtat, quod gravitas, quam iſtæ circunſtantiæ addunt, ſit, ut inquiunt de ſe peccati mortalis, ac per conſequens neceſſaria confeſſionis materia. Nam ut optimè docet S. Th. *in 4. diſt.* 16 *q.* 3. *art.* 2. *queſtiun.* 4. *Circunſtantia taliter aggravans*, hoc eſt intrà eandem ſpeciem, *ex ſuppoſitione præcedentis deformitatis, habet rationem majoris deformitatis ex ejus virtute*: Undè falſum eſt abſolutè, quòd hujuſmodi circunſtantiæ de ſe gravitatem peccati mortalis important; immò de ſe nullam dicunt malitiam, ſi ut puræ circunſtantiæ conſideretur, ſed totam hauriunt ex virtute præcedentis malitiæ, qua ſuppoſita, illam habent augere: Puta in caſu parum, vel multum, de ſe neque malitiam, nec bonitatem dicit, additum verò furto ejus contrahit malitiã, illamque auget, vel minuit:

Non

Non oportet igitur pro circunſtantia ſumere, & conſiderare furtum, v. gr. unius, vel dimidii ſcuti; hoc enim totum non eſt circunſtantia, ſed circunſtantia ſimul cum ſubſtantia furti; undè non valet arguere, furtum unius ſcuti eſt neceſſaria materia confeſſionis: ergò circunſtantia unius ſcuti eſt neceſſariò explicanda. Scutum enim ſecundùm ſe malitiam non dicit, & hoc modo eſt circunſtantia, quæ addita furto illius, ut dixi, malitiã contrahit, & auget.

8. Salvo igitur meliori judicio; dico in primis, abſolutè, ac per ſe loquendo, non ſunt neceſſariò explicandæ in cõfeſſione circunſtantiæ ſolùm aggravantes, ſed tantùm illæ, quæ novam ſpeciẽ peccati mortalis addunt. Hæc expreſſa omninò eſt ſententia S. Doctoris in 4. *diſt.* 16. *q.* 3. *art.* 2. *q.* 5. ubi ſic habet: *Alii verò dicunt, quod non ſunt de neceſſitate confitendæ, niſi circunſtantiæ, quæ ad aliud genus peccati trahunt, & hoc probabilius eſt, ſed addendum eſt; quæ ad aliam ſpeciem mortalis trahunt*. Idem repetit ad Annibaldum eadẽ *diſt.q.unica art.*3.*& opuſ.*12.*art.*6. ait: *Sic igitur hujuſmodi circunſtãtias aggravantes, quæ non trahunt in aliud genus peccati*, non credo, *quòd aliquis teneatur confiteri*.

9. Adeò claræ ſunt hujuſmodi authoritates, ut Illuſtriſſimus Aravio 3.*p.q.*84. *art.* 5. *dub.* 3. *n.* 19. abſolutè aſſerat, hanc ſententiam tenuiſſe D. Thom. Martinez item de Prado tom. 2. *Theolog. Mor.* cap. 25. *q.* 1. *n.* 31. exiſtimat, hanc eſſe mentem S. Doctoris, & veram ſententiam, de qua tamen ſe remittit ad tract. *de Sac. Pœnit.* ubi *q.*2. *de integ. confeſ.dub.*2. §. 2. idem ferè docet, ac nos. Idem ſentiunt alii graviores Thomiſtæ inter quos Sapient. Mag. Soto in 4. *diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 4. *concluſ.* 7. addit verò cum quibuſdã aliis, quod ſi fortè S. Thomas cõpleſſet ſummam, ſententiam mutaſſet; quod ego non video, quarè? Cùm iterùm atque iterùm ex profeſſo talem doceat ſententiam.

10. At verò Jo. à S.Th. loco citato conatur, mentẽ S. Doctoris explicare, dicendo S.Doctorem loqui de circun-

cunſtantiis aggravãtibus citrà mortale, hoc eſt, dum gravitas, quam addunt, non ſit adeò notabilis, ut de ſe ad mortale ſufficiat. Quod cõprobatur ex contextu ejuſdem quæſtiunculæ 5. ad 1. ubi hujuſmodi circunſtantias venialibus æquivalentes aſſerit.

Sed contrà eſt duplex cõtextus literæ; ibi enim immediatè præmiſerat. *Quidam dicunt, quod omnes circunſtantiæ, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, confiteri, neceſſitatis eſt*; Loquitur ergo de circunſtantiis notabiliter etiam aggravantibus; nec autem dici poteſt notabiliter aggravans, quæ ſolam quantitatem ad veniale, non ad mortale ſufficientem, addit; puta in furto; ſupponamus, quod ad mortale furtum, requiratur quantitas quinque juliorum, de quo modo non diſputamus; ſi quis furetur novem, non poteſt dici aggravari furtum notabiliter.

Sed expreſsiùs ibidem ad 2. ait, *quòd determinata quãtitas non poteſt Sacerdoti innoteſcere, quia nec ipſe peccator ſcit, undè ſufficit, quòd cognoſcat quantitatem, quæ ex ſpecie peccati conſurgit*. Idem repetit in 4. ad Annibaldum *diſt. 16. q. unica art. 3. ad 2.* Immo addit, *quòd ſi cognoſceret, non tamen tenetur confiteri; quia tantùm peccatum mortale eſt de neceſſitate confitendum*.

Neque poteſt explicari; quod cum hujuſmodi circunſtantiæ de ſe importent gravitatem ſufficientem ad mortale, comprehenduntur potiùs, quàm excludantur in dictis verbis, dùm aſſerit, quod peccatum mortale de neceſſitate eſt confitendum. Non inquam valet, quia præter jam dicta circa hoc, quantùm ad mentem Sancti Doctoris, ipſe manifeſtè ibi loquitur de iſta gravitate, ut ab ipſo mortali peccato diſtincta; & vult, quod mortale tantùm peccatum ſit de neceſſitate confitendũ, non verò iſta gravitas, ſed ſufficit, quod Sacerdos cognoſcat quantitatem, quæ ex ſpecie conſurgit.

Ex quo inſuper colligitur non benè conſonare literæ S.Doct. explicationẽ, quam tradit idem Jo. à S. Thom.

Quòd

Quòd ſcilicet, dùm ait, circunſtantiam, quæ novam rationem peccati mortalis addit, eſſe de neceſſitate cõfitendam; aliam verò non; Senſus eſt, eſſe confitendam ex neceſſitate circunſtantiã, quæ novam addit rationem peccati mortalis; hoc eſt, quæ in aggravando addit id, quod ſufficit ad mortale peccatum, quamvis novam ſpeciem non addat: Etenim ex allato contextu ad 2. ſatis clarè conſtat; D. Thom. intelligere, ſolùm eſſe confitendam circunſtantiam, quæ novam rationem, hoc eſt ſpeciem peccati mortalis addit; ait ſiquidem expreſsè, quòd ſufficit cognoſcere quantitatem, quæ ex ſpecie conſurgit.

Ad authoritatem ex op. 12. dicit Jo à S.Thom. quòd litera videtur eſſe mendoſa, & legi debere: *Sic igitur hujuſmodi circunſtantias non aggravantes &c*. Tum quia ly, hujuſmodi, refert circunſtantias paulò antè cõmemoratas, quas vocaverat S. Thom. non aggravantes, dicendo, *Circunſtantias verò non aggravantes, quæ in aliud genus peccati non trahunt &c.* Tum etiam, quia titulus articuli de non aggravantibus poſitus fuerat; Sic enim dicit: *Sexta quæſtio eſt, an circunſtantias peccati trahentes in alterum genus, non notabiliter aggravantes, teneatur homo confiteri*. Et certè litera videtur ſuboſcura; ex contextu nihilominùs patet omninò, quòd mendoſa non eſt: nam ſubditur: *Quod autem dixi, circunſtantias aggravantes, quæ nõ trahunt in aliud genus peccati, non eſſe de neceſſitate confitendas, non eſt referendum ad numerum, quem aliquis confiteri tenetur*. En ergò confirmat, ſe verè dixiſſe, circunſtantias aggravantes, & non mutantes ſpeciem, non eſſe neceſſariò confitendas; à quibus tamen claritatis gratiâ numerum excipit, licèt propriè circunſtantia non ſit, ut ſupra dictum eſt: Numerus autem, nedum aggravat, ſed multiplicat peccatum; undè penitùs incongruè fieret exceptio numeri à circunſtantiis non aggravantibus.

Neque titulus aliquid officit; Non enim erat abſolutè de circunſtantiis non

aggravantibus, ſed de non aggravantibus notabiliter, ut patet; undè cùm ſubdit: *Circunſtantias autem non aggravantes &c.* cum eâdem clauſula intelligi debet, hoc eſt, non aggravantes notabiliter, nec in aliud genus trahentes; de quibus docet, non eſſe quidem neceſſariò confitendas, licet ſit laudabile, quòd homo confiteatur, ſicut peccata venialia: manifeſtum eſt autẽ, quòd circunſtantias, quæ nullo modo aggravant, confiteri, neque laudabile eſt, immò inutile, ac vanum.

Demùm quod S. Doct. ait, hujuſmodi circunſtantias venialibus æquivalere; dici poteſt, vel quòd in hoc venialibus æquiparantur, quòd ſicut illa de ſe directè non opponuntur charitati, & Gratiæ, ità nec iſtæ circunſtantiæ, ut circunſtantiæ ſunt, in tantùm enim Gratiæ, & Charitati opponuntur, in quantùm ſpecies peccati, cui adduntur, talem oppoſitionem dicit: Si enim furtum, v. gr. de ſe oppoſitionem ad Charitatem non diceret, nec furari millia millium; undè in hoc venialibus æquiparantur. Vel certè, quia ut opuſ. 12. ait de his in ordine ad Confeſſionem idem videtur judicium, ac de venialibus.

11. Conſonat etiam hæc ſententia Trid. ſeſſ. 14. capit. 5. *de Pœnit.* ubi explicans, quid neceſſariò in confeſſione Sacramentali aperiendum ſit; nullam facit mentionem de circunſtantiis tãtùm aggravantibus, benè tamen de mutantibus ſpeciem, ut ibi videre eſt: Ad hoc tamen dicit Jo. à S. Th. quod per ly, ſpeciem intelligit Conc. non ſolùm ſpeciem moralem, ſed etiam Theolog. & ſic complectitur circunſtantias aggravãtes, quæ intrà eandem ſpeciem moralem novam, ſeù majorem offenſam mortalem inducunt: quam explicationem dat etiam authoritatibus D. Thom. allatis. At fateor cum pace tanti Viri; non video, quomodo circunſtantia intrà eandem ſpeciem moralem aggravans; niſi fortè de veniali mortale peccatum reddat; dici poſſit, variare ſpeciem etiam Theolog. Unum enim furtum mortale ab alio furto

to mortali non differt ſpecie, nec morali, nec Theologica, ſed tantum numero: quomodo ergo idem furtum per hoc, quòd aggravetur intrà eandē ſpeciem Theologicè ſpecie differre poteſt?

12. Aliter ergò puto, quòd meliùs, & communiùs dici poſſet, Conc. expreſsè tantùm nominaſſe circunſtantias mutantes ſpeciem; quia hoc certum eſt, alias verò omiſit, quia de illis controverſia erat inter DD. Concilia enim in ſuis Decretis. certiorem ſolummodo exponunt Doctrinam, dubiam relinquendo Theologis diſcutiendam. Quare, ut benè advertit Medina *p.2. q. 7. art. 2.* Argumentum negans, neque in Divinis Scripturis, neque in definitionibus Conc. validum eſt; & Aravio *3.p. q. 84. art. 5. dub. 3. n. 20.* Argumentum ab authoritate negativa nihil convincit. Quod certè omninò verum eſt; non parùm tamen ad noſtrum confert. Cum enim ibi ex profeſſo tractarent Patres de circunſtantiis neceſſariò cōfitendis, videtur quòd in re tam gravi diminutè valdè locuti eſſent, nullam penitùs de hujuſmodi circunſtātiis mentionem facientes, ad minùs conſulendo, ſi non abſolutè determinando, ut in aliis fortè non tam gravis momenti.

13. Ratio autem potiſſima noſtræ aſſertionis hæc eſt, quia neceſſaria materia confeſſionis non eſt, niſi malitia mortalis; atqui hujuſmodi circunſtātiæ de ſe malitiam non afferunt mortalem, ut ſatis ex dictis liquet, nullam enim de ſe malitiam afferunt; ſed ſolummodò jam præſuppoſitam participant, & participādo augent; non igitur, per ſe loquendo neceſſaria materia ſunt.

14. His non obſtantibus. Dico ſecundo. Neceſſarium eſſe in confeſſione Circunſtantias aperire, quæ licèt ſpeciem non mutent, ità notabiliter aggravant, & notabiliter quoque diverſum expoſcunt judicium; alias verò non. In hoc ſenſu intelligi poteſt S. Doctor. quod ſcilicet per ſe, & ſecundùm id, quod eſt ex natura, & ratione ipſarum circunſtantiarum, non ſunt neceſſariò

confitendæ. Cum quo tamen ſtat, quod per accidens aliquandò ſint neceſſariò explicandæ, ſecundùm id, quod in caſu contingere poteſt. Hoc, & non ampliùs convincere videntur authoritates, & rationes, quæ pro contraria ſententia poſſent afferri.

15. In primis cap. Conſideret *de Pœnit.* diſt. 5. ſic dicitur: *Conſideret qualitatẽ criminis in loco, in tempore, in perſeverantia, in varietate Perſonæ, & quali fecerit hoc tentatione, & in ipſius vitii multiplici executione*: Quod ſumptum eſt ex Auguſt. lib. *de vera, & falſa pœnit.* capit. 14. ubi ſubdens exempla multarum ſimilium circunſtantiarum, concludit. *Omnis iſta varietas confitenda, & deflenda eſt, ut cùm agnoverit, quòd peccatum eſt multum, citò inveniat Deum propitium.* Sed hoc parùm urget. Multa namque SS.PP. dicta, quæ in Decretis inſeruntur, conſilia ſunt, non præcepta; Nec apparet, quomodò iſta præceptivè ponantur; non enim ibi terminus, aut dictio reperitur præceptum, aut ſimpliciter neceſſitatem indicans, immò quod S.P. ſubdit, *Citò inveniat Deum propitium*: ſatis conſilium præſefert, non neceſſitatem: Præterquam quod plura ibi allata, ut in plurimum, non ità notabiliter aggravant, etiam in contrariorum ſententia, ut neceſſariò explicanda ſint, v. gr. locus, tempus, & perſeverantia.

Non magis convincit authoritas Jo. à S. Thom. *p. 2. q. 19. diſp. 10. art. 3.* Conc. Wormacienſis can. 25. ubi dicitur. *Debere Sacerdotẽ conſiderare cauſas, originẽ, modumq; peccatorum*: Cõmodè namque poteſt hoc intelligi, quandò hujuſmodi circunſtantiæ ſpeciem variant, aut valdè notabiliter aggravant: Vel etiam præcipuè, quòad cauſam, & originem, quandò ex occaſione proximæ pœnitens ruit, quam noſcere omninò debet Sacerdos; undè Concil. expreſsè ait, debere Sacerdotem iſta conſiderare, ut opportuna remedia præbeat, ac diſpoſitionem pœnitentis agnoſcat, de quo nos §. ſeq.

Item idem ibi Conc. Flor. in Decreto Eugenii Papæ habet: *Pœnitentem debere omnia*

nia integraliter cōfiteri. Quod ità explicat Jo. à S. Thom. ut per ly; Omnia, intelligātùr omnia peccata mortalia, & per ly; integraliter, quidquid pertinet ad istas circūstantias aggravantes; quia istæ sunt, quæ integrant peccatum, & sunt quasi partes ejus integrales. Sed meliùs dicamus nos, quod ly; Integralitèr, cadit supra confiteri, non supra peccata; ità ut sensus sit, debere confiteri omnia integraliter, hoc est nullum omittendo, ut confessio integra sit. Non verò, ut sit sensus, quod omnia peccata integra, hoc est, cum omnibus annexis, etiam non de substantia, confiteatur.

Vel etiam si cadat suprà peccata, sensus est, quod omnia integra substantialiter, non verò quòad integritatem purè accidētalem. Integritas autem substantialis peccati consistit in externa cōsummatione actus, quæ licèt de se novam non addat malitiam, ut supra dictum est, pertinet verè ad integritatē peccati, ex actu enim interno, & externo unum peccatum integratur. Cæterùm hujusmodicircunstantiæ penitùs accidentariæ dici possunt, nec solùm extrà essentiam, verùm extra substantiam, seù integritatem peccati. Sicut in homine longitudo comæ, vel magnitudo membrorum non pertinet ad ipsius integritatem substantialem, benè verò ipsa membra.

Deindè in Rituali Romano à Paulo V. approbato Rubrica de Sacramēto pœnitentiæ dicitur, Idem ibi. *quod si pœnitens numerum, speciem, & circunstantias explicatu necessarias nō expresserit, Sacerdos eum interroget.* Ubi distinguens Pont. circunstantias à specie, intelligi nequit de circunstantiis mutantibus speciem; sed hoc facilè refellitur: Satis enim congruè, non obstante prædicta distinctione, intelligi potest de circunstantiis variantibus speciem; Non solùm, quia sola species essentialis dicitur propriè species, accidentales verò non, nisi cum addito, scilicet species accidentales, undè si quis interroget. Cujus speciei est Petrus: adæquatè respondetur hominis, & omninò incon-

congruè reſponderetur albi, vel nigri. Ita cujus ſpeciei eſt, rapere aliena in Eccleſia? Utiq; benè reſpōdetur furti; hæc enim eſt eſſentialis ſpecies. Quamvis verum ſit, in moralibus aliquo potiori jure ſpecies etiam vocari accidentales. Non ergò hac ſola ratione, verùm quia id apertè videtur inſinuare Pont. dùm ait ſpeciem non ſpecies: Si verò nomine circunſtantiarum intelligeret ſolùm non mutantes ſpeciem, non ſufficienter dixiſſet, ſpeciem, ſed ſpecies dicere debuiſſet; Cum poſſit actus in pluribus eſſe malitiæ ſpeciebus; At verò etiam admiſſo, quod nomine circunſtantiarū intelligat puras circunſtantias non mutantes ſpeciem, non eſſet opus intelligere de circunſtantiis aggravantibus utcumque, ſed ut ſubdit, de neceſſariis explicatu, puta frequentia, occaſione, & ſimilibus, vel etiam in noſtra ſententia valdè notabiliter aggravantibus.

Denique Trid. loco citato, quamvis expreſsè de ſolis circunſtantiis mutantibus ſpeciem fecerit mentionem, ratio tamen, quam affert de aliis quoque convincit, ait Jo. à S. Thom. Sic enim ibi dicitur. *Colligitur præterea, etiam eas circunſtātias in Confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant, quòd ſine illis peccata ipſa, neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec Judicibus innoteſcant, & fieri nequeant, ut de gravitate criminum rectè cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere.* Quæ currere videntur etiam in circunſtantiis nō mutantibus ſpeciem, ſed ſolùm aggravantibus. Cæterùm, & ad hoc dici poteſt, quod ſine hujuſmodi circunſtantiis peccata ipſa integrè, & exponuntur, & innoteſcunt, quòad integritatem ſubſtātialem, & hoc ſufficit, ut expreſsè ait S. Doct. ſupra citatus. Non enim eſt neceſſe ad ſubſtantiam, & validitatem Sacramenti, ad lancem, ut ità dicam, peccata ponderare, nec Metaphiſica proportione tantam imponere pœnam, quanta eſt gravitas culpæ; ſed ſufficit, quod pœna ſit ſuo modo proportionata peccato,

ſe-

secundùm gravitatē, quam ex specie habet.

16. Rationes pariter, quæ adducuntur facili quoque negotio solvuntur. Ajūt in primis, quòd in morali æstimatione, & in ordine ad punitionem, & medicinam conscientiæ, potest circunstantia aggravans æquivalere, immò, & superare multiplicationem peccatorum in numero, & in specie: ergo si tenetur quis confiteri numerū, & speciem peccatorum; etiam circunstantias aggravantes; furtū enim v. gr. mille aureorum superat in morali æstimatione centum furta duorum. Et confirmatur; nam sequeretur ex opposita sententia, quod ex majori gravitate, & malitia quis commodum reportaret; & minùs teneretur confiteri, qui plus damnificavit, v.gr. furans mille unico furto satisfaceret confitendo, se furatum semel quantitatē ad mortale sufficientem; qui verò tantùm centum furatus esset; sed hęc decem vicibus, teneretur dicere, se decem furta mortalia commisisse.

Ad hæc autem dici posset in primis, falsum esse in morali etiam æstimatione hujusmodi circunstātias æquivalere, aut superare multiplicationem peccatorum: adhuc enim morali æstimatione vituperabiliùs, & graviori pœna puniendus est, qui decies furatur unum scutum, quam qui semel viginti; Undè nullum est inconveniens, quod affertur pro confirmatione: quod nihilominùs cum debita limitatione statim explicabimus, sicut & alia.

17. Addunt, qui decem furatur, viatorem aggrediendo, graviùs peccat, quā qui centum in Civitate, vel Domo; Sed in primis furans aggrediendo viatorem, duplicem injustitiam committit, dum rem tollit, & vim infert Personæ, undè necessariò explicanda esset hæc circunstantia, sicut rapina, quæ distincta est species à simplici furto. Immo Grassatores viarum lædunt quoque publicū Jus, & indè hujusmodi furta specialē quandam habent ad legem repugnantiam.

18. Item inquiunt, semel ad Sororem, vel Matrem acce-

cedere, horribilius est, quàm ter, vel quater ad aliam cõsanguineam in tertio, vel quarto gradu; Ad hoc autẽ valdè probabilis est sententia, incestum secundùm diversos gradus specie differre, & probabilior atque communis quo ad Matrem, & Sororem. In sententia tamen, quod unius atomæ sit speciei, substantialiter, & in re, non esset graviùs, accedere semel ad Matrem, vel Sororem, quam bis, vel ter ad aliam consanguineam. Quòd autem hæc horribiliora hominibus appareant, parùm refert; nam aliqua multoties vituperabiliora sunt apud homines, quæ in se minoris sunt culpæ, undè illud Greg. apud S. Thom. quod peccata carnalia sunt minoris culpæ, & majoris infamiæ, quàm spiritualia.

19. Denique subdunt. Quòd ratione hujusmodi circunstantiarum adeò peccatum aliquandò aggravatur, quod gravissima pœna, etiam in foro exteriori, dignum efficiant. Sed neque hoc quidquam convincit. Nam externa punitio ad Politicam conviventiam ordinata est, undè, quæ illi magis contrariantur, graviùs puniuntur, & gravissima quandoque impunita relinquuntur. Facilis item solutionis cætera sunt, quę adduci possent ex hac parte.

20. Ad nostrum autem unico verbo: Ista omnia ità notabiliter aggravant, ut diversum postulent valdè judicium; quarè nostram confirmant resolutionem, & libenter admittimus, quòd necessariò explicanda sunt, quamvis non mutent speciem.

21. Hac igitur unica brevi ratione dicta limitatio cõfirmari potest. Confessio enim Sacramentalis est medicinale quoddam Judiciũ, quo Confessarius congruam pœnitenti Medicinam adhibere debet. Quamvis ergo necesse non sit, minutim, & ad unguem peccati, ac morbi gravitatem illi innotescere; ad minimum certè, necessarium est, ut grossiori quadam mensura justum dare possit judicium. Igitur necesse est, illi circunstantias innotescere, quæ valdè notabiliter judicium variant. Quod nõ ità passim, & ut in

plu-

plurimum occurrit, nisi mutent speciem. Quarè optimè, & per se loquendo ait S. Doct. quod non sunt ex necessitate aperiendæ, nisi circunstantiæ, quæ mutant speciem: Cum quo tamen benè stat, quod in casu particulari necessarium sit, etiã non mutantes speciem, at verò notabiliter aggravantes, explicare.

22. Addo nihilominùs ad majorem claritatẽ: Quòd licèt suprà dixerim, in furto v. gr. furari centum, vel mille, notabiliter variare judicium, ac per consequens explicandum esse in Confessione: Id tamen pensandũ est ex aliis quoquè circunstantiis: Etenim si furtum fuerit simplex, & incidenter commissum, ità sentiendum puto; at verò in famoso Latrone ad graviora furta jàm assueto, puto neque centum, neque mille notabiliter adeò variare iudiciũ: ex quo enim pravam suam voluntatem, & consuetudinem confitetur, satis percipit Confessarius ejusdẽ conscientiæ statum; sicut etiam si semel magni Divitis Domum, quis depredatus fuerit. Omnia tamen saniori submitto judicio.

23. Unicum restat præ cæteris argumentum, specialem ingerens difficultatem, ex Mag. Soto loco jam suprà citato, si quis furatur mille, non tenetur quantitatem confiteri, sequitur, quòd mentiens, dicẽdo se furatum octingenta, vel nongenta, non redderet invalidã Confessionẽ, mendacium enim in Confessione circà materiam non necessariam non est mortale, sed veniale peccatum, quòd ipsam non invalidat; hoc autem absurdum videtur. Et nè dicas, id esse mendacium perniciosum, ac per consequens mortale, supponamus, quod pœnitens habeat jam firmũ propositũ satisfaciendi plenariè, & integraliter.

Sed negatur sequela: esset enim, verè mentiri circà materiam necessariam, quia circà mortale peccatum; Aliud est enim, quòd non sit necessarium, explicare quantitatem; aliud, quod ipsa quantitas non sit materia necessaria. Cùm enim sit quantitas peccati mortalis, tota ejus malitia est ne-

cessaria materia Cōfessionis; undè mentiri circà illam est, mentiri circà materiam necessariam: Unius enim peccati, una est malitia, neque licet, partem explicare, partem abscondere, sed totam exponere necesse est; non tamen totam explicitè, sed sufficit implicitè. Dùm ergò quis confitetur furtum in materia gravi, quamvis non explicet tantum, vel quantum, totum implicitè confitetur, quia totum in furto includitur: Si verò confiteretur decem, cùm sit furatus viginti, jam reticeret quantitatē mortali malitia affectam, nec implicitè alia decem exponeret; ac circà rem peccati mortalis mentiretur.

24. Sed instabis. Hinc sequeretur, quòd furans unū scutum, & confitens, se furatum novem Julios, peccaret mortaliter, & invalidam redderet confessionē, quod videtur durum.

Respondetur: ita esse, neque durum videri debet, maximè in tutiori sententia, quam docet Cajet. *V. Confessio* & *2. 2. q. 69. art. 1. in resp. ad tertium*, quòd scilicet mētiri in Confessione, adhuc circà materiam peccati venialis, peccatum sit lethale, non absolutè quidem, sed supposito, quod illud clavibus, & judicio sacramentali exponatur, quam sententiam ego veram omninò puto. Sic ergo in casu, quamvis non teneatur, aperire quantitatem explicitè; supposito, quod illam explicet, sub mortali tenetur, illam sincerè omninò exponere.

25. At quid in sententia, quam tuetur mordicus Magist. Soto de tegendo secreto, & de Justitia, ac demum 4. *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 4. *con.* 3. quod scilicet, mentiri circà venialia quantumcunq; judicio exposita, non est mortale. Certè vix argumentū solvi posse video: Nihilominùs dici potest; disparem satis esse rationem de peccato veniali, ac de quantitate materiæ peccati mortalis, quantumvis exigua, propter adductam rationem, quia scilicet veniale nullo modo est necessaria materia; peccati autem mortalis materia tota est necessaria, quia tota mortali malitia inficitur.

26. Ex dictis manifestè col-

colligi videtur, etiam necessariò explicandas circunstãtias notabiliter minuentes; valdè namque diversum est judicium de Puella, quę vix effugere potuit illatam violentiam, sed ferè vi oppressa est, quamvis tandem consenserit; ac de alia, quæ sua sponte consensit. Immo aliquandò aperiendæ sunt non adeò notabiliter alleviativę, non quidem per se, & ad excusandum peccatum; sed per accidens, ratione alicujus annexi, puta ut propriæ famæ consulat penitens, aut quid tale: Sed & hoc semper, se accusando, non excusando. Audiamus in hoc sententiam, & præcisa verba Sapientissimi Mag. Soto loco citato, con. 5.

27. Sic de his habet. *Licèt non sit necessarium, illas confiteri, tamen si multùm minuant, necessarium est, illas exprimere, exempli gr. si Puella gravi inopia oppressa, aut mortis metu, ut periculo vitæ succurreret, Juvenem admisit, licèt peccatum mortale sit, potest tamen* (nota ly, potest) *sua famæ, & bonori consulere, dicendo causam, quę turpitudinem suam aliquo modo alleviet. Pariter, si quis putans, se benè facere, furtum fecit, quod Pauperibus largiretur, aut pejeraverit, ut vitam servaret Regis. Ut enim Eccl. 41. admonemur, cura habenda est de bono nomine, salva confessionis veritate. Immo verò, si esset Persona, quæ multũ prodesse posset Reipublicæ, & confiteretur Episcopo, quòd occiderit hominem, teneretur* (nota ly, teneretur) *honorem suum protegere, dicens, si verum esset, quòd ille occiderat Parentes suos. Si autem tantùm nõ minuant, satiùs est, eas non confiteri; Hæc ille.*

Ex quibus duo colligo: primùm, quòd si fama, vel aliud annexum est magni momenti, ut in ultimo casu, tenetur quis, exprimere, si verò non sit tanti momenti, potest, sed fortè non tenetur ex necessitate, & sub præcepto, undè ait de Puella, quòd potest.

28. Secundò colligo; quod cum in omnibus dictis exemplis notabiliter sint alleviantes circunstantiæ, & ad annexa, puta famam, vel Reipublicæ utilitatem, recurrat M. Soto, videtur sen-

tire, quod nec hujusmodi circumstantiæ sint per se necessariò confitendæ, sed solùm per accidens,& ratione annexi; at ratio procedit absolutè; Quarè, & absolutè quoque dicerem, quod sicut necessarium est, notabiliter aggravantes exprimere, ut justum fiat judicium, ità & notabiliter alleviantes.

29. Neque contrà id facit, quod pœnitentis munus est, se accusare, non excusare; nam hoc non est, absolutè se excusare, sed justè accusare, quòd ad pœnitentem pertinet, & quamvis, non exprimente ipso pœnitente, debeat Confessarius de hujusmodi interrogare, ut justum formet judicium, non tamen debet pœnitens, expectare interrogationem Confessarii de his, quæ ipse benè novit: Munus enim Confessarii non est interrogare, nisi ad supplendum pænitentis defectum: Quarè dùm pœnitens scit, debet sincerè, ac spontè aperire, quod ad justum exigitur judicium, semper tamen accusatoriè, non excusatoriè, ut sæpe dictum est.

Scio quidẽ; hac in re limites excessisse, quem intendimus Summarii tractatus, at verò parcat lector; nam gravitas, & simul necessitas ipsius materiæ; ac difficultas circà mentem S.Doct.à quà nec minimum apicem, quòad suppetent ingenii vires, recedere conamur; causa fuit protractionis. Extrà chorum insuper cecinisse videbimur: Dum hæc materia, non hujus quidem loci, sed magis tractatus de pœnitentia propria est.

Verùm propter connexionem,& quia corporis debilitas nõ adeò longam promittit Vitam, ut ad ipsum de pœnitentia perveniamus tractatum; hæc quæ jam præ manibus habuimus, subnectere, satiùs visum est; undè nec pigeat, ad complementum alia quoque seq. §. audire.

§. IV. *Aliæ quædam examinantur difficultates.*

SUMMARIUM.

1. *Quomodò circumstantia novam dans mortalis peccati speciem, dici possit, non notabiliter aggravans.*

2. Pec-

2. *Peccatum veniale, vel mortale aliàs confessum, potest quis, confiteri in genere, absque alia determinata specie.*

3. *Quod ait S. Doct. quòd non confitetur peccatum, qui non confitetur speciem, intellige de confessione distincta, non utcunque, & prout sufficit de materia non necessaria.*

4. *Consuetudinem, seù habitum alicujus peccati explicare, tenetur pœnitens.*

5. *Ex duplici capite oritur hæc necessitas, ut cognoscatur præsentis peccati gravitas, & status pœnitentis.*

6. *Quomodò cognosci possit, aliquem ex habitu peccare.*

7. *Potissimùm ex secundo capite necessitas oritur explicandi consuetudinem.*

8. *Quandò malè habituato absolutio differenda non sit.*

9. *Peccata semel confessa nō iterùm exponuntur judicio, sed per accidens iterùm explicanda sunt, ut alia justè judicentur.*

10. *Consuetudo facilè de se innotescit.*

11. *In uno casu præcipuè necessariò explicanda est, ubi triplex conditio concurrat.*

12. *Nullatenùs absolvendus est, qui proximam non vult occasionem dimittere.*

13. *Quædam circunstantiæ, nec trahunt in aliud genus, nec tantùm augent, sed rationem peccati multiplicant.*

14. *Ut plurimùm hujusmodi circunstantiæ non sunt necessariò explicandæ.*

15. *An sit necessarium explicare circunstantiam, ut circunstantiam, vel sufficiat illam confiteri utcunque.*

16. *Tutiùs quidem est, non autem necessarium, circunstantiam, ut circunstantiam explicare.*

17. *Dùm quis furatur ad mœchandū, non est duplex mœchiæ malitia, neque pars malitiæ ipsius mœchiæ furto communicatur, sed in morali æstimatione censetur, quòd tota, & eadem furto communicetur.*

18. *Dupliciter considerari potest furtum, & mœchia, dùm quis ad mœchandum furatur, scilicet furtum, ut furtum, & ut formaliter ad mœchiam ordinatum, & è contrà.*

19. *Ma-*

19. *Malitia propria, & essentialis quandoque per circũstantiam augetur, quandoque minuitur.*

20. *Aggravatio malitiæ essentialis non est regulanda, vel mensuranda ex quantitate malitiæ circunstantiæ, secundùm se sumptæ.*

21. *Regulariter circunstantia non ità notabiliter aggravat malitiam essentialem, ut necessariò ista gravitas explicanda sit; in aliquo tamen casu poterit, notabiliter aggravare.*

22. *Circunstantia de veniali faciens mortale regulariter id non facit per hoc, quòd essentialis malitia mortalis evadat, sed mortalis est actus ratione malitiæ ipsius circunstantiæ.*

23. *Poterit tamen aliquandò ipsa malitia essentialis fieri mortalis, quod cum grano salis intelligendum est.*

24. *Ratio efficax nostræ assertionis ex paritate, seù exẽplo actus, qui est causa, vel occasio omissionis præcepti.*

1. ET primò animum pulsat litera S.Doct. opusc. 12. Ibi enim quæritur. *An circunstantias peccati trahentes in alterum genus, non notabiliter aggravantes, teneatur homo, confiteri, etiam innotescendo Personam cum qua peccaverit.* Et respondet S. Doct. quod omninò debethas homo confiteri, non enim homo confitetur peccatum suum, nisi speciem confiteatur peccati, quæ cognosci non potest, nisi per circunstantias trahentes in aliud genus, ex quibus peccatum specificatur.

Fateor meam ignorantiã. Nescio planè sensum legitimum hujus literæ. Supposito enim, quod hujusmodi circunstantiæ mutent speciem, & non aggravent notabiliter; videtur ex consequenti, quod non trahant ad aliud genus peccati mortalis; sic enim notabiliter utique aggravarent: Si ergo solùm addunt speciem peccati venialis, quomodò sibi constat S. Doct. qui expressè loco supra citato ex quarto docet, hujusmodi circunstantias mutantes speciem esse quidem necessariò confitendas, sed cum addito, dum scilicet ad genus trahunt peccati mortalis? Et consequenter, si tantùm spe-

ſpeciem addunt peccative-nialis, non erunt ex neceſſitate confitendæ.

Poſſet dici fortè, quod licèt gravitas peccati mortalis de ſe notabilis ſit, unum tamen mortale peccatum non eſt ſemper notabiliter gravius alio pariter mortali; immò taliter poterit utriuſque gravitas ponderare, ut vix dari poſſit judiciū, quod nam ſit gravius, v. gr. Stuprum ſecundùm ſe gravius certè notabiliter eſt ſimplici fornicatione. Ponamus modò ex una parte ſimplicem fornicationem cum libera commiſſam toto libero conſenſu, & ex certa malitia; ex parte alia Stuprū cum Puella, quæ ſub nullius cuſtodia ſit, ſed omninò ſui juris, commiſſum à Juvene graviter, & verbis, & blanditiis, aliiſque hujuſmodi ab ipſa Puella invitatum, & illectū, ex quibus certè ſtupri ſpeciem non omittit, adhuc enim eſt ſpecialis deformitas ex parte ipſius Puellæ, quæ per ſtuprum ponitur, quaſi in via meretricandi, ut docet idem S.Th.2.2.*q*.144. *art.* 6. Quod nam ergò iſtorum gravius eſt peccatum? Certè non auderem aſſerere, quòd peccatum Juvenis cum Puella; valdè namque in caſu videtur excuſabilis, cum hujuſmodi ſtimulis, ac tentationibus abſque Divina ſpecialiſſima gratia, qualem habuit Angel. ipſe Præceptor humana fragilitas reſiſtere non poſſit: At nihilominùs tenetur Juvenis, hanc Perſonæ, ac ſtupri circunſtantiam aperire. Quia ut ſubdit S. Doct. non confitetur homo peccatū ſuum, niſi ſpeciem confiteatur.

De his ergò, & ſimilibus circunſtantiis, puto, ſalvo meliori judicio, intelligendam eſſe literam S. Doctor. quæ licèt ſpeciem afferant peccati mortalis, benè tamen in ſenſu expoſito dici poſſunt, non notabiliter aggravantes: Sicut pariter ait Jo.de la Crux in direct. ad 6. Dec. præcept. art. 4. con. 2. Inceſtum extrà ſecundùm gradum non notabiliter aggravare, at nihilominùs explicandā eſſe in Confeſſione ſpeciem inceſtus, licèt neceſſe non ſit, exprimere in tertio, vel quarto gradu, ſed ſufficiat dicere, cōmiſi inceſtū extrà ſecundum gradū.

2. Sed

2. Sed ex allata D. Th. ratione infert idem Jo. de la Cruz. Direct. *de Sacram. Pœnitent. q.* 3. *dub.* 1. *con.* 4. quod, qui confitetur peccatum veniale, tenetur confiteri circunstantiam dantem ei speciem: Ratio enim currit de peccato etiam veniali; quia scilicet, nec peccatum confitetur, qui speciem non confitetur. Et hoc idem dici potest de mortalibus aliàs confessis, dùm iterùm confessioni exponuntur: Et quidem si addatur in casu, quò talia peccata sint totalis materia Confessionis; puta dũ pœnitens non nisi de venialibus se accusat, aut de mortali aliàs confesso, videtur satis probabile. Nihilominùs probabilius puto, quòd veniale peccatum, vel mortale jam ante confessum, quamvis tota sit materia cõfessionis, possit absolutè, & simpliciter exponi, etiam sine expressione circunstantiæ dantis illi speciẽ quamvis explicare sit meliùs; non tamen necessarium. Moveor, quia hujusmodi peccata non sunt materia necessaria confessionis, licèt sint materia sufficiens: Hæc autem est differentia inter necessariam, & solùm sufficientem materiam; Quòd necessariam, teneor omninò, totam, & integram exponere, sufficientem verò, & non necessariam possum quidem exponere, si velim, & possum, non exponere; & possum totam, vel partem, ut meliùs visum fuerit. Volo igitur modò v. gr. me accusare de levi mendacio, nec exprimere, an fuerit officiosum, vel jocosum, aut hujusmodi. Peto nunc; expono sufficientem materiã, vel non? Si sufficientem expono; quarè vis me ultra compellere, cùm totum fuerit in mea electione, exponere, vel non exponere? Si dicas, quod non sufficientẽ expono materiam: Probatur evidenter oppositum ex eodem Jo. de la Cruz. infrà dub. 8. con. 2. citante Navar. Man. cap. 10. n. 7. ubi ait, esse absolvendum, qui non valens, explicare peccatum in specie, explicat ejus genus: Immò si pœnitens solùm recordetur se peccasse esse absolvendum, quod verum est ad minus in casu necessitatis. Patet ergò, quod pec-

peccatum expositum, etiam non in determinata specie, est materia sufficiens; aliàs isti nullo modo essent absolvendi; non enim cadere potest absolutio suprà materiam non sufficientem.

3. Quod ergò ait S. D. quòd non confitetur peccatum, qui non confitetur speciem; verùm est de peccati confessione distincta, qualis esse debet in materia necessaria; non verò de confessione utcumque. Si enim confiteor v. g. dixi mendacium, cognovi mulierem non meam; verè peccatum confiteor; quia secundùm se mendacium; & accessus ad non suam, verè peccata sunt; licèt non distinctè confitear, quia non explico speciem. Materia ergò necessaria distinctè exponenda est, quia de illa distinctum debet ferri judicium, & tota judicio exponi. Materia verò non necessaria, satis est, si utcumque exponatur, modò sufficienter ad hoc, ut Sacerdos cognoscat, verè sufficientem, & capacem absolutionis materiam fuisse expositam. De hujusmodi enim est magis judicium gratiosum ad impertiendum absolutionis beneficium, & Gratiam Sacramentalem, quàm punitorium.

Et confirmari potest ex ratione, quà idem cum aliis probat eodem dub. absolvẽdum esse Infirmum, qui nec in genere, valet explicare peccatum, vel etiam mutũ, modò explicet, ut potest, se peccasse. Confessio enim generalis peccatorum oblitorum, simul cum confessione aliquorum in particulari, est vera materia Sacramenti pœnitentiæ, ut ait D. Thom. 4. *dist.* 21. *q.* 2. *artic.* 1. *ad primum*, ergò eâdem confessio generalis potest esse materia totalis; nam, quod in hoc Sacramento est materia partialis, potest esse totalis ergò à fortiori cõfessio explicita peccati particularis, quamvis nõ in distincta, & determinata specie.

4. Secundò est difficultas. An teneatur quis, consuetudinem, seù alicujùs peccati habitum confiteri. Et videtur, quòd sic; nam de consuetudine, Jure, potest Confessarius, interroga-

re, undè Summus Pontifex Innoc. XI. in Decreto Fer. 5. 2. Martii 1675. ſequentem damnat propoſitionē. *a.* 58. *Non tenemur, Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem*: ergò tenetur pœnitens, ſpontè illam exprimere, ſi advertat: probatur conſequentia: Non enim poteſt, jure Confeſſarius, exigere à pœnitente, quod ipſe non tenetur, confiteri; undè ſi de venialibus, aut aliàs confeſſis interrogetur, poteſt negare licitè reſponſionem: Et ex alia parte tenetur pœnitens, ſua ſponte quidquid neceſſariũ eſt ad Sacramentale judicium exponere.

In contrarium tamen eſt, quòd nemo tenetur, ſemel confeſſa, & ritè abſoluta, iterùm confiteri, non enim Deus judicat bis in idipſum, neque proindè Miniſtri ejus: ergò ſi aliquis, ritè confeſſus, & abſolutus eſt de præteritis, non tenetur, eadem iterùm exponere; quod eſſet omninò, ſi conſuetudinem fateri teneretur.

5. Ad hujus elucidationem ſciendum; quòd neceſſitas exprimendi conſuetudinē ex duplici capite oriri poteſt: primò quidem, ut præſentis peccati gravitas dignoſcatur; ut enim docet S. Thom. *p.* 2. *q.* 78. *art.* 4. graviùs peccat, qui peccat ex certa malitia, quam qui peccat ex paſſione; ut autē idem docuerat a. 2. quicumque peccat ex habitu, peccat ex certa malitia. Secundò, ut ſtatus, & diſpoſitio pœnitentis Confeſſario innoteſcat, illique proportionatam adhibeat medicinam conſtat namque; ſatis diverſa indigere curatione; dùm mala per longas convaluere moras, ac dùm vix in primo limite fixere pedes.

6. Quòad primum recolenda eſt doctrina præced. cap. 5. ult. tradita; ſcilicet non ſemper habentem habitum ex habitu peccare, ac per cōſequens ex certa malitia. Poterit autem cognoſci aliquem in vitio habituatum hic, & nunc ex habitu non peccare, ſi jam præceſſerat in illo verùm, ac firmum propoſitum vitandi tale peccatum; ac poſtmodum inſurgente paſſione, adhuc ad peccatũ trahitur; quia tunc videtur, quòd peccet

cet quidem eligens, non tamen ex electione, ut loquitur D.Thom. loco citato ad tertium; Quia scilicet electio non est in eò primum peccandi principium; sed ex passione inducitur ad eligẽdum id, quod extrà passionem existens non eligeret; quod non est, peccare ex certa malitia, ut ex dictis in citato §. constat.

Si ergò malè habituatus non peccet ex habitu, cùm indè non aggravetur peccatum, non est necessariò explicanda in Confessione cõsuetudo, vel habitus ex primo capite: Immo fortè neque semper, dum ex habitu quoque peccat; nisi enim adeò pertinax, & obstinata sit voluntas in malo affectu, ut meritò valdè nimis augeri malitia existimetur; non apparet, quod secundùm se peccare ex habitu, ità notabiliter aggravet peccatum, ut necessariò gravitas ista exprimenda sit.

7. Puto igitur, quod ex secundo capite magis oriatur necessitas exprimendi consuetudinem; primò, ut constet Confessario, pœnitentem verè detestari, & firmum habere propositum vitandi, quantùm in se est, hujusmodi peccata; plùs enim ad hoc exigere debet à consuetudinario peccatore, quàm ab alio ex fragilitate peccante; undè, & non statim impertiendam esse illi absolutionem, sed differendam, consulunt DD. Quod tamẽ cum grano salis pensandũ est, neq; præsentis est loci sigillatim discutere.

8. Secundò etiam, ut ipsi consilia, & remedia porrigat, quibus faciliùs in futurũ à talibus cavere possit, salutares item pœnitentias imponat, & alia hujusmodi, quæ omnia boni confessarii sunt. Hic tamen obiter advertere licèt, quod si taliter habituatus humiliter peccata sua fateatur, & ex mala consuetudine, dicat credere se iterùm peccaturum; nihilominùs de hoc valdè dolere, & omninò totis viribus velle, à peccato abstinere, uno verbo talia dederit signa, quibus prudens confessarius de ejus præsenti bona intentione, ac proposito certioretur; ac potissimùm, si illum obedientem, & promptũ ad omnia

imposita inveniat, debet illum omninò absolvere, nec absolutionem differre, sed consolari, & hortari ad fiduciam in divino adjutorio; fecit enim, quod est in se, & tali Deus non denegat gratiam suam, nec igitur confessarius absolutionem.

9. Ad argumentũ porrò in contrarium respondetur; quòd semel confessa non sunt per se iterùm confitenda ex necessitate, & ut judicio subdantur; per accidens tamen, non ut de illis judicetur, sed ut justè de aliis judicium proferatur, nihil prohibet, iterùm esse exponenda; immo neque formaliter exponi dicuntur, sed tãtùm materialiter quatenùs videlicet notitia præsentium ab illis dependet. Quod constat etiam in foro externo; puta v. gr. punitus de uno furto, si aliud furtũ committat, benè potest, ac debet judex inquirere, an talis alia furta commiserit, & sit solitus delinquere, ut justum de præsenti ferat judicium; aliter enim judicatur reus primo delinquens, aliter solitus delinquere.

10. Neque dicas, in usu non esse, ut vix fortè aliquis etiam doctus, & timoratæ conscientiæ de consuetudine se accuset, nec ut plurimum id exigunt confessarii. Etenim prudentes confessarii de hoc benè interrogant; quando ratio postulat, & pœnitentes, qui advertunt, hanc circunstantiam explicant; quod verò plures non exprimant, id est ex inadvertentia. Verum tamen est, quod consuetudo, ut plurimùm statim innotescit ex numero peccatorum, habita relatione ad tempus ab ultima ad præsentem confessionem; undè necesse non est, illam specialiter exprimere, sicut nec alia, quæ de se patent.

11. In uno tantùm casu puto, quòd necessarium sit, consuetudinem exprimere, ac si pœnitens non exprimat, debere à confessario interrogari; ubi scilicet hæc triplex concurrat conditio. Quod pœnitens confessario notus nõ sit, & quod à modico tempore, puta tribus, vel quatuor diebus, sit confessus, & demùm, quod tali tempore semel tantùm, aut bis ad summum peccatum

tum commiſerit, ſi enim quater, vel quinquies, conſuetudo, vel malus habitus jam videtur evidens. Sed neque iſta regula omninò certa videtur; poterit namque contingere, quod talis nunquam, vel raro pro tempore præterito in hujuſmodi peccatum inciderit, at illis tribus, vel quatuor diebus ex prompta quadam occaſione ſæpiùs lapſus ſit. Quarè ſi aliàs Confeſſario non conſtat, ſatiùs eſt, quòd interroget.

12. Sed jam tetigimus aliud punctum de proxima occaſione, quam pauci exprimunt, & certè abſolvendus non eſt, qui occaſionem non vult dimittere; quarè de hoc interrogare omninò, debet confeſſarius, ſi aliàs ipſi notum non ſit; undè inter cæteras præpoſitiones in decreto 18. Martii 1666. ab Alexandr. VII. ſequens dãnatur num. 41. *Non eſt obligandus Concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii vulgò*, regalo: *dum deficiente illo, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur*. Hæc tamen materia ſaniori diſcuſſione indiget, præcipuè, ut quænam proxima cenſeri debeat occaſio, & quomodo vitanda cognoſcatur; quæ hujus loci non ſunt: ſufficiat ergo tetigiſſe.

13. Alia difficultas eſt; an circunſtantiæ, quæ non trahunt in aliud genus peccati, neque tantùm ſimpliciter augent, ſed multiplicant rationem peccati, ut loquitur D. Thom. *p. 2. q. 73. art.* 7. v. gr. ſi prodigus det, quandò non debet, & cui non debet; an inquam hujuſmodi circunſtantiæ ſint neceſſariò explicandæ? Pro quò ſupponendũ eſt, quòd hujuſmodi circunſtãtiæ abſolutè ſpeciem non mutant, ſed ad eandem omninò pertinent.

Et ratio eſt, quia ex eodem omnino motivo procedunt, eandemque ad rationem diſconvenientiam habent, puta in adducto exemplo, dare quando, & cui nõ oportet, ex eodem vitioſo divitiarum contemptu oritur, & hanc ſimplicem diſconvenientiam habet ad ratio-

tionem; quæ est immoderata divitiarum dispersio. Dicit nihilominùs S. Doctor. quòd multiplicant rationē peccati; non quidem essentiam, & ordinem ad rationem, & legem, quia sic speciem variarent; sed quasi quasdam ejusdem speciei, & ordinis accidentarias rationes, & modos, qui tamen in eadem ratione essentiali adunantur.

14. De his ergo puto, quòd ut plurimùm non sint ex necessitate aperiendæ; quia de se non vidētur notabiliter aggravare; quinimmò sine ipsarum distincta expressione totā posse malitiæ gravitatem explicari, Puta si quis diceret, Confiteor, quòd prodigè, & inutiliter satis dissipavi substantiam; immò graviùs, perdidi ipsam, nihil omninò curando, per quæ satis utique declaratur, quanta fuerit prodigalitas ejus. Dico tamen, ut plurimum, & per se loquendo: quia ex earū multiplicatione poterit fortè adeò notabiliter aggravari peccatum, ut explicandæ meritò censeantur; quod nihilominùs vix contingere posse, arbitror. Dùm enim quis fatetur, se nihil penitùs de substantia curasse, totum inutiliter dissipasse, aut quid simile, non video, quid ampliùs dici possit.

15. Gravior denique difficultas est: An sit necessarium, explicare circunstantiam, ut circunstantiam; vel sufficiat, ejus malitiam, utcumq; accusare: v. g. Dùm quis furatus est, ut fornicaretur: Dubium est, an sit necessarium, quòd se accuset, dicendo furatus sum? Duplex autem est potissima ratio dubitandi, quarum utraque ostendere videtur, non explicari totam malitiam, & mortalem quidem, & necessariò declarandam; nisi circunstantia, ut circunstantia explicetur.

Est igitur prima. Quia dùm quis furatur propter mœchiam, duplex omninò peccatum committit; mœchiam scilicet, & furtum; quorum utrumque duplicē habet malitiam mortalem: furtum enim est essentialiter furtum, & accidentaliter in specie mœchię, tanquā circunstantiæ finis: mœchia pariter in specie furti, tanquam

quam circunstantiæ. Quibus auxiliis, vel etiam Quid, ut dicit effectum: manifestum est autem, quòd malitia mœchiæ afficiens furtum est mortalis; & è contrà: Ibi ergò est duplex malitia, mœchiæ, & similiter furti, una scilicet essentialis: accidentalis altera. Cùm enim diversi sint actus mali, non solùm physicè, sed moraliter, non potest unica malitia furti, v. gr. in ambobus reperiri: sed constat, quòd talis non confitetur, nisi unicam, non ergò sufficienter.

Alia ratio est: Quia per hujusmodi circunstantiam, nõ solùm additur furto v. g. malitia mœchiæ, sed & ipsa malitia furti notabiliter aggravatur: Quod patet; nam circunstantia secùm ferens mortalem malitiam tantùm aggravat peccatum, cui additur, ut illud mortale faciat, quamvis non esset ex genere suo nisi veniale, ut expreßè docet Cajet. V. Prodigalitas, & alibi passim.

16. Sed his non obstantibus: quamvis tutius sit, cicunstantiam, ut circunstantiam explicare, idque necessarium esse, cùm summa Angel. sentiat Nugnus in add. *q.9. art.2. dub. 2.* Nihilominùs ego puto, id non esse necessarium. Quod meliùs ostendi nõ potest; quàm rationes dubitandi diluendo. Et ita sentit Martinez de Prado *de Conf. q.2. dub.2. n.4.*

Ad primam ergò dicitur: quod quamvis in rigore metaphysico duplex dici possit illa malitia; moraliter eadẽ omninò censetur: Nec aliquid obstat, quòd actus duo sint, etiam moraliter. Ad hoc enim dici posset, quod estò unum accidens numero esse non possit in duplici subjecto intrinsecè, benè tamen in uno intrinsecè, in alio extrinsecè, moraliter nedũ, sed etiam physicè: Sicut eadem visio in oculo intrinsecè, in objecto extrinsecè reperitur, illudque visum denominat. Ita malitia mœchiæ intrinsecè tantùm est in ipso actu mœchiæ, & extrinsecè furtum denominat.

Sed quia nolumus, modò de hoc disputare, & fortè veriùs mœchiæ malitia intrinsecè quoque furtum afficit: Aliter dicamus, quòd talis malitia duplex est in adæquatè, & quasi partialiter,

liter, non verò adæquatè, & totaliter: Non enim ibi sunt duo peccata mœchiæ, quod esset omninò, si duplex adæquata malitia in duobus actibus existeret: quarè dùm confitens, mœchatus sum, adæquatam mœchiæ malitiam exprimat, sufficit ad illam integrè accusandam, & si non ità explicitè.

17. Dices, quòd neque implicitè ullo modo totam fatetur malitiam, eò quia dicere mœchatus sum, non continet, nisi malitiam, quæ in ipso actu mœchiæ reperitur, & nullatenùs neque implicitè malitiam, quæ in furto est.

Ad hoc autẽ negari posset suppositum. Non enim fingere debemus, quod in actu mœchiæ sit tota sua malitia, & postea alia mœchiæ malitia distincta furto adveniat; quod videtur supponere instantia. Sed tota malitia est in actu mœchiæ, & ab ipso diffunditur, seù participatur furto. Non ità, quòd pars malitiæ, quodãmodò ab actu mœchiæ, ut ità dicam, decidatur, & furto communicetur: Sed quasi materialiter ipsa malitia dividitur, ità ut tota ejus gravitas in actu mœchiæ remaneat, undè ipse actus mœchię malus est in se cum tota gravitate mœchiæ, quã tamen furto communicat. Neque id mirum videri debet, nam in morali æstimatione, quæ in moralibus attenditur, quidquid sit de Metaphysica ratione; censetur eadem omninò malitia, & gravitas utriusque; & tota gravitas est in mœchia, & tota in furto. Verè namque in morali æstimatione censetur tota mœchię malitia furto communicari, & ex tali communicatione gravificari malitiam ipsam in actu mœchiæ, ut mox explicabimus.

18. Vel etiam dici potest facilùs: Quòd tales moraliter unus censentur in ordine ad mœchiæ malitiã; actùs enim, qui ad idem ordinantur, moraliter unum sunt, ut patet de actu interiori, & exteriori; & generaliter de actu imperante, & imperato, si ut sic formaliter considerentur. Dum ergo quis furatur, ut mœchetur, duos elicit actus; etiam moraliter, in ordine ad utrãque

que malitiam, furti scilicet, & mœchiæ, sed comparativè ad unam furti, vel mœchiæ malitiam unum sunt.

Et ut tacitæ occurramus instantiæ: Nota quòd furtum perpetratum propter mœchiam dupliciter considerari potest, & ut furtum, & sic malitia mœchiæ illi accidentaria est, & ut formaliter ad mœchiam ordinatum, & sic eadem malitia illi essentialis est; quia ut sic unus, & idem actus est moraliter cum ipsa mœchia.

Hæc probabiliter dicta sint pro aliquali Doctiorum satisfactione. Cæterum verū omninò est, quòd in morali æstimatione hujusmodi malitiæ non ponunt in numero; censetur enim ipsa mœchiæ malitia, quæ in actu mœchiæ essentialiter est, per modum circunstantiæ, & accidentis afficere ipsum furtum; quarè videtur, quòd ex isto capite sufficienter fiat confessio modo prædicto.

19. Ad secundam ergò dubitandi rationem dicimus cum Jo. à S. Thom. loco supra citato art. 2. Quòd malitia propria, & essentialis per circunstantiā quandoque augetur, & quandoque minuitur. Si enim ex circunstantia crescat in ipso actu, etiam ergà proprium objectum major voluntarii ratio, vel major contemptus legis, procul dubio aggravabitur peccatum, etiam intrà latitudinem propriæ speciei. Undè S. Thomas *2. 2. q. 154. art. 1. ad secundum*: ait. Quòd augetur in adulterio ex circunstantia injustitiæ, malitia luxuriæ; quia ex hoc ostenditur gravior ipsa malitia, quòd ità sequitur concupiscentiam, quòd pro illa contemnat justitiam. Ex quibus tamen manifestè videtur colligi, quòd circunstantia sit signū potiùs à posteriori, & ab effectu demonstrans gravitatē essentialis malitiæ; quàm illā formaliter aggravet: Indeque colligitur, quòd in furto propter mœchiā, malitia mœchiæ augetur modo prædicto ex circunstantia furti; quia ostenditur clarè pejor voluntas ergà mœchiam, quæ ut ad ipsam perveniat, non recusat furti malitiam, & justitiam contemnit: Sed ex alia parte,

minui potiùs, quàm aggravari videtur malitia furti; nam ergà ipsum non ità patet affecta voluntas, quæ aliàs nollet furari, nisi furtum ad mœchandum necessarium esset: Undè benè dicitur cum Philosoph. quòd furans, ut mœchetur, est magis mœchus, quàm fur.

20. Hic tamen observandum ex eodem Jo. à S. Thoma. Quòd aggravatio malitiæ essentialis non est regulanda, nec mensuranda ex quantitate malitiæ ipsius circunstantiæ secundùm se sumptæ; sed respectivè, & in quantùm cōducit ad hoc, quò d crescat in actu ratio voluntarii, vel contemptus legis: seù in quantùm incrementi ipsius signum est. Contingere namque potest, quòd circunstantia minoris gravitatis in se magis aggravet peccatum, quòad suam essentialem malitiam, quàm alia gravior circunstantia; furari enim decem, est de se minoris gravitatis, quàm furari mille: Nihilominùs valdè gravius esset homicidium in ratione homicidii, perpetratum ad furandum decem, quàm ad furandum mille; quia in illa monstratur magis perversa voluntas, quæ pro parva summa non curat, occidere hominem. His præmissis.

21. Dico, quòd regulariter circunstantia non ità notabiliter aggravat malitiam essentialem actus, ut necessariò explicanda sit. In casu tamen, quò notabiliter aggravaretur ipsa malitia, esset aperienda ista gravitas: ut si quis hominē occideret ad furandū quinque, vel decem scuta; valdè namque gravior, ac deformior homicidii malitia apparet; quæ deformitas vix aliter explicari posse videtur; quàm talem circunstantiam per modum circunstātiæ confitendo: quòd si posset, neque tunc necessarium esset. Quarè puto, quòd necessitas explicādi hujusmodi circunstantias per modū circunstantiæ proveniat ab extrinseco; quia scilicet aliter explicari non posset notabilis gravitas peccati principalis. Ut benè advertit Martinez loco citato.

22. Ad illud, quòd ex Cajetano afferebatur; dico, quod circunstantia mortalis

addi-

addita peccato veniali facit illud mortale; non quidem ratione suæ essentialis malitiæ, sed ratione malitiæ, quæ à tali circumstantia illi communicatur, eo prorsùs modo, quo mortaliter vitiosum redderet actum indifferentem, vel ex genere suo bonum.

23. Hoc, inquam, regulariter loquendo, nam posset adhuc ipsa essẽtialis mamalitia mortalis reddi, si taliter ad ipsam esset affecta voluntas, ut illam amori Dei præponeret, aut legem propter illam contemneret. Quòd cum grano salis intelligendum est. Non enim ità, ut quotiescumque pro illius amore hic, & nunc, Deum offendere, non curat quis, malitia ipsa mortalis evadat: Sicut non sufficit ad hoc, ut quis peccato speciali contrà studiositatem peccet, quod hic, & nunc, ut studio vacet, aliquod peccatum committat, puta omittendo Missam, vel Officium, ut fusè docet, & explicat Gonet in Clyp. *de Pec. disp.* 3. *art.* 3. & nos quoque supra docuimus: Sed solùm, dum quis verè tota deliberatione præ amore talis objecti vult, non curare de amore Dei, ejusque offensa, legemq; contemnere juxta superius dicta cap. 5. §. 4. Quòd non ità passim contingit. Sed ut plurimùm, quòd quis pro levi satisfactione, v. gr. grave committat peccatum, non tam ex affectu ipsius satisfactionis, quàm ex parva æstimatione legis, & Dei, procedit.

24. Ex quibus efficax ratio desumitur pro nostra resolutione. Actus qui causa, vel occasio est omissionis præcepti, non minùs aggravatur à malitia omissionis, vel etiam ab ipsa mortaliter vitiatur, si actus de se bonus, vel indifferens esset, aut solùm venialiter malus; quàm per quamcunque aliam circunstantiam aggravetur malitia essentialis cujuscumque peccati de se mortalis; puta non minùs aggravatur fornicatio, si sit causa omissionis Sacri, quã si ad fornicandum quis furetur, servata proportione: Sed in communi Theolog. sententia sufficit, absolutè se accusare de omissione, nec requiritur, quòd explicetur

causa, vel occasio omittendi, nisi aliàs ex sua specie, & objecto sit malum, ut testatur loco citato Gonet: ergò universaliter necessarium non est, circunstantiã, ut circunstantiam accusare, nisi, ut dixi, valdè notabiliter malitia principalis aggravaretur, nec aliter explicari posset.

CAPUT VII.

De Conscientia.

§. I. *Quid, & quotuplex sit Conscientia?*

SUMMARIUM.

1. *Duplex est regula humanorum actuum, proxima, & intrinseca, scilicet humana ratio, & remota, & extrinseca, scilicet lex.*
2. *Suprema, & prima Regula est lex æterna, ex cujus participatione omnes leges, etiam ipsa ratio, vim legis, & regulæ participant.*
3. *Synderesis est habitus primorum principiorum operabilium, quò instigamur ad bonum, & retrahimur à malo.*
4. *Conscientia est actus ipsius Synderesis.*
5. *Triplicem actus iste ordinem dicit ad aliquid.*
6. *Conscientia est practicum judicuim.*
7. *Ex parte objecti dividitur Conscientia in Rectam, & Errantem.*
8. *Ex parte ipsius Judicii in Certam, Opinativam, Dubiam, Suspicantem, & Scrupulosam.*
9. *Conscientia dubia, & suspicans propriè Conscientia non est.*
10. *Scrupolosa, quà parte assensum includit, Conscientia est, non verò, quà suspicionem tangit.*
11. *Opinativa, dubium est, an sit verè Conscientia?*

1. CUM tota moralitas, ut sæpè dictum est, consistat in ordine ad Regulam, Legem, & Rationem. Potissimùm in re morali sibi vendicant locum hæc

hæc omnia. Duplex autem est Regula humanorum actuum; Proxima scilicet, immediata, & intrinseca, quæ ipsa est humana Ratio, & Conscientia, de quà in isto capite; Ac remota, & extrinseca, lex videlicet, quę non nisi media Ratione, & Conscientia, humanos regulat actus, de quà seq. & ultimo capite.

2. Ipsa tamen ratio, & conscientia generaliter nomine legis comprehendi potest. Ut enim docet S. Th. *p. 2. q. 19. art. 4.* Prima, & suprema Regula humanorum actuum est lex æterna, ex qua ipsa humana ratio, & omnes aliæ leges habent regulæ, ut quædam participationes ipsius legis æternæ.

3. Sicut ergò in speculabilibus datur in Intellectu habitus primorum principiorum, quo cognoscimus veritates per se notas; ità pariter ad operandum naturaliter nobis inditus est habitus quidam, quò principia ipsa operabilium cognoscimus: & hic habitus dicitur synderesis, quò instigamur ad bonum, & retrahimur à malo; undè solet dici, quòd Synderesis instigat ad bonū, & murmurat de malo.

4. Conscientia igitur nihil aliud est, quàm actus ipsius Synderesis; quò scilicet Intellectus ex cognitione principiorum dictat hic, & nunc, aliquid esse bonum; vel malum; faciendum, aut vitandum; prosequendum; vel fugiendum: Ut enim ait S. Doct. *p. 1. q. 79. art. 13.* dicitur Conscientia, quasi cum alio scientia, quia importat ordinem, seù applicationē scientiæ ad aliquid: Undè & Sylv. V. *Conscientia*, dicitur, quasi concludens scientia. Omissis autem purè speculativis, & ad nostrū inutilibus; dicimus generaliter, quòd conscientia est actuale dictamen rationis, seù intellectus practici, quod demonstrat, quid bonum, quidvè malum, quid agendum, quidvè sit omittendum.

5. Triplex autem est hic actus, seù triplicem ordinem, vel respectum dicit ad aliquid. Primò enim respicit præteritum, prout cognoscimus, nos aliquid fecisse, vel non fecis-

fecisse, & sic dicitur Conscientia testificari. Secundò etiam præteritum, non absolutè, sed prout particulariter judicamus, nos benè, vel malè fecisse; & sic dicitur approbare, vel excusare, accusare, vel remordere. Tertiò demùm ad futurum, secundùm quod judicamus, aliquid esse, vel non esse faciendum, & sic dicitur ligare, obligare, vel instigare, & retrahere, seù murmurare; Quod licèt in actuali, etiam operatione cõtingat, dicitur nihilominùs ordo potiùs ad futurum, quia judicium præcedit operationem, quamvis ipsam quoque comitari possit.

6. Ex his patet, Conscientiam, judicium quoddam practicum esse. Cùm verò in Judicio duo potissimè consideranda occurrant; ordo scilicet ad objectum, seù rem judicatam, & modus ipsius judicii; hinc duplex eruitur conscientiæ divisio.

7. Primò ex parte objecti dividitur in Rectam, & Errantem, seù Erroneam. Conscientia recta est rectum judicium de re operabili, seù legi æternæ, ac rectæ rationi conforme, quo judicamus, aliquid bonum, vel malum; agendum, vel nõ agendum; prout est secundùm rei veritatẽ. Conscientia Errans per oppositũ est falsum judiciũ de re operabili. Tertia his addi posset, Conscientia scilicet probabilis; hæc tamen in re, vel recta est, vel errans; & quòad nos reducitur ad rectam, vel errantem, secundùm qualitatem probabilitatis, ut infrà suo loco explicabimus.

8. Secundò igitur ex parte ipsius judicii, seù modi, quo fertur in objectum, dividi solet Conscientia in Certam, Opinativam, Dubiam, Suspicantem, & Scrupolosam. Certa Conscientia est judicium certum de re operabili; cũ scilicet absque timore, aut formidine dictat, aliquid bonum, vel malum agendũ, vel non agendũ.

Conscientia Opinativa est judicium determinatum de re operabili, cum formidine tamen alterius partis; dùm scilicet Ratio dictat, aliquid agendũ esse, non tamẽ adeò certè, ut de veritate aliquo modo non formidet,

Con-

Conſcientia dubia eſt, dùm ratio, & Intellectus, neque aſſentit, neque diſſentit, ſed anceps manet, quaſi in ęquilibrio, nec ſe ad aliquam contradictionis partem determinat.

Conſcientia ſuſpicans eſt, dùm neque ad aliquam partem ſe determinat ratio, magis tamē in unam, quàm in alteram inclinat.

Scrupuloſa demùm eſt, quæ jam ad unam partem determinata, ex levi fundamento fortiter apprehenſo, incidit in ſuſpicionem partis oppoſitæ.

9. Ex his autem dubia, & ſuſpicans propriè Conſcientiæ nō ſunt: Cùm enim Conſcientia ſit particulare, & actuale dictamen, ac judicium; utique determinatum eſſe debet. Dubia verò ratio nihil dictat, ſed potiùs dictamen, & judicium ſuſpendit. Suſpicans autem, quamvis determinatè ad unam partem inclinet, adhuc tamen illam non dictat, nec illi aſſenſum præbet, quod omninò dicit judiciū, & dictamen.

10. Scrupuloſa verò, quà parte aſſenſum, & dictamen includit, verè conſcientia eſt; quà tamen ſuſpicionem tangit, Conſcientiam non format, v. gr. ſcit aliquis, quòd ſpuere in Eccleſia, peccatum non eſt: apprehendit poſtea, indè loco ſacro irreverentiam irrogari, & cogitur titubare, & ambigere, an ſit peccatum. Hæc titubatio priorem aſſenſum, & judicium, quòd non ſit peccatum, non excludit, neque judicium format, quòd ſpuere peccatum ſit, quia ut ſic, jam non ſcrupuloſa, ſed verè Conſcientia eſſet, quamvis erronea; certa, vel opinativa, juxta modum adhæſionis. Manet igitur in priori judicio, ſed cum aliqua trepidatione; undè ſcrupulus magis, quàm Conſcientia, trepidatio quædam eſt rectæ Conſcientiæ.

11. Dubium eſt apud quoſdam; An Opinativa Conſcientia verè talis dicēda ſit? Hoc autem parùm ad nos. De his omnibus, quæ magis judicabimus neceſſaria, ſigillatim examinabimus, cætera apud Authores videnda relinquentes.

§. II. *De*

§. II. *De Conscientia Erronea.*

SUMMARIUM.

1. *Conscientia etiam Erronea verè obligat.*
2. *Obligatio deponendi Conscientiam non est quid medium inter obligari, & non obligari, respectu ipsius Conscientiæ.*
3. *Ut lex obliget, sufficit, quòd, vel justè lata sit, vel ut lata justè habeatur.*
4. *Indubitatum est, quòd stante Conscientia erronea, contrà illam agere, peccatum est.*
5. *Ut quis contrà Conscientiam operari dicatur, sufficit, quòd præcesserit, modò tamen in virtute perseveret.*
6. *Non sufficit, quòd tantùm perseveret habitu.*
7. *Duplicis generis judicium præcedit, antequam voluntas in objectum feratur.*
8. *Quòd Judicium non sit revocatum, nõ est sufficiens inditium ejus perseverantiæ.*
9. *Perseverat Conscientia, dùm aliquod ipsius murmur vel trepidatio persistit,*
10. *Cessante murmure ex oblivione, vel inadvertentia, censetur quoque cessare conscientia; non autem si à pravo affectu volũtatis absorbeatur.*
11. *Nec fidelis in verũ Deum, nec infidelis in suum Idòlum, tenetur semper actualiter omnia referre.*
12. *Conscientia erronea non potest ad libitum deponi.*
13. *Ad minùs requiritur bona fides, quà credat quis, verum non esse, quod Conscientia dictat.*
14. *Peccatum contrà Conscientiam errantem nõ est quoddam speciale peccatum, sed ejusdem speciei cum vitio, sub cujus ratione apprehenditur, & proponitur objectum.*
15. *In casu, quo quis putaret aliquid peccatum, nesciens tamen, quarè, vel quale, peccaret ad minùs contrà Dei obedientiam, id tamen est difficilè.*
16. *Regulariter est peccatum, mortale, vel veniale, secundùm quòd Conscientia dictat.*
17. *Conscientia dictante veniale peccatum in materia aliàs gravi, puta dictando esse*

esse mentiendum ad vitam proximi salvandam; sed non mentiri, tantùm veniale peccatum; nihilominùs peccaret mortaliter contrà talem Conscientiam agens.

18. *Conscientia dictante aliquod peccatum, non determinando, an mortale, an veniale; judicandum erit ex qualitate materiæ.*

19. *Regula esse potest murmur ipsius Conscientiæ, in quo tamen cavendum cum scrupulosis.*

20. *Sequens dictamen Conscientiæ vincibiliter errãtis peccat, si actus in se sit malus, benè tamen agit, si error sit invincibilis.*

21. *Probatur assertio, quòad secundam partem, quia judicium talis Conscientiæ est prudens.*

22. *Explicatur magis idipsum.*

23. *Voluntas concordans rationi invincibiliter erranti fertur in id, quod in re bonum est, hic, & nunc, licèt absolutè malum.*

24. *Judicium Prudentiæ non est de re nudè sumpta, sed omnibus attentis circunstãtiis hic, & nunc.*

25. *Sicut ratione circunstantiæ falsificari potest propositio, quæ absolutè vera est; ità è contrà.*

26. *Judicium Conscientiæ invincibiliter errantis est cõclusio per bonam consequentiam ex utroque vero principio deducta; undè necessariò verum est.*

27. *Hujusmodi discursus fit ab operante implicitè saltem, virtualiter, & in exercitio.*

28. *Immo verum est judicium talis Conscientiæ, quamvis ex una præmissa falsa.*

29. *Conscientia invincibiliter errans non dicitur formaliter errans, quòad Judicium ultimum, & proximè directivum, sed quia in alio falso fundatur, cujus tamen falsitas invincibiliter ignoratur.*

1. PLURA circà istam Conscientiã occurrunt explicanda, à quibus tamen majori, quà poterimus, brevitate nos expediemus.

Primò ergò quæres. Utrũ errans Conscientia obliget: Cum enim Conscientia vim habeat legis ab ipsa æterna lege participatæ, proprium-

que sit legis ligare, seù obligare ad id, quod ipsa dictat; dicitur enim lex à ligando, quasi ligans: Conscientia utique ligare, & obligare debet. De Conscientia nihilominùs errante, utpotè falsum dictante, non modica est difficultas.

Sed omninò cum S.Doct. *p.2.q.19.art.5.* dicendum est: Conscientiam etiam erroneam verè obligare, quod sic ostenditur. Obligari verè, & in toto rigore, nihil aliud est, quàm teneri ad aliquid faciendũ, vel omittendam, sed tenemur omninò, facere, vel omittere, quod Conscientia errans, adhuc errore vincibili, dictat faciendum, vel omittendum: ergò verè obligamur. Atqui obligatio ista non aliundè oritur, quàm ab ipsa Conscientia errante, ad minùs quòad proximam, & immediatam obligationem, nõ enim assignabilis est alia proxima regula, & lex talem obligationem inducens; ergò illa verè obligat. Minor principalis, in quà potest esse difficultas; probatur evidenter. Nam faciens, vel non omittens, quod conscientia errans dictat faciendum; vel omittendum, peccat absque dubio; quia contrà Conscientiam; ergò tenetur illud facere, vel omittere; nemo siquidem peccat, non faciendo id, quod facere non tenetur, vel faciendo, quod non tenetur omittere.

2. Neque dicas cum P. Vasquez. Quòd licèt non faciens, quod errans Conscientia dictat faciendum, peccet, non tamen sequitur, quòd teneatur; quia tenetur Conscientiam deponere, si error sit vincibilis. Datur enim mediũ, inquit ipse, inter facere, & nõ facere juxta Conscientiã, scilicet, ipsam deponere. Vanum tamen est hoc effugium. In primis non infringit rationem ex indubitato principio deductam. Quod scilicet nemo peccat, non faciendo, quod non tenetur facere: Si ergò non tenetur quis, facere, quod Conscientia dictat, nõ peccabit, illud non faciendo.

Deindè. Obligatio deponendi Conscientiam non est quid medium inter obligari, & non obligari, respe-

ctu ipsius Conscientiæ errãtis, sed extranea est omninò procedens ex vero, certo, & infallibili dictamine, quo tenetur quis, prudenter operari, & ignorantiam vincere, quæ prudentem operationem impedit. Sistendo igitur in ordine ad ipsam Conscientiam, necesse est, quòd si tenemur, contrà illam non agere, juxta illam ex consequenti agere, teneamur: non enim potest quis, non agere contrà Conscientiam, nisi juxta illam agat, ipsa Conscientia stante; Quòd ergo teneamur illam deponere, solùm convincit; quòd non obliget absolutè, sed ex suppositione, quòd permaneat, & non deponatur, quod libenter concedimus.

3. Confirmatur, & explicatur magis idipsum. Ut lex obliget, sufficit, & requiritur, vel quòd justè lata sit, vel ut lata justè habeatur; v.g. Si Proconsul, quo exemplo utitur S. Doct. promulgaret legem, quæ verè talis non esset, immo potiùs cõtrà ipsius Imperatoris volũtatem, & tanquam vera lex haberetur à Populo, certè Populus obedire teneretur, & inobedientes formaliter contemptores Imperatoriæ legis essent: Atqui Cõscientia errans, quamvis justa in se, & vera lex non sit, habetur nihilominùs, ut vera, & justa lex: ergò illa obligat. Tota igitur vis obligandi, quam habet Conscientia erronea, est, quòd, licèt in se nullam habeat vim, nec vera sit regula, nec Divinæ rationis, æternæque legis participatio; undè omnis lex vim obligandi participat, apprehenditur nihilominùs, & proponitur, tanquam vera, & justa lex, & Divinæ participatio rationis. Undè, quoadusque deponatur: vim habet obligandi, non ratione sui, sed quia proponitur, ut vera lex, & participatio legis æternæ.

4. Quidquid autem sit; plura consultò relinquimus. Quod ad nostrum, certum est apud omnes, quòd stante Conscientia erronea, contrà illam agere, peccatum est. Et hoc sufficiat nobis, ut ad utiliora procedamus.

5. Quæritur ergo secundò; An, ut quis dicatur, contrà Conscientiam operari, sit-

sit necesse, quòd ipsam operationem Conscientiæ judicium comitetur? Habet v.g. quis Conscientiã erroneam, quòd sit in præcepto, abstinere à Carnibus feria quarta. Dubium est; an, ut agat contrà conscientiam, & peccet, requiratur, quòd actu, dùm carnes comedit, habeat judicium dictans, hoc esse vetitum; an verè sufficiat, quod tale judicium præcesserit. Ad hoc dicendum, puto cum Mag. Medina, sufficere, quòd præcesserit, dũmodò in virtute perseveret.

6. Dico in virtute, non habitu: Quia Conscientia, ut vidimus, actus est, non habitus: potestque habitus erroneus perseverare, adveniente Conscientia recta, ut si taliter erranti dicat Vir Doctus, nullum esse præceptum abstinendi à carnibus feria quarta, illique talis credat; formabit Conscientiam rectam, cum quà tamen benè perseverare potest habitus ex antiquo jam errore genitus; nec ita facilè mobilis: manducans ergo carnes, nec contrà conscientiã aget, licèt contrà erroneum habitum, ex quo fortè aliquam etiam habere poterit formidinem.

7. Quòd autem non requiratur, quòd actuale judicium formaliter perseveret, videtur certum, nam aliàs vix aliquis contrà Cõscientiam ageret, præcipuè in actibus interioribus volũtatis; actus enim voluntatis judicium subsequitur, & nõ est simul cum illo. Pro quo notandum, quòd, antequam Voluntas in objectum feratur, duplicis generis præcedit judicium. Primò namque judicat ràtio de honestate objecti, quod est judicium Conscientiæ dictans, aliquid esse, vel non esse faciendum secundùm rationẽ. Deindè judicat de illius executione, hic, & nunc: Quæ licet multoties in unum coincidant, & imperceptibiliter fiant: Dùm verò secundum judicium dictat, aliquid exequendum, vel appetendum contrà primum Conscientiæ judicium; cùm illi hoc secundum quodammodò contrarietur, non videtur simul stare posse: v.g. in allato exemplo: Judicat ratio, malum esse, carnes comedere, quia prohibitum,

non

non potest simul judicare, bonum esse, comedere, quia delectabile: nam & hoc secundum judicium consultationem exigit, & quòd magis est, aliquam contrarietatē dicit cum primo, licèt, quia ex diverso principio procedunt, non sint omninò contraria: Voluntatis autem actus judicium secundū sequitur, ut patet: Verum tamen est, quòd ut plurimum Judicium, quod dictat ratio aliquid appetendum contrà Conscientiam, comitatur quædam trepidatio, formido, & quasi renitentia, vel difficultas, quæ provenit ex Judicio cōscientiæ, illiusque murmuratio dici potest, ac perindè, licèt formaliter transierit, in virtute permanet: Neque in hoc ampliùs immorandum.

8. Major est difficultas; quomodò nosci possit, judicium Conscientiæ in virtute perseverare. Mag. Medina insinuare videtur, quòd perseveret, quòadusque revocetur. Id tamen absolutè nō admitterem. Plura namque judicia recta, & certa, nedùm falsa, evanescunt ex naturali oblivione, licèt revocata non sint. Adde, quòd perseverare aliquid in virtute actu, & non solùm habitu, est, perseverare in aliquo, quod actu sit, & aliquam virtutem ejus contineat: puta, ut censeatur intentio virtualiter perseverare, non sufficit, quòd retractata non fuerit, sed requiritur, quòd actu perseveret aliquid ab ipsa relictum, quod nos potissimùm esse, diximus, dùm de numerica distinctione actuum ageremus, promptam quandam animi dispositionem, quà, præciso novo impulsu, ac motivo, ad priorem voluntatem redimus.

9. Ita dicerem hîc, Judicium errantis Conscientiæ in virtute perseverare, quotiescumq; murmur aliquod, aut renitentia, vel trepidatio rationis mox explicata persistit, quà cessante, putarem, judicium ipsum cessare; proprium siquidem est Conscientiæ murmurare de actu, quem illicitum judicat. Ita sentire videtur cū pluribus Ferd. de Castro Pal. disp. 1. *de Conscientia* pun. 4. ubi docet expresè, peccatū non esse, nisi actu Conscientia

tia

tia dictet, esse peccatum, aut saltem, operari dubitet. Quod probatur manifestè. Nam aliàs illud judicium non manet in se, nec in aliquo actuali effectu; sed ad summum in habitu: ergò non potest dici, actu, nec virtualiter perseverare.

10. Nihilominùs etiam hoc limitandum puto; Sæpè namque murmur Conscientiæ à pravo affectu voluntatis absorbetur, ut in malè habituatis, ac perditæ conscientiæ patet; non igitur defectus murmurationis infallibilis est regula, judicium Conscientiæ penitùs evanuisse, nec in virtute quidem perseverare. Id ergò tantùm habere locum, puto, quando murmur cessat ex totali oblivione, vel inadvertentia. Quarè, si prædictum habens errorem carnes mãducaret feria quarta, nihil advertens; puto, quòd non peccaret, licèt posteà conscientia ipsum remorderet; Ratio est; quia tunc nullo modo conscientia errans influeret in comestionem, ac perindè non posset illam vitiare.

Sed, ut fatear, hoc non est peculiare Conscientiæ errãtis: oblivio enim naturalis, & inadvertentia involuntaria excusat à transgressione, cujuscumque veræ legis. Cùm autem dictamen conscientiæ errantis pro vera lege habeatur, judicandum in omnibus de illa videtur, sicut de quacumque alia lege; Sicut ergo ex culpabili inadvertentia transgrediens legem peccat, ita ex culpabili inadvertentia peccabit agens contrà dictamen conscientiæ errantis.

11. Difficilè tamen est, contrà hoc argumentum; Nam indè sequeretur, quòd Paganus habens Idòlũ pro Deo, quidquid ageret, peccaret; Nam, vel referret opera sua in Idòlum, & sic certè peccaret; vel non referret; & sic pariter peccaret contrà conscientiam; ex quò enim Idòlũ habet pro Deo; in ipsum, dictat Conscientia, omnia opera esse referenda.

Duplicem huic argumẽto solutionem adhibet Mag. Medina, & licèt utramque, ut putat Ferd. de Castro Palao, solvat optimè Salas; mihi tamen earum vim non videtur omninò infringere.

Quid-

Quidquid autem sit: faciliùs respondetur ex doctrina tradita supra cap. 1. §. 3. Quod, si nos fideles non tenemur, semper actualiter omnia opera nostra in verũ Deum dirigere, ut benè, saltem moraliter operemur; sed sufficit, quòd secundùm rectæ rationis dictamen agamus: Ita nec infidelis ex errante Conscientia tenetur, omnia sua opera semper ad suũ referre Idòlum. Quarè, si bonum opus de se, recteque rationi conforme operetur, nec ipsum ad falsum Idòlũ referat, benè utique operabitur, nec peccabit. Videte, quæ ibi diximus: Hæc enim est sana doctrina Theologorum, quam præcipuè cõtrà Jansenium tradit Gonet Man. Tract. *de gratia* cap. 2. §. 1.

12. Quæres tertiò: Quomodò Conscientia errans deponi possit? Cajet. & Medina sentiunt, deponi posse ad libitum; Ità ut, quantumcunque ex magna ratione, & authoritate judicet quis falsò; possit pro sua authoritate, & libito, errorem illum deponere, vel non acceptare: v. gr. si mulier à Prædicatore audiat, mortale peccatum esse, uti alienis capillis, ab eoque adducta ratione convincatur; ipsa tamen ex affectu ad hujusmodi vanitates credat nihilominùs, sibi licere, & de facto alienis capillis utatur, non peccat. Rationem afferunt; Quia errans conscientia non obligat per se, sed solùm, quia acceptatur; ergo ex quocumque capite non acceptetur, non obligabit.

Sed verius est, ut communiter sentiunt Casuistæ, non posse, prò libito deponi. Ratio est; Quia Conscientia errans ab errante vera putatur; ergo ab illa recedere, esset formaliter à veritate recedere: Sicut, contrà illam facere, est formaliter contrà legem, & rectam rationem facere, quia stat pro lege, & recta ratione. Nec obstat, quod hujusmodi conscientia nõ obligat per se, sed ex sola acceptatione; nã acceptatio ista non est pro libito; sed quia proponitur, & accipitur, ut vera; quousque igitur vera apparet, non potest rationabiliter non acceptari: sed omninò imprudenter.

13. Ve-

13. Verum nihilominùs puto, quòd, citò quis ratione, vel authoritate, se vinci sentiat ad assensum præstãdum erranti dictamini: si tamen verè bona fide credat, id verum non esse, quamvis rationem solvere nesciat, neque contrariam habeat; potest rationabiliter non acceptare; multoties enim experimur, plura nos percipere non posse, immo impossibilia nobis apparere; quorum tamen reddere nescimus rationem, neque solvere contrarias, quod rudioribus potissimùm accidere solet. In hujusmodi ergò Casibus ad cõscientiam deponendam, seù potiùs non acceptandam, non exigerem necessariò contrariæ, & veræ scientiæ acquisitionẽ; dummodò verè quis bona fide credat, se posse licitè oppositum ejus, quod errans conscientia dictat; puta in casu posito, si verè mulier putaret, se licitè posse uti alienis capillis. Si verò ideò, rationem respuere, ac sententiam nõn acceptare conetur, ut liberè, quod vult, exequatur, non verè, sed fictitiè conscientiam deponere, videretur. Quarè puto; quòd in simili casu teneretur quis, consulere DD. ac iterum suspendere actum, quòadusque de veritate certioretur. Quòd si urgeret necessitas, quà non posset ab operatione desistere, puto, quòd posset excusari, modò verè, ut dixi, bona fide licitam credat.

14. Quęres quartò: Quodnam peccatum sit, agere contrà Conscientiam errantem? Ad hoc in primis dicendum, non esse quoddam speciale peccatum; sicut nõ est speciale peccatum, agere contrà legem; Conscientia enim habetur, ut lex; Est ergo peccatũ ejusdẽ speciei, ac esset, si Conscientia non esset errans, sed recta; puta dictante conscientia, peccatum esse, in Ecclesia spuere, propter inreverentiam loci sacri, spuendo, quis contrà Religionem peccaret. Quamvis enim actus de se totaliter sit indifferens, dùm tamen conscientia illum præceptum, vel prohibitum dictat, semper id facit, apprehendendo in illo aliquam rationem Virtutis, vel Vitii, ut ait S. Doctor.

p. 2.

p. 2. q. 19. art. 5. ad 3. undè ex tali apprehensione judicanda erit peccati species.

15. Subdit autem Medina, quòd, si quis tàm ignarus esset, quòd putaret aliquid esse malum, & nesciret, quarè, vel quale; peccaret ad minùs contrà Dei obedientiam; sed puto, quod omninò semper, implicitè saltem, aliqua ratio boni, vel mali particularis apprehendatur, licet non explicitè, ac distinctè, ut satis consideranti patere potest.

16. Major est difficultas; an sit mortale, vel veniale peccatum? Respondetur, quòd, si conscientia dictet esse mortale, mortale proculdubio erit. Si dictet veniale, ita pariter, ut dicunt Montesinus, & alii; Sed hoc puto limitandum, nam, si malitia, quam apprehendit, sit ex genere suo mortale, & materia aliàs gravis; pensatis circunstantiis, existimo, id verùm non esse universaliter; sed posse, mortale peccatū esse, quamvis cōscientia dictet, esse tātùm veniale.

17. Pro cujus intelligentia notandum; quòd in casu potest conscientia dupliciter errare. Primò dictando, talem actum, vel ejus omissionem esse peccaminosam, quæ in se talis non est. Secundò, judicando peccatum veniale, quod in se mortale est: v. gr. dictat Conscientia, mentiendum esse ad salvandam proximi vitam, quando alia non suppetit via, sed omittere hoc mendacium, esse tantùm veniale peccatum. Errat primò, dictando, esse mentiendum, ac perindè peccatum; non mentiri. Errat Secundò, judicando veniale peccatum, non subvenire proximo in extrema necessitate: Tunc ergò, si error secundus esset invincibilis, certè omissio peccati non esset plus, quàm veniale peccatum. Si autem error sit vincibilis, mihi videtur, quòd omissio esset mortalis. Ratio est, quia talis, quantùm est in se, directè contrà proximi charitatem ageret, licèt ex errore. Tum quia, si liceret in casu mentiri, utiq; mortaliter peccaret, nō mentiendo; quamvis putaret ex vincibili errore, id non esse, nisi veniale.

18. Demùm, quid dicendum, si conscientia dictet ab-

ſolutè, aliquid eſſe peccatũ, non determinando, an mortale, vel veniale? Azor. *p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 8. dicit abſolutè eſſe mortale: quia taliter agens exponeret ſe periculo peccandi mortaliter; cui ex parte videtur adhærere Mõteſin. *diſp.* 29. *q.* 5. *§.* 2. *n.* 66. Ego verò puto, id verum eſſe, quandò materia eſt aliàs gravis; ſecùs quando materia levis eſſet; puta, ſi conſcientia dictet eſſet peccatum in Eccleſia ſpuere; nõ crederem, niſi venialiter quempiam peccare ſpuendo. Si autem ambiguum eſſet, an materia gravis eſſet, aut levis; tunc fortè locum quoque haberet dicta ratio de periculo: neque in hoc certa regula poteſt aſſignari.

19. Mihi tamen pro quaſi certa regula probatur; ut ex conſcientiæ ipſius murmurè judicium ſumamus. Ità ut, ſi fortiter de aliquo murmuret, ex hoc ipſo mortale peccatùm dictare, cenſenda ſit: veniale verò, ſi tantùm leviter. Sed & in hoc valdè cavendum cum ſcrupoloſis, ac timoratis cõſcientiis, quæ minima quæque fortiter apprehendere, ac pavere ſolent. Quarè prudentia multa opus eſt.

20. Quæres quintò. An ſequens dictamen errantis Conſcientię benè agat? Suppoſito, quòd, contrà Conſcientiam agere, ſemper ſit peccatũ: Et ſimiliter ſi error ſit vincibilis, & culpabilis, quod non excuſetur, ſed, omninò peccet, ſequens tamen dictamen, ſi contrà legem, & rectã rationem ſit: Ac demùm, quod ſi error ſit invincibilis, & inculpabilis, excuſet à peccato, quamvis actũ in ſe contrà rectam rationem eſſe contingat: Reſtat modò difficultas: an ſequens dictamen conſcientiæ invincibiliter errantis, non ſolùm excuſetur, ſed etiam benè agat.

Quamvis autem S. Doct. citata *q.* 19. *art.* 6. ſolùm concludat in corpore, quòd ſi error ſit vincibilis, voluntas erranti conſcientiæ concordans erit mala, non bona: Si autèm error ſit invincibilis, non erit mala, quia excuſatur à malitia: Dubitandum non eſt, ipſum verè intelligere, conſcientiam invincibiliter errantem, non ſolùm excuſare, ſed & bonam

nam reddere operationem illi conformem; aliàs enim diminutè processisset, nec satisfecisset quæsito proposito: Utrùm scilicet, voluntas concordans rationi erranti sit bona: qui titulus erat articuli. Puto nihilominùs, quòd satis D. Thom. mentem suam explicaverit in principio corporis, ubi præmisit quæstionem hanc eandem esse cum illa, qua quæritur, utrùm conscientia erronea excuset; ac proindè apud ipsum idem est, conscientiam excusare, & voluntatem illi concordantem esse bonam: Si ergò determinat, rationem invincibiliter errantem excusare, cõsequenter sentit, voluntatem hujusmodi rationi concordem bonam esse.

Nec certè aliter asserere potuit, si consequenter ad superiora locutus est; Quęst. enim præced. nullum vult S. Doct. dari actum indifferentem in individuo; sed omnem esse, vel bonum, vel malum: ergò si voluntas rationi erranti concordans nõ est mala, quia excusatur; si bona non esset, jam utique indifferens: ac per consequens D. Th. sibimet contradiceret; Ità expresè D. Thom. intelligit Alvarez ad dictum art. 6. & Montesin. cum aliis *disp.* 27. *q.* 5. §. 1. tanquam certum supponit, accessum Jacob ad Liam, nedùm caruisse malitia, sed bonum, honestum, ac meritorium fuisse, & infrà supra eundem art. 6. repetit, voluntatem bonã esse, quandò error est involuntarius.

21. Probatur ergò assertio ista, quam præter alios, docent ex antiquis Almaynus, & Cordubensis apud Azor. *p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 8. Voluntas concordans, & sequens prudens judicium, bona est: atqui talis est voluntas concordans rationi invincibiliter erranti: ergò bona est: major videtur omninò certa; judicium enim prudens est proxima, & immediata regula humanorũ actuum: Minor, in quà potest esse difficultas, omissis cæteris, quæ in ejusdem confirmationem possent afferri, probatur evidenter. Judicium in operabilibus moraliter certùm de veritate, ac rectitudine operationis, est judicium prudens: cum

enim in operabilibus, utpotè, quæ à circunstantiis, variisque accidentibus, hic, & nunc occurrentibus potissimùm dependent; evidens, & scientifica certitudo, ut plurimùm, haberi non possit, si ad prudens judicium non sufficiat moralis certitudo; vix dabitur in humanis judicium prudens: Atqui judicium Conscientię invincibiliter errantis est judiciũ certum moraliter de veritate, ac rectitudine operationis; illud ergò est prudens judicium. Probatur hæc minor. Certitudo, quà major humano modo haberi non potest; proculdubio est certitudo moralis: hujusmodi autem est certitudo cõscientiæ invincibiliter errantis, aliàs non esset invincibilis error: igitur ejus judicium est moraliter certum de veritate, ac rectitudine operationis, & consequenter prudens judicium.

22. Explicatur hoc ipsum. Habens erroneam conscientiam, aliquam certitudinem de suo judicio habere debet; ac talem, quæ dubium excludat; aliàs conscientia esset dubia, non erronea: Si autem non adeò certus sit, quin aliquam admittat trepidationem, ad hoc, ut invincibilis illi censeatur error; tenetur majorẽ adhibere diligentiam, juxta ea, quæ infrà dicemus. Vel ergo commoditatem habet adhibendi congruam diligentiam, vel non: Si non habet; jam utique humano modo majorem certitudinẽ habere nequit. Si habet commoditatem, & non facit; adhuc error non censetur illi totaliter invincibilis; quia invincibile dicitur, quod, morali adhibita diligentia, vinci non potest. Si autem facit, & adhuc error non superatur, jam non potest majorem habere certitudinem, & per cõsequens moraliter certus erit.

23. Contrà tamen est in primis authoritas S. Doct. in eodem art. 6. in resp. ad primum, ubi ait ex Dionys. quòd, *Bonum causatur ex integra causa, malum autem ex singularibus defectibus; & ideò ad hoc, quòd dicatur malum id, in quòd fertur voluntas, sufficit, sivè, quòd secundùm suam naturã sit malum, sivè quòd apprehendatur, ut ma-*

malum, sed ad hoc, quòd sit bonum, requiritur, quòd utroque modo sit bonum. Ex quibus manifestè colligitur, qnòd, cum id, in quod fertur voluntas ex dictamine Conscientiæ adhuc invincibiliter errantis, in se malum sit, quamvis, ut bonum apprehendatur, non sufficit ad bonificandum voluntatem, licèt per invincibilem ignorantiam à peccato, & malitia excusetur; quia, ut bona sit, requiritur, quòd feratur in bonũ utroque modo, scilicet, & bonum apprehensum, & bonum in se.

Sed ex hoc nil contrà nos convincitur: Notandum ergò, quòd S. Doct. hujusmodi solutionem adhibet, ut ostendat, non omnem voluntatem rationi erranti concordem esse bonã, quòd probabat argumentum. Dicit ergò, quòd, ut sit mala, sufficit quod in malum feratur, vel in aliquod, ut malum, apprehensum. Ut autẽ bona sit, requiritur utrũque, & quòd bonum sit, id, in quod fertur, & ut bonum apprehendatur. Quia ergò voluntas concordans rationi erranti vincibiliter fertur in aliquid, quod in re malũ est, quamvis apprehendatur, ut bonum, non sufficit, ut ipsa bona sit. Cæterum voluntas concordans rationi errãti invincibiliter, non solùm fertur in id, quod ut bonum apprehenditur, sed etiam, quod bonum est in re: Bonum, inquam, hic, & nunc, licèt absolutè, & nudè sumptum sit malum; quia per invincibilem errorem à malitia depuratur, & bonum redditur, hic, & nunc, quod non contingit, si error sit vincibilis; undè volũtas fertur in malum in re, nec à malitia ullatenus depuratum.

24. Pro cujus intelligentia sciendum est. Quòd Judicium Prudentiæ non est judicium de re absolutè, & nudè sumpta; sed attentis omnibus ejus circunstantiis, quibus, hic, & nunc vestitur; Cum enim sit dictamen practicum, exercitiũ, & actualem operationem, ut ponendam in re, dirigens, debet ipsam respicere, non secundùm se, & in abstracto, sed in singulari, & cum circunstantiis, cum quibus in re ponitur. Hinc fit, quòd multoties Prudentia ipsa pro-

prohibet operationes de ſe, & ex genere ſuo bonas, & honeſtas propter aliquam particularē circunſtantiam, ratione cujus, hic, & nunc non expediunt, v.g. bonum, & honeſtum eſt abſolutè, Peregrinari ad viſitanda Sāctuaria, locaque Sacra; nihilominùs id prohibere poteſt Prudentia Patrisfamilias, aut Prælati, nè abſentia eorum in præjudicium familiæ cedat, vel commiſſi gregis: Indèque ſequitur, quod Judicium in practicis, quod abſolutè conſideratū verum eſt, falſum eſſe poſſit, attentis circunſtantiis, hic, & nunc occurrentibus; puta in allato exemplo; Verum eſt hoc judicium, Bonum eſt peregrinari, falſum autem idem eſt, attenta Patrisfamilias, aut Prælati circunſtantia cum præjudicio gregis, aut familiæ.

25. Sicut autem ratione circunſtātiæ propoſitio, quæ abſolutè conſiderata vera eſt, falſificari poteſt; ita per oppoſitum propoſitio, quæ nudè ſumpta falſa eſt: attentis circunſtantiis, vera eſſe poteſt: v. gr. hæc propoſitio, licitum eſt hominem occidere, nudè ſumpta, falſa omninò eſt. Si autem illi addatur circunſtantia invaſoris, à quo aliter invaſus defendere ſe non poteſt, vera eſt: verè namque licitum eſt, occidere hominem invaſorem, quando alia nō ſupereſt defenſio. Ità in caſu noſtro; quamvis Judicium cōſcientię invincibiliter errantis nudè ſumptum falſum ſit, attentâ nihilominùs circunſtantiâ invincibilis ignorantiæ, verum omninò eſt; ſicque Judicium, quod habuit Jacob, accedendo ad Liam, verum fuit, non enim abſolutè dictavit, licitū eſt accedere ad iſtam mulierē, quòd falſum fuiſſet, ſed ex ſuppoſitione, quòd ſua Uxor eſſet.

26. Quod manifeſto convincitur argumento. Impoſſibile eſt, quòd concluſio per bonam conſequentiam ex utroque principio vero deductam, vera non ſit: ex vero ſiquidem falſum ſequi non poteſt; hæc autem propoſitio ex utroque principio vero deducitur, hoc ſyllogiſmo. Licitum eſt accedere ad mulierem, quæ invincibiliter ſua Uxor creditur; ſed iſta invincibiliter pro-

propria Uxor creditur: ergo licitum est ad illam accedere. Vera igitur esse debet ista conclusio, cum utraque præmissa, ex quà deducitur, vera sit, supposito invincibili errore. Cùm autem, ut dictum est, operatio prudēti judicio conformis nō possit bona non esse: manifestum est, quòd voluntas tali dictamini concordans bona sit: quia non solum est erga bonum apprehensum; sed bonum in re, hic, & nunc, utpotè prudenti Judicio cōforme.

27. Neque dicas, hujusmodi discursus, ac reflexiones, neque necessarias esse, neque fieri solitas. Quamvis enim expresè non fiant, virtualiter tamen, implicitè, & quasi in exercitio fiunt; & verè in re virtute illius discursus conscientia dictat.

28. Quia immo, adhuc admisso, quòd nec implicitè fiant hujusmodi reflexiones; propositio illa vera est, quamvis ex una præmissa falsa deducatur; ut patet in hoc Syllogismo. Licet accedere ad propriam Uxorē, hæc est propria Uxor; ergò ad ipsam licet accedere. Quamvis minor falsa sit: cōclusio est vera; ex falso nāque juxta regulam Dialecticorū sequi potest verum. Quod autem talis conclusio vera sit, probatur manifestè, nam, licèt, absolutè loquendo, falsum sit licitum esse, ad hanc mulierē accedere, verum tamen est, supposita ignorantia invincibili; nam verè licitum est accedere ad illam, quæ invincibiliter creditur propria Uxor. In conclusione autem non asseritur absolutè, quod liceat ad istam accedere, sed ex suppositione minoris, quæ invincibiliter ignoratur, & cujus virtute intellectus assentitur conclusioni; ergò illa vera omninò est.

Quod, & confirmari potest ad uberiorem doctrinā. Supposito enim invincibili errore, talis actus, vel est licitus, vel illicitus; vel indifferens; usque modò aliam speciem actus moralis; nescierunt excogitare DD. Certum est autem, quòd talis actus nō est illicitus, quia excusatur à malitia in omnium sententia, cùm nemo peccet in eo, quod vitare nō potest. Si dicas, quod est in-

indifferens: Hujusmodi actus quamvis de se neque boni, neque mali sint; boni tamen, vel mali reddi possunt per aliquam circunstantiam: Manifestum est ergò, quod, si accedens, v. gr. ad non suam, quam invincibiliter suam credit, ad honestum finem, ut debet, suum ordinet accessum; illum utique bonificabit, quamvis aliàs esset indifferens: ergò absolutè verum est, quod agens opus de se malum cum invincibili errore, quod bonum sit; benè agit, non solùm à malitia excusatur: quia ex hoc ipso ad honestum finem ordinat, quem dicit ratio ipsa bonitatis, quam in actu, & opere apprehendit.

29. Ex quibus colligitur, quod Conscientia errans invincibiliter non dicitur propriè errans, quia erret formaliter in suo ultimo judicio proximè, & immediatè directivo operationis; in hoc enim verè, & non falsè judicat formaliter; sed quia judicium hoc fundatur in alio judicio falso, quod quidem falsum est, licèt invincibiliter ignoretur. Et ideò conscientia ipsa non dicitur absolutè vera, & recta, sed errans invincibiliter. In quo differt à Conscientia vincibiliter errante, hujus enim Judicium, non solùm fundatur in errore, sed & ipsum falsum est; quia dictat licitum id, quod in se malum est, & malum permanet; cum error vincibilis non sufficiat ad purgandam illius malitiam. Per quæ facilè solvuntur, quæ contrà possent objici, undè ista sint satis.

§. III. *De Conscientia Dubia.*

SUMMARIUM.

1. *Conscientia formaliter dubia est, dùm ratio judicium suspendit, & nulli parti assentitur.*
2. *Admittenda est in legitimo sensu divisio Conscientiæ in speculativam, & practicam.*
3. *Speculativam dicimus, quæ dictat in communi, & universali; practicam verò, quæ in particulari, hic, & nunc.*
4. *Potest etiam hæc divisio his terminis explicari, scilicet in Conscientiã generalem, & particularem.*
5. *Conscientia formaliter, & pra-*

practicè dubia, operantem peccare, authoritate ostenditur.

6. *Idem probatur; quia talis peccandi periculosè exponit.*

7. *Explicatur, an, & quomodo liceat, pro spirituali vita proximi, periculo exponere propriam etiam spiritualem.*

8. *Petrus dubitans, an ager possessus verè sit suus, licitè retinet, quia in Dubiis melior est conditio possidentis, ex quò dubius non est formaliter de sua possessione licita.*

9. *Ad peccatum sufficit, operari sinè certa regula, nec requiritur, quòd actus contrà particulare sit dictamen.*

10. *Generale dictamen sufficiens non est ad bonificandum, benè verò ad vitiandum ab illo discordem.*

11. *Si requiritur etiam particulare dictamen ad peccatum, sufficit dictamen, vel signatum, vel exercitum, distinctivè.*

13. *Stare potest judicium certum de petendo, vel reddendo debitum, cùm dubio de validitate matrimonii.*

1. CIRCA dubiam cōscientiam occurrit primò; An stante Conscientiâ dubiâ, liceat quidquam operari; Et quæritur de conscientia dubia formaliter, ità scilicet, ut ratio judicium suspendat, & nullum præstet assensum ad aliquam contradictionis partem: Hoc est enim, esse formaliter dubium, nam si ad unam partem assensum præbeat, quāquam cùm formidine, ac timore alterius partis, non erit dubia, sed probabilis, vel opinativa Conscientia, de quà infrà. Ubi advertendū est, quòd non sufficit ad excludendū formale dubium, quòd ratio aliqualiter potiùs in unam, quàm in alteram partem inclinet, quod suspicionem esse, diximus, sed requiritur, quòd verè determinatè judicet.

2. Deindè notandum, quòd licèt universim Conscientia practicum sit dictamen, immo, & ipsa Synderesis, utpotè directè, & per se, ac ex natura sua opus respiciens: hoc non obstante, communiter dividi solet cōscientia in speculativam, & practicam, quæ divisio, li-

cèt ab aliquibus immeritò rejiciatur, omninò admittenda est in suo vero, & legitimo sensu, in quo ab Authoribus usurpatur; valdè namque conducit ad plures difficultates in re morali resolvendas.

3. Dicitur ergo Conscientia speculativa, non quia verè practicum dictamen non sit, verùm quia speculativo judicio assimilatur, & ad illud quodammodo accedit. Proprium est enim speculativi, abstrahere ab hic, & nunc, & singularibus circunstantiis, de quibus non datur scientia; & rem in abstracto, & universali quadam ratione considerare. Sic igitur Conscientia speculativa dicitur, quæ in communi, & universali dictat, aliquid faciendum, vel nõ, puta malum est aliena rapere; Præceptum est die festo Sacrum audire; Non licèt ex mutuo aliquid accipere. Conscientia verò practica est, quæ dictat hic, & nunc aliquid esse faciendum, vel non: v. gr. Hodie mihi laborandum non est, quia festum: Hæc acceptio ultra sortem non est licita, sed usuraria.

4. Si quis verò ad vitandas contentiones velit, speculativã Conscientiam generalem Conscientiam vocare, & practicam particularem, admittamus; parùm enim ad rem, sed quæstio est de nomine. Præ oculis tamen habenda est hæc distinctio, quia valdè utilis est: Ut enim diximus præced. §. judicium, quod in se nudè sumptum verum est; per aliquam advenientem circunstantiam falsificari potest, & è contrà; Hinc est, quòd ut juxtà Conscientiam operemur, non tantùm generale, & speculativum, sed potissimè practicum, & particulare attendendum est; hoc enim est proxima, & immediata regula operationis: Abstrahendo igitur nunc à quæstione, utrùm stante dubio generali, & speculativo, possit particulare, & practicum certitudinem habere; puta, an dubitans, aliquem contractum illicitum esse, determinatè possit judicare, sibi licitum hic, & nunc, de quà infrà: Quærimus nunc; An stante judicio particulari, & practico formaliter du-

dubio, licitum sit, operari.

5. Et omninò dicendum est; peccare, qui conscientia formaliter, & practicè dubia operatur, quod manifestè colligitur ex illo ad Rom. 4. Quod non est ex fide, peccatum est; Ubi communiter à Sanctis Patribus per fidem, Conscientia ipsa intelligitur; Opus autem factum, stante dubia conscientia, non esset ex fide; qui enim est formaliter dubius, non habet Conscientiam de honestate suæ operationis, cùm conscientia determinatum importet judicium: ergò tale opus peccatũ esset.

Confirmatur ex Dionys. sæpè adducto; Bonum debet esse ex integra causa, malum autem ex quocunq; defectu: talis autem operatio non esset ex integra, sed deficiente causa; deficeret enim ipsi regula proximè directiva, quę est practicum, & particulare judicium cõscientiæ; mala ergò esset.

6. Probatur deindè communi ratione. Exponens se manifesto peccandi periculo, peccat, juxta illud: Qui amat periculum, in illo peribit; omninò enim imprudẽter agit: operans autem cõscientia formaliter, & practicè dubia, manifesto se periculo peccandi exponit: ergò peccat. Probatur minor. Qui nullam habet de operationis honestate securitatem, evidenti se peccandi periculo exponit; operationem eliciendo; ambulans enim v. gr. per loca, ubi potest impingere, & cadere, absque ulla securitate, se manifesto exponit cadendi periculo; atqui operans, conscientiâ dubiâ, nullam habet de bonitate operationis securitatem; non enim apparet, undè vel minimam possit habere; Si enim aliquam haberet, illam utique cognosceret, hanc autem cognitionem habere non potest, nisi per aliquod judicium, quo aliquo modo licitam cognosceret operationem; sed si hoc judicium haberet, jam non esset formaliter dubius, quia conscientia dubia omne judiciũ excludit: operans igitur cõscientiâ dubiâ, se periculo exponit, ac perindè peccat.

7. Dices fortè. Non esse universaliter verum, peccatũ esse, periculo se peccãdi ex-

ponere: ut enim docet Mag. Soto lib. 5. *just. q.* 1. *art.* 6. licitum est prò salute spirituali proximi propriam vitam spiritualem exponere periculo; immo id opus esset præstantissimæ charitatis: nemo autem exponit periculo spiritualem vitam, nisi exponendo se periculo peccati: Falsò ergò nititur fundamento nostra conclusio, vel saltem non universaliter vero; ac per consequens deficere potest in aliquo saltem casu.

Ad hoc Mag. Medina vellet negare absolutè, licitum esse, ullo modò spiritualem vitam periculo exponere; sed tenetur authoritate tanti Magistri: Sano igitur modo intelligenda est propositio illa; ità scilicet, ut periculum se teneat solùm ex parte imbecillitatis, & infirmitatis humanæ, non autem si absolutè periculum adsit, nulla ex parte roborata propria salute. Itaque si quis v. gr. dubitaret absolutè se in peccatum casurum, alloquendo mulierem, non liceret ipsi, ad eam convertendam, vel consilium, aut aliud ad salutē necessarium præstandum, alloqui: esset enim id non ex charitate, sed ex imprudentia operari, ac totum charitatis ordinem pervertere, quo certè, non plùs proximum, quàm nos ipsos; immo plus nosmet ipsos, quòad spiritualia, quàm proximum, diligere, & curare debemus: ut idem Mag. Soto ibi explicat ad secundùm. In tantùm ergò licet aliquo spiritualis vitæ periculo se exponere pro spirituali proximi vita; in quantùm, cùm id cautè, & debita fit circumspectione, ac potissimùm firmiter Divino adjutorio confiditur; satis optimè propriæ saluti consulitur. Undè nec absolutè Mag. asserit, licitum esse, periculo se exponere, sed aliquo; idest post habita aliqua tutiori cura, & via, quà quis propriæ saluti commodius, & feveriùs posset consulere; puta intrà claustra meditationibus, aliisque piis exercitationibus insistendo. Si quis ergo ex nimio charitatis ardore, ac perindè prudenter hæc omittat, ut proximo subveniat, ex hoc ipso meliùs, aut tutius propriæ consulit saluti; cùm hoc ipso

so

so Charitatem nutriat, quæ est vinculum perfectionis. Quarè licèt, hoc modo qualicumque periculo exponi, quia eadem periculi expositione periculo ipsi cavetur.

8. Ad majorem explicationem, Objicies primò. Petrus dubitans, an ager, quem possidet, sit suus, potest illum tutâ conscientiâ retinere; sed tunc illud retineret conscientiâ dubiâ, ergo non est peccatum conscientiâ dubiâ operari.

Respondetur, quòd Petrus in tantùm posset agrum retinere, quia in dubiis melior est conditio possidentis, ac per consequens haberet verum, & certum dictamen, quòd sibi licèt possidere agrum, de quo dubium est, an verè sit suus, teneretur nihilominùs, inquirere veritatem; nam regula illa, melior est conditio possidẽtis; valet solùm, quòadusque veritas haberi non potest: Si autem culpâ suâ veritas lateret, in mala esset fide; undè nec frui posset beneficio præscriptionis. Ad summum igitur Petrus possideret agrum conscientiâ dubiâ speculativè, nam practicè per dictam regulam certificaretur.

9. Objicies secundò. Omne peccatum est contrà speciale aliquod practicum, & singulare dictamen, quod est proxima, & immediata regula operationis, nam generale non est sufficiens regula, undè ab illo discordare potest operatio, ut supra tetigimus, & infrà meliùs explicabimus; operans autem conscientiâ dubiâ non agit contrà practicum, & particulare dictamen, quia nullum tale dictamen adest, conscientia manente dubia, non ergò peccat.

Responderi posset in primis, necessarium non esse ad peccatum, quòd quis contra particulare dictamen operetur, sed sufficere, quod sinè certa regula operetur; quod satis insinuare videtur Apostolus, dùm ait; Quod non est ex fide, hoc est ex conscientia, peccatum est: Et ampliùs comprobatur; nam agens juxta conscientiã vincibiliter erranté peccat, & certè non agit contrà practicum dictamen.

10. Nec probatio in cõtrarium aliquid obstat. Ex hoc

hoc enim, quòd generale dictamen sufficiens non sit regula, benè argui potest, quòd actus illi conformis adhuc bonus non sit, nisi etiam conformetur dictamini practico, & particulari; quia bonum adæquatâ exigit regulam, & cum illa perfectam adæquationem. Non autem potest inferri, quòd actus à generali dictamine discordans malus non sit: cùm enim illud verè sit regula, & malum ex quocunque defectu nascatur; licèt non sufficiat hujusmodi dictamen ad bonificandum, sufficit ad vitiandum actum ab eo discordantem. Quòd autem aliquando possit licitè operatio à generali dictamine discordare, id est, quia per aliquam particularem circunstantiam, & dictamen modificatur, & limitatur ipsum generale, ut videbimus.

11. Vel etiam si velimus admittere, omne peccatum esse cõtrà particulare dictamen humanę rationis: intelligendum erit de dictamine, sivè signato, sivè exercito; disjunctivè; hoc est contrà dictamen, quod actu habet operans, vel contrà dictamen, quod natura ipsius actus, attentis omnibus circunstantiis, exposceret. Sicut, ut artifex contrà regulas artis operari dicatur; non est necesse, quòd præ oculis regulam habeat, sed sufficit, quòd ejus opus à regula, cui conformari deberet, deficiat: de moralibus enim pariformiter ad artificialia discurrendum est.

12. Objicies tertiò: Si operari conscientiâ dubiâ, peccatum, esset, sequeretur, quòd aliquis citrà suam culpam esset perplexus, & ex necessitate peccaret; puta, si conjux dubitaret de valore sui matrimonii, & stante dubio, quod non potuit deponere, peteretur ab alio Conjuge; sivè redderet, sivè negaret debitum, peccaret; non reddendo enim, exponeret se periculo injustitiæ, & reddendo, fornicationis, quod maximum est inconveniens.

Respondetur, quòd casus iste difficillimus est, nec in ejus resolutione conveniũt DD. ut videre est apud Montesin. præcipuè disp. 29. q. 4. §. 4. Pro qu-anto autem spe-

ſpectat ad præſens, notandum eſt, quod manente dubio de valore matrimonii, poteſt certum haberi judicium de reddendo debito, vel non, quod ex dicendis infrà conſtabit, cùm agemus de dubia conſcientia deponẽda. Dico ergo, quod ſtante dubio, non ſolùm de validitate matrimonii, ſed etiam de licita redditione, vel negatione debiti; utique talis, quidquid ageret, peccaret, quia exponeret ſe periculo; non tamen abſque ſua culpa eſſet perplexus, quia dubium quodlibet deponi poteſt, ut dicemus; Si ergò non deponit, ut poteſt, ac debet, ſibi imputet.

Sequitur Summarium.

13. *Anſtare poſſit cum dubio ſpeculativo certitudo practica.*

14. *Quid ſit dubium juris, & facti.*

15. *Adveniente aliqua particulari circunſtantia, variari poteſt judicium hic, & nunc.*

16. *Tunc autem particulare judicium extrahitur quoddammodo à ſubjectione generalis, & ſub alio pariter generali collocatur.*

17. *Non poteſt ſingulare, & practicum judicium ab univerſali, & ſpeculativo prudenter diſcordare, invariatis omninò terminis.*

18. *Probatur aſſertio ex illo principio. Omne, quod non eſt primum, in unoquoque genere, ad aliud reduci debet, & ab illo menſurari.*

19. *In moralibus præciſa ratio ſpeculativi, & practici non ſufficit ad contradictionem tollendam.*

20. *Probatur, quia judicium ſpeculativum eſt regula, cui debet commenſurari practicum.*

21. *Judicium ſpeculativum, & practicum in veritate omninò conveniunt.*

22. *Exercitium variat quidem objectum in ratione ſpecificantis actum, vel habitum, non autem in ratione menſuræ veritatis.*

23. *Argumentum ad hominẽ contrà adverſarios.*

24. *Ad tollendam contradictionem non ſufficit ſola diverſitas ex parte attingentiæ, ſed requiritur diverſitas ex parte objecti.*

25. *Nulla ſuperveniente circunſtantia, concluſio ſpeculativè*

lativè probabilis, etiam talis est practicè.

26. *Stare non potest cum dubio speculativo certitudo practica; cùm non possit regulatum certius esse regulâ.*

27. *Confirmatur; quia non potest conclusio præmissas excedere in certitudine.*

28. *Item; quia non potest quis judicare, posse utramque contradictionis partem esse veram.*

29. *Quarè potest dari conclusio vera ex principio falso, & non certa ex dubio.*

30. *Immo stare non potest practicum judicium verũ cùm falsitate speculativi, sub quo adæquatè continetur.*

31. *Vel etiam admitti potest, modò veritas aliundè conclusioni adveniat.*

32. *Aliud est, aliquid esse certum in se, aliud, certum intelligenti.*

33. *Ut milites in conscientia teneantur obedire, non est necesse, quòd judicent practicè bellum justum, sed sufficit, quòd ejus injustitia non constet.*

13. QUæres secundò. An stare possit cum dubio speculativo certitudo practica. Quod idem est, ac quærere. Utrùm dubitans, an aliqua actio licita sit, necnè: possit item certus esse, hic, & nunc in exercitio sibi licitam esse; puta: dubitat quis, an sibi liceat Sacrum omittere, ut infirmum custodiat, quæritur, an tali dubio stante, possit certò judicare sibi licitam Sacri omissionem. Et pro nunc certum judicium voco quodlibet judicium determinatum, formale dubium excludens. Resolutio præsentis, & sequentis quæstionis valdè necessaria est, nedùm pro dubia, sed & pro Conscientia opinativa, & probabili; undè utraque aliquando accuratius examinanda est.

14. In hac re distinguunt aliqui. Si enim dubium sit de jure, dicunt posse cum dubio speculativo practicũ determinatũ judicium componi; secùs verò, si dubium sit de facto. Dicitur autem dubium de Jure, quandò dubium est, an actio licita sit; quia dubitatur, an sit contrà dispositionem Juris, legis, Præcepti, aut Rationis, quod idem est: v. gr. si quis du-

dubitaret, an licitum ſit, die feſto aliquod opus exercere. Dubium autem facti; quando dubitatur, an actio licita ſit, quia dubitatur, an aliquid factum ſit, vel res talis, vel talis ſit; v.gr. Si Sacerdos dubitet, an ſibi liceat celebrare, quia dubitat ſe feciſſe homicidium, ſeù dubitat, an Panis triticeus, ſit, vel azymus. Cæterum hæc diſtinctio nulla eſt, ut ex reſolutione dubii patebit.

15. Quia verò dubium hoc ferè coincidit cum eo; An Judicium practicũ diſcordare poſſit à ſpeculativo; quòd infrà, dùm de Opinativa Conſcientia tractabitur, eſſet reſolvendum, ideò nè inutiliter eadem repetenda forent, hic univerſaliter difficultatem reſolvemus. Ut autem, quòad fieri poteſt clariùs, & breviùs procedamus, & ab incertis certa ſeparemus: Dubium eſſe non poteſt, quia adveniente in ſingulari aliqua circunſtantia, variari poſſit Judicium, hic, & nunc: Puta; certò ſcio, quòd rem alienam retinere, non poſſum, ſed Domino reddere, teneor: Si tamẽ hic, & nunc rem habeam alterius, quã nunc extremè indigeo, prudenter judicare poſſum, non teneri me, nunc illam Domino reddere.

16. Sed advertite, quòd tunc meum judicium extrahitur quodãmodo à ſubjectione illius generalis, & ſub alio pariter generali judicio, ac dictamine collocatur; puta iſto. In extrema neceſſitate poteſt quilibet, uti re alterius; quia in tali caſu Jus acquirit ad id, quod ſibi neceſſarium eſt; nec poteſt rationabiliter Dominus, illud repetere. Sicut enim dari non poteſt individuum, quod ſub aliqua determinata ſpecie non cõtineatur; ità nec dari poteſt aliquod ſingulare judicium, quod ſub aliquo univerſali, velut ſub ſpecie, contentum non ſit: Non autem contineri poteſt ſub univerſali judicio, à quo diſcordat: ergo ſub alio, cui conſonet.

17. Quibus præmiſſis nõ minùs clarè ſtatus quæſtionis, quàm ejuſdem reſolutio apparet. Quæritur enim; an de eadem re, ſeù actu, invariatis omninò terminis, prædicato ſcilicet, & ſubje-

cto, possit judicium singulare ab universali, sub quo adæquatè continetur, discordare; ità ut, quòd universale judicium dictat illicitum, singulare dictare possit licitum?

Et dicendum. Non posse ullo pacto prudenter, invariatis omninò terminis, practicum, seù singulare judicium ab universali, & speculativo discordare. Probatur in primis conclusio ex Philosophia. Repugnat omninò, quod aliquis sanæ mentis duabus propositionibus contradictoriis assentiatur; atqui hoc esset, si omninò invariatis terminis, ferret quis judicium singulare discordans ab universali, sub quo adæquatè continetur: ergò nemo, nisi insanus, nedùm imprudens, potest hujusmodi judicium habere. Major est indubitatum Philosophię axioma, quod negare esset, totam destruere Philosophiam. Minor quoque certissima est: Etenim propositio universalis affirmativa, & particularis negativa, vel universalis negativa, & particularis affirmativa in eisdē terminis contradictoriè opponuntur, sic autem esset in casu, de eodem enim actu, de quo judicium universale dictaret esse illicitum, particulare negaret, aut è contrà v. gr. Non licet in mutuo aliquid ultrà sortem accipere: Licèt nunc mihi in mutuo aliquid accipere, quis non videat, contradictionē evidentissimam esse, nisi aliqua interveniat circunstantia, quà conditio actus varietur?

18. Probatur deindè non minùs efficaci, quàm evidenti ratione morali petita pariter ex Philosophico Principio. Omne, quod primum non est in unoquoque genere ad aliud reduci debet, & ab illo mensurari. Primum enim in quolibet genere est mensura cæterorum. Sic prima principia in speculabilibus mensura sunt omnium veritatum. Sic Deus primum ens, est mensura omnium entium. Primum mobile, mensura omnium motuum. Sic igitur quælibet regula, & mensura, quæ prima non est, mensurari debet ab alia Superiori, illique conformari, ut

vera

vera, & recta sit. At quodlibet judicium particulare practicum non est prima regula moris, & operationis humanæ: ergò ab alia superiori mensurari, illique conformari debet, ut recta sit, & prudens; atqui mensurari non potest, nisi à judicio speculativo, & universali, sub quo adæquatè continetur: ergò, ut vera, & recta regula sit, ab illo mensurari, & illi conformari debet; ac per consequens ab illo discordare nō potest.

Major, præterquam quòd ex illo communi principio satis constat; certissima est in moralibus, nulla enim regula vim, & virtutem regulæ habere potest, nisi primæ regulæ, rationi scilicet Divinæ, sit conformis, immo nulla est regula, nisi quatenùs participatio est ipsius Divinæ rationis, æternæ legis, ac primæ regulæ. Minor indubitata est, & cōsequentia evidens.

Minor autem subsumpta probatur, & explicatur. Nullum particulare Judicium, nedum practicum, sed nec speculativum, immediatè derivatur à Divina Ratione, sed omnia medio aliquo judicio universali, speculativa quidem per prima principia speculativa, & practica per prima principia practica, ad hoc enim dantur habitus naturaliter inditi primorum principiorū speculabilium, & Synderesis pro practicis: Commune siquidem est causis inter se subordinatis, ut infimæ, non immediatè, sed mediis aliis causis superioribus, influxum recipiant à prima: undè nullus effectus naturalis naturaliter producitur à Deo, nisi mediis causis secundis, quanquam possit extrà ordinarium cursum naturæ ipse Deus, præciso cujuscumque alterius causæ concursu, aliquem præstare effectum. Sic igitur naturali, & humano modo nullū particulare judicium regulatur immediatè à prima regula, sed medio aliquo universali principio, quamvis possit extraordinariè, puta; per immediatam Dei regulationem, aliquod particulare judicium haberi, de quo modò non disputamus. Hoc posito; sic probatur minor subsumpta. Judicium

particulare mensurari non potest, naturaliter saltem, à prima regula, & mensura, nisi media regula proxima, & immediata; sed nulla potest assignari proxima, & immediata regula illius, nisi universale judicium, sub quo immediatè, proximè, & adæquatè continetur: nam, & ipsa principia universalissima, puta Bonum est faciendum, Malum fugiendum; non nisi per alia inferiora particularibus applicantur; ut manifestum est: ergò à judicio universali, sub quo continetur, particulare mensurari debet, illique conformari, ut primæ regulæ sit conforme.

19. Per quæ penitùs evacuatur effugium, quod scilicet, ex hac ipsa ratione, quòd unum sit speculativũ, & aliud practicum, benè potest unum ab altero discordare; nedùm universale à particulari, sed idem particulare judicium à se ipso. Per hoc enim tollitur contradictio; quia licèt materialiter judicium sit idem, formaliter tamen est diversum: v. gr. Non licet mihi, hic, & nunc manducare carnem, licèt mihi, hic, & nunc manducare carnem, Contradictoria non sunt: Si in primo judicio præcisè ad veritatis contemplationem, & terminorum convenientiam attendam. In secundo verò exercitè operationem respiciam. Hoc inquam, nihil valet: Nam præterquãquòd in moralibus coincidunt speculativũ, & practicũ, & in re ipsa universalissima principia Synderesis practica sunt, sicut ipsa synderesis practicus habitus.

20. Præter hæc, inquam, judicium practicum immediatè subjicitur: non potest ergò à prima regula non discordare, si à proxima, & immediata discordet.

Deindè, ut dictum est; dari non potest particulare judicium, quod sub aliquo universali non contineatur; cui proindè conformari debet, ut alteri universaliori, ac demùm ipsi primæ regulæ sit conformis, materialiter enim gradatim procedunt causæ ad invicem subordinatæ, ita ut una non, nisi media alia concurrat, & influat. Tum sic. Illud universale judicium, cui neces-

ſariò debet conformari particulare, non reſpicit exercitè operationem, ſed ſignatè, & in communi; univerſale ſiquidem ex ipſa natura univerſalitatis abſtrahit ab exercitio, hic, & nunc: ergò ſi hoc ſufficit, ut judicium ſpeculativum ſit; tale judicium ſpeculativum erit; at nihilominùs non poteſt ab illo diſcordare judicium particulare, & practicum; quia debet omninò habere, & conformari ſuæ regulæ proximæ, & immediatæ: ratio ergò præciſa practici, & ſpeculativi non eſt ſufficiens cauſa diſſonantiæ; ſed aliundè ratio diſcordantiæ peti debet; undè autem, niſi ex aliqua nova ratione, & circunſtantia, quã non reſpiciat illud univerſale judiciũ.

21. Denique Judicium ſpeculativum, & practicum in veritate omninò conveniunt, & ſolùm differunt penès hoc, quòd ſpeculativum ab exercitio actuali operationis præſcindit, practicum verò applicat veritatem, & ſcientiam in exercitio ad opus; ità ut eandem omninò veritatem, quam cõtemplatur ſpeculativum; exerceat, ſeù applicet ad exercitium, & actuale opus judicium practicum; ergò non poſſunt, abſque manifeſta contradictione circã idem omninò, & invariatũ ab invicem diſcordare. Probatur antecedens. Ubi eſt eadem omninò veritas objectiva, eadem eſt quoque veritas formalis: hæc enim tota cõſiſtit in adæquatione ad veritatẽ objectivam; ſed eadem omninò eſt veritas objectiva utriuſq; judicii: ergò in veritate omninò conveniunt. Probatur minor. Veritas objectiva conſiſtit in cõvenientia, & connexione, quam in ſe habent extrema, objecta, & formalitates ad invicem, ſed hæc eadem omninò eſt, non enim eſt alia convenientia, vel connexio inter hæc extrema, quæ ſunt honeſtas, & actus; ſivè actus ipſe conſideretur ſignatè, & in abſtracto, ſivè conſideretur in exercitio.

Urgetur ampliùs. Veritas formalis conſiſtit in adæquatione ad rem, ut eſt in ſe: ergò duo judicia reſpicientia eandem omninò, & invariatam rem, non poſ-

ſunt

sunt, ab invicem discordare, nisi unum sit falsum; si enim discordent, non poterit utrũque cum re adæquari.

22. Neque dicas. Ex hoc ipso, quòd eadem veritas objectiva modò speculativè, modò practicè attingatur, variari formaliter, etsi nõ materialiter: quia ex hoc ipso practicum aliquid respicit in objecto, & veritate ipsa objectiva, quod non respicit speculativum, scilicet exercitium. Hoc enim nil valet. Nam estò exercitium variet objectum in ratione specificantis actum, vel habitum; in hoc enim potiùs modus attingentiæ, quàm res attacta consideratur; non tamen variat ipsum ullo modo in ratione mensuræ veritatis; nam hæc tota consistit in extremorũ connexione, quam habent in se, quæ omninò eadem est; sivè objecta cõsiderentur signatè, sivè exercitè. Quænam, quæsò, variatio connexionis, & convenientiæ honestatis cùm eleemosyna per hoc, quòd modò præcisè, ut veritatem cognoscam, hoc profero judicium, honestum, ac bonum est dare eleemosynam, & modò idem Judicium profero, ut actu eleemosynam tribuam. At gratis admisso, quòd etiam in hac ratione varietur objectum.

23. Arguitur ad hominem. Judicium practicum omninò adæquari, & commensurari debet veritati objectivæ exercitæ; ergo adæquari debet judicio speculativo. Antecedens negari nõ potest, quodlibet enim judicium adæquari debet cum proprio immediato, & formali objecto. Consequentia probatur. Veritas objectiva exercita commensurari, & adæquari debet veritati objectivæ signatæ, quę judicio speculativo respondet: ergò non potest judicium veritati exercitæ adęquari, nisi adæquetur etiam veritati signatæ, ac per consequens judicio speculativo, quod illi commensuratur. Antecedens probatur, immo cõstat ex eo, quòd veritas exercita non est prima veritas: ergo habere debet suam regulam immediatã, cui adæquetur, hæc autem alia non videtur assignabilis, quàm veritas ipsa signata;

ta: Est enim res in actu signato exemplar, quoddam, forma, & idea, ad cujus instar ponitur ipsa res in actu exercito. Quid enim est homo in actu positus, nisi id, quod exprimit homo ipse in actu signato?

24. Ex his jam patet solutio ad argumentum, quod fieri posset; quòd scilicet per rationem speculativi, & practici tollitur contradictio, quæ debet esse affirmatio, & negatio ejusdem de eodē; in judicio autem speculativo, & practico non affirmatur, & negatur idem de eodem omninò; quia non eodem, sed diverso modo, quod enim in uno affirmatur speculativè, negatur in alio practicè. Ad hoc autem dicitur, quòd ad tollendam cōtradictionem sufficit quidem, quòd non eodem, sed divreso modo idem affirmetur, & negetur, diversitate modi se tenente ex parte ipsius objecti; non autem sufficit, si diversitas tantùm sit ex parte attingentiæ. Sicut eadem conclusio potest demonstrari per diversa media, immo à diversis scientiis, impossibile tamen est, quòd, ut deducta per unum medium, & principia unius scientiæ, vera sit, & deducta per alia, sit falsa. Ita ergo in casu nostro, quia diversitas practici, & speculativi est solùm ex parte attingentiæ, supposito, quòd utrumque judicium sit de eodem invariato objecto; impossibile est; quòd unum sit verum, & aliud falsum; ac per consequens, ut verū sit, utrumque, convenire, non discordare debet.

25. Objicies ergo secundò. Potest eadem conclusio speculativè probabilis esse, & practicè improbabilis: ergò potest practicum judicium à speculativo discordare, ut quòd speculativum affirmat, practicum neget. Probatur consequentia, nam, quòd est probabile, sano judicio affirmari potest, quòd autem est improbabile, omninò debet negari.

Respondetur, posse quidem judicium practicum à speculativo discordare per adventum alicujus circunstantiæ, quam non considerat speculativum: & hoc modo conclusio speculativè probabilis practicè impro-

probabilis esse potest: quia speculativè, & in abstracto aliquas habet probabiles rationes, quibus fulta quodammodò verisimilis apparet; practicè verò improbabilis judicatur, quia postmodum in ejus usu aliqua occurrit repugnantia, vel ratio urgens in contrarium. Cæterum, nulla superveniente ratione, vel circunstantia, conclusio, quæ speculativè probabilis est, etiam est probabilis practicè.

26. Consequenter ergo dicendum est ad præsens quæsitum, stare non posse cum dubio speculativo certitudinem practicam, omninò invariato manente objecto. Ista conclusio deducitur ex dictis usque nunc, & probatur. Non potest regulatum habere majorem certitudinem, quàm habeat regula; sed judicium speculativum, ut ex dictis constat, est regula Judicii practici: ergò non potest Judicium practicum excedere in certitudine speculativum. Discursus est legitimus. Minor constat ex dictis, & major quoque certa videtur, regulati enim certitudo, cum prima non sit, est certitudo participata ab alio, nec certè, quã à sua regula, non ergò potest regulæ certitudinem excedere.

27. Confirmatur. Conclusio non potest in certitudine præmissas excedere, immo è contrà ex præmissis certitudo refunditur in conclusionem; at quodlibet judicium practicum, & singulare per modum conclusionis ab universali, & speculativo deducitur, consultatio enim, quæ ad prudens judicium requiritur, fit per quendam discursum, quo veritas universalis, & speculativi iudicii applicatur ad particulare, & practicum; cùm enim hoc nō sit prima regula, nec primam habeat certitudinem, ab alio regulari, & certitudinem participare debet; non autem ab alio, quam à speculativo judicio, sub quo immediatè, & adæquatè continetur, ut pariter ex dictis constat: non ergò potest illud in certitudine excedere.

28. Probaturdenique. Impossibile est, quòd judicet quis utramque contradictionis partem posse verã esse;

esse; hoc autem sequeretur, si stante judicio speculativo dubio, practicam certitudinem haberet, ergò impossibile est, cum dubio speculativo dari certitudinem practicam. Probatur sequela: Nam si quis certus est de judicio practico, jam utique illud verum judicat, & si est simul dubius de speculativo, & universali, sub quo tale practicum judicium adæquatè continetur, jam pariter judicat illud falsum esse posse, & ideò suspendit judicium, sed speculativum negans actionem licitam, & practicum eandẽ affirmans licitam, vel è contrà; contradictoriè opponuntur, ut satis ostensum est, ergo &c.

29. Objicies. Magis distat verum à falso, quàm certum à dubio, sed stare potest judicium practicum verum, stante judicio speculativo falso: ergò pariter practicum certum cum speculativo dubio. Probatur minor hoc syllogismo; in habente ignorantiam invincibilem, ut fuit in Jacob, licitum est accedere ad propriam Uxorem; hæc est propria Uxor: ergo licitum est ad illam accedere. Conclusio vera est, ut nos docuimus, & minor, à quà deducitur, est falsa; ergo &c.

Responderi potest in primis, neg. Consequentiam. Et ratio disparitatis est; nam falsitas principii; à quò deducitur conclusio vera, non apparet, immo ignoratur, & sic nullum est inconveniens, quòd intellectus errans utramque propositionem veram existimet, licèt una falsa sit; at verò principium dubium, dubium apparet, undè non potest conclusio ex illo deducta certa esse, cùm in vi principii assentiatur illi intellectus. Deindè, quia veritas attenditur præcisè ex adæquatione intellectus cùm re, quarè licèt prę̃missę de se non inferant in conclusionem veritatem, quam non habent, si tamen conclusio ipsa in se adæquetur cum objecto, vera erit: non veritate à præmisis derivata, sed aliundè per accidens in ipsa conclusione resultante, quia scilicet objectum, ità invenit in re; undè habent Dialectici, quòd ex falso potest sequi verum. Cæterùm quòad certitu-

titudinem, cùm totaliter à præmissarum assensu causetur; à quo ipse conclusionis assensus causatur, non enim intellectus conclusioni assentitur, nisi in virtute præmissarum; hinc est, quòd non potest conclusioni assentiri, nisi priùs assentiatur præmissis, aliàs cõclusio non erit conclusio.

30. Respondetur secũdò, stare non posse judiciũ practicum verum cum falsitate speculativi, sub quò adæquatè continetur. Itaque illa conclusio, licitum est, accedere ad istam; ideò vera est, quia continetur adæquatè sub principio speculativo vero, aliàs vera non est; puta sub hoc; licitum est accedere ad illam, quæ invincibiliter propria Uxor creditur, per invincibilem ergò errorẽ extrahitur quodammodò à subjectione illius principii falsi; hæc est propria Uxor, & ponitur sub alio vero, scilicet hæc propria Uxor creditur; nam verè talis conclusio non continetur sub illis præmissis, cum nec illa sit Uxor, neque ad illam accedere liceat, quia uxor, sed benè continetur sub istis, licitum est accedere ad eam, quæ invincibiliter propria uxor creditur, & hæc invincibiliter creditur propria uxor, à quibus veritatem suam habet ipsa conclusio.

31. Vel demùm responderi potest, distinguendo minorem, potest judicium practicum esse verum, stante falsitate speculativi, si ipsi aliundè veritas adveniat, cõcedo, nisi aliundè ipsi adveniat veritas, nego: & eodem modo distinguitur cõsequens. *Assignetur autem*, undè judicio practico adæquatè sub speculativo dubio contento adveniat certitudo, & libenter ipsam concedemus; quod tamen invenire poterit nemo, ut ex dictis patet.

32. Objicies secundò. Si videam à longè hominẽ, & dubitem, an disputet, hæc est evidens consequentia. Iste disputat, ergo est ens: antecedens autẽ dubium est, & consequens certissimum.

Respondetur, quòd, si dubito, non affirmo: quomodò ergò infero, iste disputat, ergo est ens? Sed quidquid sit, admissa utcumque

tali consequentia, negatur ex vi præcisè illius consequens esse certissimũ. Aliud est enim, quòd sit certum in re, aliud quod mihi certum sit: Si autem, & mihi quoq; sit certum, id non erit ex antecedenti, sed aliundè, puta, quia mihi certò constat, quòd est homo, vel movetur, aut quid tale.

33. Objicies tertiò. Milites habere possunt dubium speculativum de Justitia belli, & nihilominùs tenentur obedire præcepto Principis sui, usque dùm constet de Justitia, vel injustitia belli: nè igitur agant, conscientiâ dubiâ, debent practicè judicare bellum justum.

Respondetur neg. Consequentiam, ut enim agant milites certa conscientia, nedùm practicè, sed & speculativè, non est necesse, quòd bellum determinatè judicent justũ, sed sufficit, quod ejus injustitia non constet: non enim ideò tenentur Principi obedire, quia bellum justum est, sed ex alio capite, & certa regula, puta quia in dubiis melior est conditio possidentis; est autem Princeps in possessione præcipiendi, quarè propter dubium, an licitè, ac justè præcipiat, non est à sua possessione turbãdus; aut propter aliam rationem, quam expendere, non est præsentis loci. Non itaque possunt dubitare de justitia, & practicè bellum judicare, nisi aliqua adveniat circunstantia. Et sic facilè respondetur ad omnia, quæ objici possent, ad quæ ex dicendis quoque constabit.

Sequitur Summarium.

34. *Aliqua certitudo necessaria est in conscientiæ judicio, nè periculo peccati nos exponamus.*

35. *Non est exigenda logica, vel metaphysica certitudo, sed sufficit moralis.*

36. *Moralis certitudo compatitur, nec necessariò excludit omnem formidinem.*

37. *Et quidem formido hæc practica esse potest, non solùm speculativa.*

38. *Erit nihilominùs formido logica, non moralis.*

39. *Ad moralem certitudinẽ sufficit, & requiritur idem, ac ad prudentiale Judiciũ.*

40. *Sufficit ad prudentiam, quòd singularia cognoscantur, secundùm quod, ut*

in pluribus accidunt.

41. Debet prudentię judicium per modum conclusionis ex aliquo principio certo deduci per applicationem ipsius ad particularẽ operationem.

42. Velle, absque ullo certo principio judicare, esset, vagari extrà regulas, ubi regulæ adsunt.

43. Certitudo in moralibus cadere potest, vel suprà veritatem judicii, vel suprà bonitatem, & rectitudinem operationis.

44. Certitudo sufficiens ad prudentiale judicium, non debet necessariò tanta esse, quà major hic, & nunc haberi non possit, certitudine se tenente ex parte rectitudinis operationis.

45. Probatur, quia nemo tenetur ad id, quod melius, & tutiùs est.

46. Explicatur idipsum.

47. De ratione regulæ est, modum præscribere, quem attingens operans, rectè agit, & à quò deficiens malè operatur.

48. Ad prudentiale Judicium requiritur necessariò, & sufficit certitudo, quà major hic, & nunc haberi non potest, certitudine se tenente ex parte veritatis. Ex Divo Augustino.

49. Probatur, quia aliter operans, si contingat errare, errat errore vincibili.

50. Probatur item, quia aliàs prudentiæ judicium posset esse falsum, quod est inconveniens.

51. Idem summariè comprehenditur.

52. Ad prudentiam pertinet præferre majus bonum minori bono, & consequenter imprudentiæ est absque rationabili causa minùs bonũ eligere, relicto meliori.

53. Actus circà minùs bonum comparativè ad melius, quomodò indifferens dici potest?

54. Explicatur, quomodò stare possit, quòd eligens minus bonum vitiosè agat.

55. Ut plurimùm non est, nisi veniale peccatum, nisi addatur alia circunstantia mortalis.

56. Certitudo, quam ad prudentiale judicium requirimus, est certitudo veritatis practicæ in sua regula, & fundamento, veritate scilicet speculativa.

57. Tota veritas, & certitudo practica præcontinetur

in

in speculativa; id tamen, quod sufficit judicio practico, ut absolutè verum, & certum dicatur, non sufficit speculativo ex natura ipsius speculationis.

58. *Rectitudo inseparabilis est à veritate practica, proportione servata; ità scilicet, ut certitudo necessaria correspondeat veritati practicæ, quæ se habet per modum regulæ necessariæ; rectitudo verò superexcedens correspondeat veritati practicæ, non per modum regulæ, sed potiùs cujusdam ipsius regulæ extensionis.*

59. *Certitudo, quam requirimus, est, quà major haberi non potest inter membra contradictionis, non extrà.*

60. *Inter dubium, & certum, datur opinativum etiam in moralibus.*

61. *Dux imprudenter, absque morali certitudine victoriæ, hostes aggreditur; nisi aliàs ex necessitate compellatur.*

62. *Irridendus pariter mercator lucrum quærens, ubi ut plurimũ damna sequuntur.*

63. *Medicus imprudenter, & infideliter medicinam daret ambiguam, certiori postposita, quomodo id possit ad experiendum pharmacum.*

64. *Finis ludi non est lucrum, sed animi sublevatio, ludens autem ad lucrandum vitiosè agit; & adhuc magis imprudenter, si absque morali certitudine lucri.*

65. *Sortibus modicum exponens cùm aliqua spe magni lucri, prudenter agit, secus è contra.*

66. *Citatus à Judice prudenter agit, si ex obedientia compareat, respectu etiam propriæ salutis ad vitandum pejus.*

67. *Quomodò intelligendum sit illud Proverbiorum 23. Prudentiæ tuæ pone modum?*

68. *Conclusio immediatè deducta ex certis principiis scientifica est; non tamen omnis, quæ mediatè solùm deducitur.*

34. QUæritur ergò tertiò. Quænam certitudo requiratur in conscientia, ut certò ac prudenter operemur? Præmittendum fuit dubium hoc, ut ad aliud resolvendum procedamus, quomodò scilicet du-

dubia conſcientia deponenda ſit, & certa formanda, ne in operatione errare cõtingat? Inſuper ex hujus reſolutione cætera quoque dependent, quę de conſcientia remanent conſideranda. Patet autem ex dictis, quòd aliqua certitudo exigitur in judicio conſcientiæ, nè periculo erroris, & peccati nos exponamus: difficultas eſt ergò, quæ, qualis, & quanta iſta certitudo eſſe debeat? Res planè difficilis, ac periculoſa, utpotè fundamentum, ac baſis totius moralis doctrinæ. Pro modulo tamen ingenii noſtri, divina ope, ac Angelici Præceptoris implorato ſuffragio, tantam aſſumimus Provinciam, & quidem, ut ſpero tuto, evidenti, ac brevi regendam calamo.

35. Supponendum eſt autem in primis, ad rectitudinem operationis non requiri omnimodam certitudinem judicii, ad quam in moralibus, ut plurimùm, pertingere, non valemus; cùm circa ſingularia verſemur, quæ defectibilia, & contingentia ſunt: non ergo exigenda eſt certitudo logica, ut ait *Mercorus p.1.art.15* Certum enim certitudine logica, ſeù metaphyſica eſt, quod, implicat, eſſe falſum. Debet igitur moralis certitudo ſufficere, quà attentis circunſtantiis, & communiter accidentibus, non poteſt res aliter ſe habere, quamvis abſolutè poſſit; puta; certũ eſt moraliter, quod publici Notarii fide firmatur, licèt abſolutè aliter eſſe poſſit, puta, ex malitia ipſius Notarii: Nec enim aliud rationabiliter exigi poteſt ab humana fragilitate.

36. Hinc evidenter deducitur, moralem certitudinem, & quæ ſufficere debet ad prudentiale judicium rectificans humanam operationem, compati poſſe, nec neceſſariò omnem penitùs formidinem excludere; Ex quo enim intellectus, vel non cõvincitur perfecta ratione evidenti, vel certa fide, ſeù Divina, ſeù humana non captivatur, naturaliter non niſi cum aliqua formidine aſſentitur. Cùm autem in pluribus, nec omninò certam fidem, nec evidentiam habere poſſimus; neceſſariò aliqua remanet for-

formido; quæ si destrueret moralem certitudinem, & prudentiale judicium, vix aliquandò prudenter, ac tuti in cōscientia operari possemus. Et certè juxta documentū Apostoli ad Philip. 2. Quod cum metu, & tremore nostram operemur salutem; sæpè quidem timoratæ conscientiæ viros, ac Sanctos formidinem experiri, negari non potest. Undè magnus inquit Greg. 5. *Moral.* cap. 4. *Sancti viri, cùm mala superant, sua etiam benè gesta formidant; nè, cùm bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur, nè pestifera labes putredinis sub boni specie lateat coloris.*

37. Neque dici potest, quòd hujusmodi formido solummodò speculativa sit, non practica, scilicet non descendens ad opus. Nam præterquàm quòd intellectus trepidare non desinit, quousque per aliquam evidentem rationem certioretur; vel certè per aliquod motivum extrinsecum saltèm, puta, gravem authoritatem, vel fidem, firmetur. Experientia docet, quòd multotiès recta omninò intentione, ac veritatis exacta disquisitione præmissa, non sinè formidine opus aggredimur, quam quidem expellere, non valemus. Nimis autem esset durum, prò hujusmodi formidine opus damnare.

38. Meliùs ergò dicitur, meo videri, cùm citato Mercoro; quod hæc formido logica est, non moralis, & cùm ipsa morali certitudine compatibilis; Cùm enim certitudo moralis minor sit certitudine logica, seù metaphysica, non est necesse, quòd omnem prorsus formidinem excludat, sed sufficit, quòd moralem excludat formidinem, cùm quà pugnat.

39. Totum ergò difficultatis robur est in assignādo; Quid tandem requiratur, & sufficiat ad moralem certitudinem. Et concors est DD. sententia, requiri, & sufficere id, quod requiritur, & sufficit ad formandum Prudentiale judicium; ipsa namque Prudentia est recta Ratio agibilium. Sed valdè magnū est dissidium, & controversia quidnā exigatur ad prudens judicium.

40. Pro

40 Pro quo notandum, quòd ideò incertæ ſunt providentiæ noſtræ, ut dicitur *Sap.* 9. quia, cùm Prudentia non dicat ſimplicem veritatis cognitionem, ſed applicationem ejuſdem ad opus; nec poſſit aliquis convenienter unum alteri applicare, niſi benè utrumque cognoſcat; hinc eſt, quòd ad Prudentiam exigitur, nõ ſola conſideratio veritatis in communi, ſed & potiſſimùm ipſius operis, cui applicanda eſt: Cùm autem ſingulares ſint operationes, neceſſe utique eſt, quòd Prudentia ipſa ſingularia cognoſcat, & conſideret; Singularia verò quodammodò infinita ſunt, nec ſemper eodem modo contingunt, ac proindè, nec poſſunt humana ratione comprehendi. Hinc fit inſuper, quòd humana Prudentia non poſſit in ſuo judicio certitudinem habere omnimodam; ad hanc enim requireretur, quòd omnia ſingularia cognoſceret. Sufficit ergo ad Prudentiã, quod Prudens cognoſcat ſingularia ſecundùm quod, ut in pluribus accidunt, ut expreſsè docet S. Thom. 2. 2. *q.* 47. *art.* 3. *ad ſecundum*.

41. Licèt ergò Prudentia, ut ait Philoſ. 6. *Ethicor.* cap. 6. Scientia nõ ſit, quia id, quod in actionem venit, eſſe aliter poteſt, nihilominùs in ſcientia fundatur, ſeù in principiis omninò certis, & infallibilibus, à quibus perindè certitudinem aliquam participat, licèt non omnimodam. Debet ergo judicium Prudentiæ per modum concluſionis ex aliquo principio certo deduci per applicationem ipſius ad particularem operationem; Itàut ſyllogiſmus conſtet ex una ſaltèm præmiſſa certa, & alia certa ſaltèm certitudine experimentali, quà ſcilicet penſatis omnibus, quæ ut plurimùm accidunt, vera putetur: Niſi enim una ſaltem pręmiſſa certa eſſet, non haberet concluſio, undè certitudinem participaret.

42. Dices fortè, ſufficere, quòd utraque præmiſſa certa ſit certitudine experimentali, & ſecundùm quod in pluribus accidit; cùm non major certitudo in concluſione requiratur. Cæterum

terùm; licèt hoc absolutè admitti posset, ubi certa principia deficerent. Cùm tamen habeamus in moralibus principia omninò certa, quæ perindè regulæ sunt generales operationũ; velle absque ullo certo principio judicare; idem esset, ac vagari extrà regulas, ubi regulæ adsunt. Omissis etiam aliis speculationibus, ac sophismatibus, ad resolutionem accedendo.

43. Insuper advertendum est; Certitudinem in moralibus cadere posse, vel suprà veritatem Judicii, vel suprà bonitatem, & rectitudinem operationis. Primo modo dicitur aliquis habere moralem certitudinem, quandò, attentis omnibus circunstantiis, judicium ipsius verum est, seù pro vero habetur. Secundo autem modo, quandò operatio, quam ex tali judicio eligere debet, attentis pariter omnibus, bona est. Putà, Dubium est, an sufficiat, quòd Pœnitens ad Confessionem accedat cùm sola attritione, vel necessariò contritio requiratur? Cõsideratis omnibus considerandis, moveor ad asserendum, sufficere solam attritionem; jam sum certus moraliter de veritate mei judicii; Cùm autem judicium ipsum regula sit operationis; ex quo judicium certum est moraliter de veritate; operatio illi cõformis certitudinem habebit de Bonitate; ac rectitudine. His positis.

44. Dicendum est primò. Ad moralem certitudinem sufficientem ad prudentiale judicium, non exigitur necessariò, quòd tanta sit, quà major haberi non possit hic, & nunc, attentis omnibus circunstantiis; certitudine se tenente ex parte bonitatis, & rectitudinis operationis. Quod idem est, ac dicere; Non tenetur Prudens, eligere semper, quod tutius est. Possidet, v. gr. Petrus agrum, suprà quem jus prætendit Paulus, & quidem rationabili fundamento, nihilominùs prævalent aliqualiter pro Petro rationes: habet ergò Petrus certitudinem moralem de sua licita possessione, præcipuè roboratus à regula, quòd in dubiis melior est conditio possidentis: Si tamen

men cederet agrum, aut cōcorditer cum Paulo divideret, magis certus esset, quòd benè, ac tutò operaretur, omnimodam enim haberet certitudinem. Dicimus ergò, quòd, ut Petrus prudentialiter, ac licitè agat, sufficit illi certitudo moralis, quam habet de sua licita possessione, quamvis majorem certitudinem habere posset de sua bonitate, ac rectitudine, cedendo, aut concordando. Ista conclusio admittitur ab omnibus, nec certè rationabiliter in dubium revocari potest.

45. Et probatur manifestè. Nemo tenetur ad id, quod melius, & tutius est, melius enim, ac tutius comparativa sunt, undè supponunt aliud extremum bonū, ac tutum: Si autem teneremur ad id, quod melius, ac tutius est; extremum comparationis non esset bonum, nec tutum, immo malum; quia malum est, omittere id, ad quod tenemur; esset ergò implicātia in terminis: Atqui, si ad Prudentiale judicium requireretur certitudo, quà major haberi non posset, ex parte bonitatis, & rectitudinis, hoc certè sequeretur; nam data quacumque certitudine in parte opposita, semper id, quod melius, ac tutius est, majorem habet certitudinē suæ rectitudinis, & bonitatis; non ergò exigitur necessariò ad prudentiale judicium tanta certitudo ex parte bonitatis, quà major haberi non possit.

46. Probatur secundò, & magis explicatur idipsum. Judicium, & opus undequaq; regulis conforme, & nulla ex parte dissonum, prudens, & rectum est: At potest esse iudicium, & opus undequaquè conforme regulis, & nullâ ex parte dissonum, absque tantâ certitudine: Illa igitur necessariò non requiritur. Minor, in quà potest esse difficultas, probatur manifestè in allato exemplo. Si judicium dictans Petrum licitè posse retinere agrum, illiusque retentio alicui regulæ non conformaretur; maximè regulę dictanti melius esse cedere, vel concordare; non enim alia videtur assignabilis: Sed etiam huic regulæ conformatur illud

judi-

judicium, & retentio; prædicta enim regula permittit, & approbat retentionem, quippè regula dictans aliquid melius; jam supponit aliud bonum; melius enim non est, nisi comparativè ad bonum; licèt ipsi præponatur, seù illud excedat: ergò &c.

47. Declaratur ampliùs idem, ac roboratur. De Ratione regulæ est, modum præscribere, ac determinare, quem attingens operans, rectè agat, & à quo deficiēs, vel devians, malè operetur. Et quidem, si regulæ modus in indivisibili consistat, nedùm defectus, sed excessus quilibet vitiabit opus; ut præcipuè in mathematicis mensuris. Si autem non in indivisibili cōsistat, sed latitudinem quandam admittat modus à regula præscriptus; defectus quidem vitiabit opus, at excessus non semper, sed tantummodò, quando cùm in ipso modo incompatibilis est, ejusque destructivus, at verò, si ipsū perfectè contineat, & aliquid addat perfectius, non solùm opus non vitiabitur, sed excellens erit: Cùm hoc tamen, quòd tali excellentia carens, modò cum regula necessaria sit conformis, bonum adhuc, & perfectum erit. Si quis v. gr. in latino sermone regulas omnes à Grāmatica præscriptas observet, benè utique, ac rectè latinè loqui dicitur: Si autem præter exactam regularū observationem, elegantiarum cultu loquatur, non solùm benè, sed optimè loquetur; Ita pariter in moralibus; ut quispiam rectè, ac prudenter judicet, ac operetur sufficit, quòd operetur juxta necessarias regulas; quòd autem ipsas excedit excessu non destruente, sed compatibili, immò perficiente, meliùs quidem aget; non autem ob hoc malè, qui ad hanc perfectionem non pertingit.

48. Dicendum est secundò. Ad Prudentiale judiciū requiritur necessariò, & sufficit certitudo, quà major, hic, & nunc haberi non possit, pensatis omnibus circunstantiis, certitudine se tenente ex parte veritatis. Quod idem est, ac dicere. Prudens judicium debet ferri secundùm id,

quod verisimiliùs apparet, facta debita diligentia, & circumspectione. Traditur hæc assertio expresse à S. P. August. libr. 1. *contra Acad.* cap. 4. ubi ait: *Quisquis minùs instãter, quàm oportet, veritatem quærit, is ad finem hominis non pervenit. Quisquis autem tantùm, quantùm homo potest, ac debet, dat operam inveniendæ veritati, etiamsi eam nõ inveniat, beatus est*, (seù eximitur à peccato) *totum enim facit, quod ut faciat; ità natus est*. Ex quibus.

49. Probatur primò cõclusio. Judicium Prudentiale tantam exigit certitudinem, quanta requiritur ad hoc, quòd operans juxtà illud benè operetur, & peccare nõ possit; ex hoc enim, quòd actio prudens est, seù prudenter elicita, bona est, utpotè conformis rectè rationi, quæ in operabilibus est ipsa Prudentia; undè implicat omninò, quòd idem actus prudenter sit elicitus, & malus: Sed hæc certitudo haberi nequit, nisi feratur judicium secundùm id, quod verosimiliùs apparet, ergò ad prudens judicium hoc requiritur.

Probatur minor. Judicium in operabilibus est fallibile, utpotè dependens à singularibus, quæ humanitùs comprehendi non possunt, ac perindè, quod prudentialiter judicatur licitum, in re potest, illicitum esse; ergò, ut peccare non possit sequens prudens judicium, hoc necessariò ferri debet secundùm id, quod verosimiliùs apparet.

Probatur consequentia, aliàs enim judicans licitum actum, qui est illicitus in se, omninò peccat: quod manifestè probatur, nam talis errat errore vincibili, qui non excusat: error enim, qui commodè vinci, & superari potest vincibilis est. Proferens autem tale judicium, vel congruam adhibet diligentiam ad veritatem inveniendam; vel non; Si non adhibet, jam utique ipsi error invincibilis dici nõ potest, ut clarè patet. Si verò cõgruam adhibeat diligentiam, aut ipsi verisimiliùs apparet id, quod judicat, vel minùs verisimile; Si primum, habemus intentum; Si secundum, omninò

vin-

vincibiliter errat, supposito, quòd in re aliter se habeat: quod probatur manifestè.

Fugiens, vel terga vertens veritati, non potest dici, veritatem invincibiliter ignorare: Sed iste in re fugeret à veritate, ipsiq; terga verteret. Cùm enim veritas una sit, non potest in duabus oppositis partibus inveniri. Si ergò veritas apparet ipsi in alia parte verisimilior, & ipse ad aliam declinat, utique fugit à veritate: Etenim quandò aliquid est occultũ, quærendum est per ejus vestigia, & signa, qui verò signa, & vestigia relinquens, alio diverteret, non verè illud quæreret, immo ab illo se imprudenter elongaret. Ergò dùm veritas occulta est, quærenda erit, ubi aliquod ejus vestigium, impressio, aut similitudo apparet, quæ si quis deserat, & alio declinet, à veritate ipsa declinare, seseque ab ea elongare potiùs, quàm verè quærere, censendus est.

50. Probatur secundò, seù magis idem explicatur: Prudentiale judicium adeò certum esse debet, & verum, ut ipsi nullo modo possit subesse falsum; at si judiciũ non feratur secundum id, quod verisimilius apparet, congrua facta diligentia, posset illi subesse falsum: ergò necessariò taliter ferri debet. Major probatur, & explicatur. Prudentia est virtus intellectualis perficiens ipsum Intellectum practicum, ut ex Philosoph. 6. *Ethicor.* docet S. Doct. *p.* 2. *q.* 57. *artic.* 4 *&* 5. de ratione autem virtutis est, quòd sit determinata ad bonum; est enim bona qualitas, quà rectè vivitur, & quà nullus malè utitur, ut ex August. tradit idem S. Doct. *q.* 55. *art.* 4. & ex Philosoph. 2. *Ethicor.* Virtus est, quæ bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit. Bonum autem Intellectus est verum; undè, & Prudentia ipsa dicitur recta ratio agibilium. Non potest ergò Prudentiæ Judicium esse falsũ: aliàs Virtus non redderet absolutè, & universaliter bonũ opus habentis ipsam, undè propter hoc excluditur opinio à ratione Virtutis, quia potest esse falsi; ut ait D. Thom. *q.* 52. *art.* 2. *ad tertium*.

Minor etiam probatur, & expli-

explicatur ex eodē S. Doct. *art. 5. ad tertium*, & ex his, quæ suprà diximus. *Alitèr* enim, ait S. Doct. *accipitur verum Intellectus practici, quàm verum Intellectus speculativi, ut dicitur in 6. Ethicor. nam verum intellectus speculativi accipitur per conformitatem Intellectus ad rem, verum autem intellectus practici accipitur per conformitatem ad appetitum rectū:* Hoc est, non secundùm id, quòd in re est, sed secundùm id, quod conducit ad dirigendum ipsum appetitum ad rectum finem ab illo jam intentum. Prudentia enim, & ejus directio non est de fine, sed supponit jam appetitum rectificatum per intentionem boni finis, & ut ad ipsum pertingat, dirigitur, & ordinatur à prudentia; ut cùm D. Thom. ibidem docent ejus Expositores. Cùm igitur in moralibus finis intentus sit honestas; tunc judicium dicitur verum, quandò appetitum ipsum honestum reddit circà ea, quæ sunt ad finem. Hoc supposito.

Sic probatur minor. Si judicium non feratur, secundùm id, quod verisimiliùs apparet, non esset sufficiens ad rectificandum appetitum, sed posset contingere, quòd appetitus illud sequens malus esset: ergò judicio illi posset subesse falsum. Antecedens probatur. Voluntas appetens malum, mala est, nisi aliundè excusetur, sed excusari non potest, pro quantò facit ad præsens, nisi ex ignorantia, & errore invincibili: ergò, si judiciū vincibiliter erret, voluntas mala erit; Atqui si judicium latum non sit secundùm id, quod verisimilius apparet, vincibiliter errat, ut satis ostensum est; ergò voluntas mala esset, ac per consequens judicium nullam veritatem, neque practicam haberet, quod repugnat judicio Prudentiæ.

51. Tota ergo vis, ratio, & fundamentū nostræ conclusionis est. Quòd Prudētiæ Judicium aliquo modo verum esse debet, cùm debeat esse recta ratio regulans, & honestam reddens operationē illi conformem: Cùm autem cōtingere possit, quòd judicium falsum sit,

ſit, quòad veritatẽ ſpeculativam, ſeù adæquationem ad rem in ſe; niſi verificetur per invincibilitatem, nullo modo verum erit. Si autem judicium non feratur ſecundùm id, quod facta debita diligentia, veriſimilius apparet, non poterit ex invincibilitate verificari, ac proindè, nec prudens eſſe.

52. Objicies primò contra primam concluſionem. Ex D.Thom. 2.2. *q.* 53. *artic.* 5. ſed contrà. Ad Prudentiam pertinet, præferre majus bonum, minùs bono: ergò deſiſtere à meliori, pertinet ad imprudentiam, ſed omninò melius eſt eligere, quod tutius eſt: ergò prudens tenetur, ſemper eligere tutius, & alitèr eligens imprudens eſt.

Reſpondetur ex Medina *p.* 2. *q.* 88. *art.* 1. *con.* 4. cui etiam adhæret Monteſinos. Quod actus contrà conſiliũ; ac per conſequens minori bono, relicto meliori, adhærens, de ſe malus non eſt, ſed indifferens ex objecto, in actu tamen exercito, ſeù in individuo elicitus, vel bonus, vel malus eſt, juxtà ea, quæ ſupra tradidimus. Si ergò relinquens majus, & perfectius bonum, ex aliquo bonō, & honeſto fine moveatur, puta, ſi quis Uxorẽ ducat ad providendum familiæ, cui aliàs nõ ità commodè providere poſſet, benè agit; Si autem, ut libidinem expleat, malè, ſaltèm venialiter. Ità ergò ad Prudentiam pertinet, majus bonum præferre minori, ac proindè minùs, præferre majori, imprudentiæ eſt; quandò nullum adeſt rationabile, & honeſtum motivum; quandò verò ex aliquo rationabili motivo minus bonum prȩeligitur, prudenter fit; majoris tamen prudentiæ eſſet, motivo non obſtante, modò neceſſarium non ſit, meliori adhærere. Quarè hoc eſt excellentis Prudentiæ, illud Prudentiæ neceſſariæ.

53. Sed videtur hæc doctrina contradictionem involuere. Actus enim minori bono adhærens bonus eſt; cùm actus ab objecto ſpeciem deſumat; quomodò ergò indifferens vocatur? Deindè, ſi melior eſt actus majori bono adhærens, ergò bonus adhærens minori; melius

lius enim eſt comparativum ad bonum. Et certè, Matrimonium contrahere, de ſe bonum eſt, non indifferens.

Ad hæc dici poſſet, quòd hujuſmodi actus non dicuntur indifferentes abſolutè, & ex genere ſuo; ut ſic enim boni ſunt, utpotè ad bonum determinati, & non vitiantur, niſi per defectum alicujus circunſtantiæ. Dicuntur autem indifferentes per comparationem ad melius bonum, ut ſic enim benè, & malè poſſunt eligi: Si enim ex honeſto motivo, benè, ſecùs malè: Sed quidquid ſit; an verè, ut ſic, indifferentes dici debeant.

54. Certum eſt, quòd ſi per ipſos poſtponatur melius bonum abſque rationabili motivo, vitiantur, & mali ſunt; eo modo, quo ſtudium in ſe bonum eſt; ſi autem impeditivum ſit alicujus præcepti, malum redditur. Præceptum eſt autẽ Prudentiæ, melius eligere, ubi aliquod honeſtum, & rationabile motivum ad minùs bonum non inclinat. Cùm autem dicitur, quòd actus circà minùs bonum, bonus eſſe debet, quia melius non dicitur, niſi comparativè ad bonum. Dicendum in primis, quòd melius dicitur comparativè ad minùs bonum, ut eligibile ex honeſta cauſa, & motivo, ut dictum eſt. Si autem velis, quòd melius dicatur comparativè ad minùs bonum, etiam ut eligibile, utcumque; Dicatur, quòd comparatio fit inter extrema ſignatè, non exercitè, hoc eſt inter ipſa, quæ de ſe bona ſunt abſolutè, non quòd utrumq; bonum permaneat in actu exercito, ſi minùs bonum abſque rationabili motivo meliori præferatur; tunc enim ex defectu honeſti finis, qui debet in omni humana operatione inveniri, vitiatur. Vel quòd in idem redit. Comparatio tenet in ſenſu diviſo, hoc eſt inter melius, & id, quod aliàs bonum eſſet, licet minùs; non autem in ſenſu compoſito prçelectionis minoris boni, abſque rationabili cauſa.

55. Hic tamen advertite; Quòd eligens minùs bonum, relicto meliori, abſque rationabili cauſa; ſiquidem

ex aliquo malo fine movetur, peccat malitia ipsius finis, quæ tanquàm circunstantia, refunditur in ipsum actum eligendi minùs bonũ, juxtà superiùs dicta de circunstantiis. Si verò ex aliquo fine de se indifferenti, vano, ac inutili, peccabit per otiositatem. Otiosum est enim, quod caret justa necessitate, vel pia utilitate. Undè, ut plurimùm, adhærere minori bono, relicto meliori, non est plùs, quàm veniale peccatum, nisi addatur malitia finis mortalis.

56. Objicies secundò. Veritas practica, ut dicebamus ex D. Thom. sumitur per conformitatem ad appetitum rectum; ac per consequens idem est, judicium esse verum practicè, ac rectam reddere operationem illi conformem. Tùm sic: Per nos, ut habemus in secunda conclusione, ad prudentiale judicium requiritur necessariò certitudo ex parte veritatis, quà major, hic, & nunc haberi non possit: ergò requiritur eadem certitudo ex parte rectitudinis operationis. Probatur consequentia. Certitudo, quam exigimus ex parte veritatis, debet esse certitudo practica, seù veritatis practicæ, hanc enim importat judicium prudentiale, nam quoàd veritatem speculativam, potest prudentiale judicium falsum esse, ut vidimus; sed veritas practica inseparabilis est à rectitudine operationis, & per necessariam consequentiam una infertur ex alia: ergò certitudo rectitudinis non potest excedere certitudinem veritatis; immo, si aliquis dari potest excessus potiùs ex parte veritatis esse debet, cùm ista sit regula, & causa rectitudinis, ac per consequens, si necessaria est ex parte veritatis tanta certitudo, quà major haberi non possit; eadem necessaria erit ex parte rectitudinis, aliàs posset rectitudo, quæ est regulata, excedere in certitudine suam regulam, quod videtur absurdum. Certitudo siquidem veritatis est tota in rectitudine, cùm veritas practica in rectificãda operatione consistat; hæc autem per nos majorem non potest habere certitudinẽ, & rectitudo ipsa majorem posset habere.

Respondetur negando consequentiam: ad probationem distinguo majorem. Debet esse certitudo veritatis practicæ ultimatè, & formaliter, nego, fundamentaliter, & originativè concedo. Itaque, ut sæpè dictum est, Judicium practicum in speculativo fundatur, & ab illo regulatur; ac perindè veritas practica in veritate speculativa fundari, & ab illa regulari debet; intantùm enim judicium veritatem habet practicam, qua rectificat operationem, in quantùm judicatur, verè in re ità esse, sicut ipsum judicat, quod est, esse verum speculativè, & per conformitatem ad rem. Cujus evidens est signum, quòd omninò imprudenter judicaret quispiam, actum esse licitũ, si verè sentiret, in re licitum non esse: Ad hoc ergò, ut prudenter judicet, & veritatẽ habeat practicam, præcedere in ipso debet cognitio veritatis speculativæ, seù conformitatis ad rem, ut in se est. Quia tamen ista veritas, & conformitas in moralibus omninò certò, & infallibiliter attingi non potest; sufficit, quòd attingatur, secundùm quod in pluribus accidit, & quod magis ad ipsam veritatem videtur accedere. Quandò ergò dicimus in conclusione, requiri certitudinem, quà major haberi non possit ex parte veritatis: intelligi debet de veritate quidem practica, non in se, & formaliter considerata, sed in sua regula; fundamento, & origine, veritate scilicet speculativa. Hæc enim veritas est antonomasticè; cùm veritas absolutè dicatur conformitas intellectus ad rem, quæ speculativa veritas est.

57. Sed quomodò, inquies, Veritas practica majorem certitudinem habere potest, quàm ejus regula, scilicet veritas speculativa? Immo quomodò stare potest veritas practica, & speculativa falsitas, si hæc regula illiùs est? Patet autem, quòd in habente invincibilem errorem datur circà eundem actum falsitas speculativa, & practica veritas, cùm operatio recta sit.

Respondetur ad hoc. Quòd tota veritas practica præcontinetur in speculativa,

va, ac proindè non major est certitudo veritatis practicæ; quàm speculativæ: neque stat falsitas judicii speculativi, inquantùm regula est, cùm ipsa veritate practica. Explicatur hoc totum. Veritas, ut mox dicebamus, consistit in conformitate ad rẽ, quam conformitatem non excludit practica veritas, aliàs nullo modo veritas dici posset: licèt enim dicatur veritas per conformitatem ad appetitũ rectum, non ad rem; id est, quia veritas hæc tota est ad rectificandum ipsum appetitum in ordine ad rectum finem præintentũ; ad quod nõ exigitur conformitas ad rem, secundùm id, quod verè in re est; sed benè requiritur conformitas ad rem secundùm id, quod esse deberet, attentis rationibus, & circunstantiis, ut plurimùm occurrentibus, secundùm quam conformitatem formatur judicium speculativum, quod perindè non dicitur absolutè certum, & verum; quia de ratione speculativi est conformitas absoluta cùm re secundùm quod est in se; præcontinet nihilominùs ipsum judiciũ speculativum practicam veritatem, quia verè dictat, & judicat secundùm id, quod, ut plurimùm, esse deberet; ac per consequens secundũ hoc habet conformitatem ad rem. Hæc tamen conformitas non sufficit ad reddendũ ipsum judicium absolutè verum, & certum, sed tantùm probabile, eò quia veritas absoluta, & speculativa importat adæquatam conformitatem ad rem, ut est in se; & absoluta certitudo excludit omnẽ formidinem, ità ut nullo modo alitèr possit se habere. Non est ergò, quòd judicium speculativum regulans dubium, vel falsum sit; & practicum, & regulatum verum, & certum, si judicium speculativum, ut regula sumatur, ut sic enim habet totam veritatem, ac certitudinem, quam habet practicum, & regulatum, est enim conforme ad rem, secundùm id, quod regulariter accidit, & vera est regula, & certa certitudine experimentali, & ut in pluribus. Sola differentia est, quòd hæc veritas, & certi-

tudo sufficit, ut absolutè verum, & certum dicatur judicium practicum, & rectã reddat operationem; non tamen sufficit, ut absolutè verum, & certum dicatur speculativum, quod omnimodam certitudinem, & conformitatem exposcit ex natura ipsius speculationis. Hæc dicta sint, ut meliùs percipiatur ordo regulationis prudentialis, & concordia practici cùm speculativo judicio.

58. Cæterùm ad objectionem faciliùs responderi potest; negando consequentiam. Ad probationem, admissa majori, distinguo minorem: Inseparabilis est, & una infertur ex alia, utcunque, nego; proportione servata, concedo minorem; Et eodem modo distinguitur consequens. Itaque, sicut in operatione duplex dari potest rectitudo, ità illi duplex correspondet veritas practica. Dari enim potest in operatione rectitudo necessaria, quà deficiente, operatio recta non esset, & rectitudo superexcedens, seù ad meliùs esse, non simpliciter operationẽ rectificans, sed ipsam reddens perfectiorem. Ità datur in judicio veritas practica per modum regulæ necessariæ, & veritas, non per modum regulæ, sed potiùs per modum extensionis cujusdam ipsius regulæ. Rectitudo ergò necessaria inseparabilis est à veritate regulæ, & ex illa infertur; at rectitudo superexcedens, & perfectiva non infertur necessariò ex regula, neque ab illa inseparabilis est: sed correspondet veritati extensivæ, per quam infertur, & à quà inseparabilis est. *Sit exemplum*. Nè Petrus injustè *retineat* agrum, de quo *dubitatur*, an verè sit illius; ex omnibus rationibus, & circunstantiis regula necessaria ervenda est, quæ justã ipsius agri possessionẽ reddat; omnibus ergò benè perpensis, judicium profertur, licitum, & justum est, agrũ possidere. Hæc est regula necessaria, quà non extante, possessio recta esse non potest. Vult nihilominùs Petrus majorem suæ licitæ possessionis certitudinẽ habere; conveniensq; Paulum prætensorem, offert illi ali-

quid

quid, ut libenter cedat, si quod Jus haberet in agrum; formatque judicium. Bonum est, dare aliquid Paulo, ut cedat juri suo. Hoc judicium non est regula, quia non imponit obligationem, neque modum præscribit, quem præterire, nefas sit: de ratione autem regulę est, obligare ad modum ab ipsa præscriptum, ità, ut, ab eo deficere, sit obliquum, & malum. Habet nihilominùs rationem extensionis, & perfectionis ipsius regulæ, quia modum à regulà præscriptum perfectè continet, & aliquid insuper addit; nō ipsius destructivum, sed perfectivum. Modus enim, quem ponit regula, est justa possessio, quam includit secundùm judicium, & ęquiorem reddit. Primum ergò dictat sufficiens, secundum superabundans. Nec unum destruit aliud, nam primum judicium absolutè dictat justam possessionem absque alio addito, vel requisito; non tamen illud excludit, sed permittit. Secundum pariter nō destruit primum, quia non dictat, hoc superadditū esse necessarium ad justam possessionem, sed tantùm, esse quid melius. Quandò igitur in conclusione dicimus, requiri certitudinem, quà major esse non possit, ex parte veritatis, intelligi debet de veritate regulæ, non supra regulam, quæ veritas necessaria non est, ut ampliùs ex dicendis constabit.

59. Objicies ergò primò contrà secundam Conclusionem. Stat recta, & prudens operatio cùm certitudine judicii, quà major haberi potest, ut patet in casu posito; nam Petrus rectè, ac prudenter possidet agrū ex certitudine judicii, quod ex majori probabilitate dictat licitam possessionem, majorem tamen certitudinem habet hoc aliud judicium. Bonum est, convenire cùm Paulo, ergò &c.

Respondetur ex dictis, distinguendo antecedens, quà major haberi potest, certitudine regulæ, nego, supra regulam, concedo. Vel etiā claritatis gratia, & ad ubertatem doctrinæ dici potest. Certitudinē veritatis, quam exigimus, esse certitudinem, quà major haberi non possit in-

inter membra contradictionis, non extrà. Certitudo autem talis judicii est major quidem, sed illud judicium non est membrum contradictoriè oppositum ad judicium, quod habet Petrus pro regula; non enim quid illi contrarium dictat, vel repugnans, sed cùm illo benè compatibile. Hic ergò est sensus conclusionis, quòd ad prudentiale judicium ferendum, quærenda est inter membra contradictionis veritas, scilicet inter hoc, quòd est, actum esse licitum, vel non; & pro quà parte major est certitudo veritatis, pro illa judicium ferendum est, & in hoc nulla exceptio admittenda.

60. Objicies secundò. Intellectus judicans probabiliter, quamvis non habeat tantam certitudinem, quam nos requirimus, non est moraliter dubius: ergò est moraliter certus; ac per consequens judicium ejus est prudens; cùm sufficiat ad Prudentiam certitudo moralis.

Respondetur, negando consequentiam, nam inter dubium, & certum datur mediũ, scilicet opinativum, nedùm in speculativis, sed etiam in practicis, & moralibus.

61. Objicies tertiò, & potest esse instantia præced. Sola probabilitas ad prudẽter operandum sufficit: ergò probabile, est certum moraliter, ac per consequens &c. Probatur antecedens pluribus experientiis. Primò enim Dux belli cùm sola probabilitate, & spe Victoriæ aggrediens hostem, prudenter operatur. Sed ad hoc dicitur. Imprudenter omninò ducem agere, si absque necessitate hostem aggrediatur, dùm non habet, undè ex circunstantiis, & accidentibus, ut plurimùm solitis, certitudinem hauriat victoriæ; In casu tamen necessitatis, vel ad majus vitandum damnum id licèt; quia melius est, aggredi, quàm aggressionem pati, vel minori subjacere damno voluntariè, quàm vi majori.

62. Item Mercator prudenter agit, cùm sola spe, & probabilitate lucri, emendo merces, in quibus damnum ferre potest.

Et ad hoc dicitur. Irridendum est, qui lucrum, quæ-

quæreret, ubi, ut plurimùm damnum reperitur, quod tamen limita, ut infrà de sortibus, vel etiam, si fortè aliquis ex nova quadam industria, vel alitèr certam spem lucri conciperet.

63. Tertiò: Medicus potionem dat ægroto cùm sola probabilitate profectus: immo sæpè ad experiendum pharmacum.

At certè Medicus, nedùm imprudenter, sed injustè, ac infideliter ageret, si certiori postposita, medicinam daret ambiguam. Nec etiam cohonestaretur ex fine pharmacum experiendo. Hoc tamen liceret, quandò medicina non esset aliàs noxia infirmo, sed tantùm dubitaretur; an esset profutura; id, inquam, liceret, absque tamen infirmi damno, quia id cederet in commune Reipublicæ bonum, de quo infrà §. 5.

64. Qui ludunt, prudenter agunt, cùm Virtutis actum exerceant, si moderatè, & tamen vix probabilitatem habent vincendi.

Ad hoc dicitur, finem Eutrapeliæ, ad quam pertinet moderatus ludus, non esse lucrum, sed animi sublevationem, ac jucunditatem; ideò prudenter quis ludere potest absque ulla certitudine lucri, quia certus est de fine, quem intendit: Si quis autem primariò ad lucrandum ludat, vitiosè in primis agit, quia ludo abutitur; & insuper adhuc imprudenter in ordine ad ipsũ lucrum, si de eo certitudinem non habeat moralem.

65. Quintò. Prudenter agunt, qui sortibus pecuniam exponunt, cùm tamen sciant, ut plurimùm, pecuniam perdi, & raró lucrum accidere.

Dicitur ad hoc; quòd sortibus exponẽtes pecuniam; idemque dici potest de mercatore periculosum aggrediente negotium; imprudenter omninò agunt, si magni se periculo damni exponunt; prudenter tamen agere possunt, si cùm periculo parvi damni, puta modicum quid exponendo, magni lucri spem habeant, spectata conditione Personarum, & facultatum. Eò quia parum pro nihilo reputatur; maximè in comparatione magni lucri, de

quo

quo aliqua ſpes eſt, licèt incerta, tunc autem certitudo Prudentiæ non deſumitur ex lucri ſpe, quæ incerta eſt omninò, ſed ex modicitate jacturę, quæ prudenter contemnitur ex quacunq; magni lucri ſpè, quamvis incerta.

66. Deniquè. Citatus à Judice in cauſa criminali prudenter agit, ſe conſtituendo, etiam ſi certus non ſit, ſe abſque gravi damno evaſurum.

Sed iſte moveri poteſt ad comparendũ ex duplici capite. Primò titulo obedientiæ, quam debet Superiori legitimè præcipienti; an autem teneatur, & benè faciat; non eſt hic locus diſputandi; videri de hoc poteſt S. Doct. & Cajet. 2.2. *q.* 69 *art.* 4. Secundò, in quo currit argumentum, ad ſalvandum ſe,& ſic etiam prudenter agit; non quia ſit certus evadendi omninò,ſed ut majus vitet damnum, ac malum: exponit ergò ſe periculo alicujus damni ad gravius vitandum.

67. Objicies quartò. Prudens errare poteſt, ſaltẽ quantùm ad modum, juxtà illud Prov.23. *Prudentiæ tuæ pone modum*, ſed ſi ad prudens judicium tanta requireretur veritatis certitudo, quà major haberi nõ poſſet, nullatenùs poſſet errare, ut explicuimus in probatione conclusionis ergo &c.

Reſpondetur ly; *Prudentiæ*, intelligendum eſſe in caſu genitivo, & non dativo; ità ut ſit ſenſus; operationibus tuis pone modum Prudentiæ, quæ modum omnibus præbet Virtutibus. Hanc expoſitionem tradit Mercorus *p.* 1. *art.* 8. ex D. Thom. *p.* 2. ſed legendum eſt 2. 2. *q.* 47. *art.* 4. *ad tertium*.

68. Objicies quintò. Ad prudens judicium non requiritur certitudo logica, omnimoda, & ſcientifica, ut nos admittimus, atqui, hoc eſſet, ſi requireretur tãta certitudo, ergo &c. Probatur minor. Principia univerſalia ſyndereſis omninò certa ſunt, & infallibilia; ſed nulla datur actio; quæ regulari non poſſit per judicium ab ipſis univerſalibus principiis deductũ per modum concluſionis; ut enim ſuprà dicebamus, quodli-

bet

bet particulare judicium, ut ſit regula, reduci debet ad primam, ad quam non reducitur, niſi mediis principiis univerſalibus, ergò ſequeretur ex noſtra concluſione, requiri ad prudens judicium ſcientificā certitudinem. Probatur conſequentia, nam concluſio per bonam cōſequentiam ex principiis omninò certis deducta ſcientificam habet certitudinem.

Reſpondetur, negando minorem, ad cujus probationem, diſtinguo minorē. Per judicium deductum ex univerſalibus principiis, ſivè mediatè, ſivè immediatè, concedo, ſemper immediatè, nego. Licet enim concluſio immediatè à principiis certis deducta ſcientifica ſit; non tamen omnis, quę mediatè ſolùm ex principiis quantumcunque certis deducitur: eò quia ſemper certitudo decreſcit, quo magis à principio elongatur; ſicut puritas aquæ per elongationem à fonte, quia per iſtam elongationem aliquid extraneū admiſcetur: quod potiſſimè currit in moralibus, in quibus certitudo principii nō immediatè judicio particulari cōmunicatur, ſed media applicatione, quæ à ſingularibus circunſtantiis, & experimentali cognitione dependet, quæ omnia fallibilia ſunt, & contingentia. Sit exemplū, ut formē prudentialiter hoc judicium, nunc mihi eſt comedendum, ad univerſale principium recurro; puta, comedendum eſt, quandò neceſſitas vitæ ſubſtentandę poſtulat: quod quidem certiſſimum eſt; ſed ab illo nō immediatè, ac evidenter deducitur; Ergò modò eſt mihi edendum; neceſsè igitur eſt, ut illam univerſalē, ac certam veritatem applicem ad particulare Judiciū; puta nunc vitæ ſubſtentandæ neceſſitas, comedendum poſtulat, quæ propoſitio valdè contingens eſt, utpotè à multis dependens ſingularibus circunſtantiis, & ideò concluſio, quæ ſemper debiliorem ſequitur partem, nō poteſt omnimodam certitudinem habere. Dicimus ergò, quòd, ut prudenter inferatur, ergò mihi modò comedendum eſt: neceſſaria eſt tanta diligentia, quæ

moraliter fieri potest, ut de veritate illius minoris certitudinem habeam, quam possum habere, ut per illam etiam conclusio certitudinē participet. Alia multa, quæ objici possent, remittimus ad sequentia, ad quæ magis pertinent, quæque divisim elucidanda subjicimus, ut clariùs procedamus, & rem hanc gravissimam discutiamus accuratiùs.

Sequitur Summarium.

69. *Non sufficit ad formandam rectam Conscientiam, quòd aliqualiter inclinemur potiùs ad unam, quàm ad aliam partem.*

70. *Per congruam diligentiam inquirendi veritatem; Conscientià dubia deponenda est.*

71. *Quandò verò id fieri non potest; Prima regula est. In dubiis melior est conditio possidentis.*

72. *Dicta regula extendi potest ad alias quoq; materias, præter justitiam.*

73. *Possessio non juvat eligentem, sed partem eligendam.*

74. *Libertas, quam voluntas justo titulo possidet, est secundùm rationis dictamen.*

75. *Explicatur secunda Regula. In dubiis tutior pars est eligenda, quæ universalis, & præceptiva est in verè dubiis.*

76. *Ly.* Tutior, *in dicta regula intelligendum est adversativè, non comparativè.*

77. *Tertia Regula explicatur. Ex duobus malis minus est eligendum, quæ non valet, nisi urgente operandi necessitate.*

78. *Si urgeat necessitas, nec appareat, prò quà parte stet possessio, nec quæ tutior, nec quod minus malum, dividatur æqualiter, si res est divisibilis.*

79. *Si res divisibilis non est, potero, mè determinare adhuc ex levi motivo, aut etiam liberè.*

80. *Ad hæc principia reducuntur alia.*

81. *Quæ dicta sunt de Conscientia dubia, intellige pariter de suspicante.*

82. *Maturè considerandum est, an aliquis dubio, vel scrupulo laboret.*

83. *Unicum est remedium scrupulosis, ut promptè spirituali Patri, ac Magistro in*

in omnibus obediant.
84. *Cogendi sunt, ut contrà scrupulum agant.*
85. *Causæ item removendæ.*

69. QUæritur quartò. Quomodò Conscientia dubia deponenda sit; seù quid agendū, quandò Conscientia est formaliter dubia: ità scilicet, ut ex neutra parte habeatur sufficiens motivum ad formandum judicium determinatum, & moraliter certum? Quamvis enim aliqualiter inclinemur in unam potiùs, quàm in alteram partem, modò id non fiat ex aliquo motivo, ac ratione alicujus momenti, spectatis circunstantiis hic, & nunc occurrentibus, non sufficit ad formandam rectam Conscientiam, quæ regula possit esse humanæ operationis, ut satis ex dictis constat; id enim per se non sufficit in casu erroris, ut invincibilis error censeatur.

70. Certum est igitur in primis; quòd ad Conscientiam dubiam deponendam vera est via, congruam adhibere diligentiam, ut meritis causæ pensatis, eam eligamus partem, pro quà solidiores sunt rationes, & graviores authoritates, ut in sequentibus videbimus. At vero, si cùm tota diligentia moraliter possibili ratio sufficiens, & motivum non occurrat, quo moraliter certi simus de opinionis, quam eligimus, veritate, aut certè urgens operandi necessitas consulendi commoditatem non permittat; quid agendum sit, breviter in hoc dubio elucidabimus.

71. Prima igitur sit regula generalis. In dubiis melior est conditio possidentis. Hoc est, quandò aliter de veritate certificari non possumus; prudenter judicare licèt pro illa parte, pro quà stat possessio, & secundùm illam formare conscientiam. Pro cujus regulæ intelligentia notandum, quòd possessio dicitur propriè, rei corporalis detentio juris adminiculo suffulta: Ut enim Sylv.notat. V. *Possessio*, sinè jure non est Possessio, sed iniqua detentio. Et de Reg. juris in 6. reg. 36. dicitur. Quòd pro Possessore habetur, qui dolo desiit possidere. Ut igitur sit

Possessio, debet Jure; hoc est aliquo justo titulo possideri. Puta, si Petrus emit equum, de quo postea dubitatur an sit Francisci, quousque dubium liquidetur, Petrus justè possidet, & melior est ejus conditio, quia possidet, non utcunque, sed justo titulo emptionis. Si autem nullum titulum haberet, per hoc, quòd equus apud illum sit; non diceretur possidere, nec melioris esset conditionis.

72. Quamvis autem plures velint, regulam istam non habere locum, nisi in materia justitiæ, eò quia jus, & titulus faciens possessionem in sola Justitiæ materia locum habeat: Nihilominùs commodè satis, licèt non ità propriè, & in rigoroso sensu, extendi potest ad quamcunque materiam cæterarũ Virtutum; ut cùm aliis pluribus docet Jo. à S. Thom. *p.* 2. *disp.* 12. *art.* 4. Ratio autem est, quia in materia quoque aliarum Virtutum dari potest quodammodo Jus, Possessio, & titulus justæ possessionis, licet non ità strictè, & in sensu rigoroso. Hic autem titulus, & quasi Jus, vel quasi possessio facit omninò præponderare partem, pro quà stat; ac proindè, ubi clariùs apparere non potest veritas, motivum sufficiens habetur ferendi pro illa parte judicium.

Rem exemplis illustremus. Vim habet consuetudo legitimè introducta derogandi; immò totaliter abrogandi legem, rectissimè namque illud receptum est, ut leges per desuetudinẽ abrogentur. Lege de quibus ff. *de legibus*. Et D. Thom. *p.* 2. *q.* 97. *artic.* 3. docet, quòd consuetudo, & habet vim legis, & legem abolet, & est legum interpretatrix. Si ergò aliqua vigeat consuetudo contrà legem, vel Præceptum, & dubium sit, an legitimè fuerit introducta, licitè possumus, illam sequi, & si meliùs esset, legem, ac præceptum implere; quia consuetudo est quodammodò in possessione. Item, si dubium sit, an Prælatus aliquid justè præcipiat, obediendum est, quia ipse est in possessione præcipiendi. Itẽ si dubium sit, an aliquis fuerit

rit legitimè professus, judicandum est, legitimè, quia professio est in possessione. Item, si post emissum Votum dubitet aliquis, an emiserit animo se obligandi, obligatus censeri debet; quia possessio stat pro Voto; & sic in similibus.

73. Dices autem. Sequeretur ex hoc, quòd in quocunque dubio posset quis liberè, quod sibi magis libuerit, eligere; quia est in possessione suæ libertatis, quà ob dubium spoliari non debet. Propter hoc argumentum Gonet, & alii negant prædictam regulam extrà materiam Justitiæ; sequeretur enim, quòd in concursu duarum opinionum posset quilibet, eligere, quam maluerit. Idemque sentit Fagnanus, & pluribus exẽplis, ac regulis Juris probat in cap. Nè innitaris. De quo Nos in sequenti §. Pro nunc ad argumentũ negatur sequela. Possessio enim non juvat eligentem, sed partem eligendam; tunc ergò melior est conditio possidendis, quandò ex una stat parte contrà aliam, inter quos est dissensio.

74. Neque dicas, dissensionem adhuc esse inter legem, & præceptum ex una parte, & voluntatẽ ex alia: cùm ergo voluntas naturaliter suam libertatem possideat; possessio pro illa stat, & pro illa judicandum est. Etenim cùm voluntas appetitus rationalis sit, libertas, quam Jure, ac justo titulo possidet, est secundùm rationis regulam, & dictamen, ubicunq; igitur justum rationis dictamen non est; voluntas non justè, sed iniquè possidet; ac per consequens illi non suffragatur possessio. Cùm ergò in dubiis nullum sit rationis dictamẽ, quod per modum regulæ sequi possit, jus non habet, nec titulum possessionis. Quærenda igitur est ratio, & justus titulus: Pro quo sit.

75. Secunda regula generalis. In dubiis tutior pars est eligenda. Hanc non admittunt aliqui, ac potissmùm probabilistæ, tanquã præceptivam; sed solùm esse consultivam: eò quia, inquiunt ipsi, prçceptũ est, ut eligamus tutum; ad tutius autem eligendum non tene-

tenemur, licèt melius esset. Alii ipsam limitant, ut locum habeat solùm in casibus à jure specialiter expressis. Verius tamen est, illam universalem, & præceptivam esse, ac omninò sequendam in dubiis, ubi alia nō est ratio in alteram partem inflectens prudentialiter. Quarè illa regula frustranea esset omninò, & malè restringeretur ad dubia. Traditur ergò tanquàm remedium prò dubiis conscientiis sedandis; ac proindè universaliter intelligenda est. Sic enim traditur cap. Juvenis de sponsalibus, & indicatur cap. si quis autem dist. 7. *de Pœnit.* ut refert Jo. à S. Thom. Et colligitur ex dictis à nobis in præcedentibus. Etenim, si ubi sufficiens non est motivum ad judicandum pro altera parte, non eligeretur, quod tutius est, non haberet operans moralem certitudinem de rectitudine suæ operationis, ac perindè periculo peccandi se exponeret.

76. Pro explicatione tamen hujus regulæ, & solutione contrariæ rationis advertendum. Illud tutum dici, quod sine periculo peccati sequi, possumus, illud verò tutius, quod sequendo magis à peccato elongamur. V. G. tutum est jam, & absque ullo dubio, & periculo peccati, modicam refectiunculam serò accipere in die Jejunii; tutius autem esset, omninò abstinere. Licèt ergò meliùs facerem, nihil sumendo penitùs, attamen licet mihi, absque ullo scrupulo, modicum quid accipere. Ly ergò, tutius, in dicta regula intelligi non debet comparativè ad aliã partem quoque tutam; id enim certè consilium est, nō præceptum; sed intelligi debet adversativè ad aliã scilicet partem, de quà non constat, quòd tutò eligi possit, sed sub dubio est. Hic igitur sensus est regulæ, In re dubia si constat, quòd, unam partem sequendo, peccare non possumus, de alia verò minimè; certam sequi debemus, & dimittere incertam: Hoc autem ideò, quia moralem certitudinem alitèr habere non possumus.

77. Quid autem agendum

dum, quandò ex utraque parte periculum imminet, puta, quia utrobique præceptum est: v. gr. tenetur Sacerdos, die festo celebrare, quod omittere nō potest absque gravi scandalo, & ex alia parte conscientiam habet peccati mortalis, nec habet copiam confessarii; si non celebrat, peccat ex scādalo; si celebrat, peccat accedendo, absque prævia Confessione. Pro his igitur est tertia regula. Quòd ex duobus malis minus est eligendum. Quæ regula pariter non sic intelligenda est, quòd liceat, malum, ut malum, eligere, hoc est malum permanens: Sed sensus est, dûm aliqua duo occurrunt, quæ in se mala sunt, & omninò alterum faciendum est; illud, quod secundùm se spectatum malum esset, sed minùs, est eligendum, quod tunc excusabitur à sua malitia, & bonum erit, illud agere. Sic ergò in casu posito posset, ac deberet Sacerdos, absque prævia confessione celebrare, dummodò esset contritus, quia minus malum est, celebrare cùm sola contritione, quàm grave dare scandalum; sicque in casu cessat præceptum præmittendæ confessionis, & benè ageret Sacerdos, ut habetur ex Trid. sess. 13. cap. 7. Dixi, modò esset contritus, quia aliàs gravius peccatum esset, indignè celebrare, quàm Populum scandalizare. Cum autē conteri possit Sacerdos, si vult; si non pœniteret, ita, ut sibi probabiliter videretur contritus, non excusaretur, sed peccaret, tàm celebrando, quàm omittendo. Et nota benè, quod ista regula non valet, nisi dùm urget necessitas operandi; aliàs desistendū est ab operatione, quoadusque moralis certitudo possit haberi.

78. Alia est difficultas. Quid agendum, si urgeat necessitas, nec appareat, pro quà parte stet possessio, nec quæ tutior, nec quod minùs malum. Dico, quòd tunc, si judicium sit de re divisibili, dividatur æqualiter ex utraque parte, ut scilicet, nec totaliter contrà unum præceptum, nec totaliter contrà aliud agatur; hoc enim esset minus malū, quàm totaliter unum transgredi

gredi præceptum: v.g. Cras habere debeo concionem,& lectionem, & neutram absque gravi scandalo, vel honoris, aut famæ detrimento, possum omittere; nec sufficiens pro utraque studium facere, possum. Dividam studium æqualiter, ut ad sufficientiam, si non adæquatè, satisfaciam utrique parti.

79. Si aut res divisibilis non sit; puta in casu; quia studium, nec ad sufficientiam, pro utraque habere, possum. Potero ex aliquo, etiam levi motivo, mè ad unam determinare: Si verò nec leve motivum habeam pro altera parte, licitum erit, liberè quamcunque eligere. Hoc enim sufficiens erit ad mè certificandum, quòd rectè agam: fundatur enim electio in certissimo principio; Quòd nemo citrà suam culpā debet esse perplexus, & ex necessitate peccare, cùm igitur ex una parte stāte dubio, non liceat operari, & ex alia non possim, alitèr dubium deponere; licitum utique mihi erit ad quamlibet mè determinare.

80. Ad hæc principia reducuntur, & alia, quæ habentur in Jure præcipuè tit. *de Reg. Jur.* in 6. Puta, in obscuris Reo potiùs, quā actori, est favendum. In obscuris minimum est sequendum. In obscuris inspicimus, quod verisimilius est, seù plerumque fieri cōsuevit, & si quæ sunt alia, quæ facilè ex dictis intelligi possunt.

81. Quæ autem de conscientia dubia dicta sunt, eadem prorsùs de suspicante intelliguntur, hæc enim in re à dubia non differt.

82. Quòad scrupulosam pariter ferè nihil occurrit dicendum. Hoc tamen adverti debet, ut matura consideratione inspiciatur, an verè scrupulus, an potiùs dubium sit, quod ex allatis definitionibus, ac differentiis conscientiarum satis patere potest.

83. Ubi ergò scrupulus deprehenditur, unicum est remedium, ut scrupulosus promptè in omnibus spirituali Patri, ac Magistro obediat, quod certè nimis est difficilè, hujusmodi malè affectis persuadere, cùm fortiter levia illa fundamenta appre-

apprehendat, & gravia ipsis videantur.

84. Consultò autem cogendi sunt, ut contrà scrupulum agant, ut tandem ipsũ Deo Adiutore propellant, illudque firmiter credant, quòd spiritualis Patris consilia sectando, tuti omninò incedunt, quamvis fortè, illum errare, contingat. Sed tali super omnia se cõmittant, de cujus scientia, prudentia, charitate, ac zelo fidere, benè possint.

85. Causæ item removendæ sunt, ex quibus, ut plurimùm, oriri solent, tùm ex consuetudine similium Personarum, tùm ex librorum lectione, tùm ex tristitia, Diffidentia Divinæ Misericordiæ, occulta superbia, & prava quoque humorum dispositione, de quibus non est hic nobis longiùs discurrendum; videri autem possunt, qui expressè de his tractant, ac præcipuè Mag. Medina in sua brevi Instructione Sacerdotum.

§. IV. *De Conscientia Opinativa, seù probabili.*

SUMMARIUM.

1. *Quid sit propriè Conscientia Opinativa.*
2. *Voluntarius purè assensus ad alteram contradictionis partem, formare non potest rectam conscientiam.*
3. *Assensus adeò moraliter firmus ex vi rationabilis motivi, ut ferè credatur, alitèr esse non posse, format Conscientiam rectã, ac certam, non tamen si ortum habeat ex pravo affectu.*
4. *Assensus ex rationabili motivo cùm formidine practica, & morali, non format rectam Conscientiam, benè verò, si formido sit tantùm speculativa, vel logica.*
5. *Ut opinio sit probabilis, debet rationabili, & gravi motivo fulciri.*
6. *Duplex probabilitas, intrinseca, & extrinseca.*
7. *Cæteris paribus, antiquiores modernis DD. præferendi sunt.*
8. *Non ex multitudine Authorum præcisè judicanda*

est sententia communis; sed quandò à pluribus docetur, re maturè discussa.

9. *Temperanda est Juris, ac Theologiæ ratio, ut una alteram juvet; sed cæteris paribus Theologica præferenda.*

10. *Patrum Authoritas præferenda, moderatus tamen eorum rigor, dùm aliqua per exaggerationem dixerunt, ut in Sermonibus.*

11. *Authoritates ponderandæ sunt juxta subjectam materiam, in quà unus D. præ cæteris excelluit.*

12. *Priùs ad rationes, deindè ad authoritates attendendum, ex utroque colligitur Jure.*

13. *Communis sententia relinquenda non est, nisi verè magni momenti ratio ad contrariam impellat.*

14. *Probabiliorem opinionem reddit gravitas Authorũ, quamvis in rationibus a contraria adæquetur.*

15. *Illa probabilior, immo certa est, quæ fidei definitione fulciri videtur.*

16. *Illa probabilior, quæ Juris sensui magis innititur, nisi aliàs æquitas postulet, fallitque regulam in odium Judæorum.*

17. *Item probabilior, quæ laudabili, & approbata consuetudine firmatur.*

18. *Canonica lex præferenda Civili; Recentior antiquiori, & ubi nil certum, communior.*

19. *Item quæ magis Religioni favet, Pietati, Juramẽto, Testamento, Libertati, Matrimonio, & Sacramento.*

20. *Odia restringi, & favores convenit ampliari.*

21. *Aliud est, Opinionem esse tutiorem, aliud probabiliorem.*

22. *Immo in rigore tutior dici non debet opinio minùs probabilis, nec illa prò regula est habenda.*

23. *Usus tamen invaluit vocandi tutiores hujusmodi sententias, à quo recedendum non est.*

1. QUidquid autem sit; an Cõscientia opinativa, Judicium scilicet determinatum de re operabili, cùm formidine tamen alterius partis, formidine inquã, practica, & morali; conscientia dici debeat, necnè? Sicut etiam, an conscientia pro-

probabilis, quæ formidinem tantùm retinet speculativã, vel logicam, ut supra explicuimus, distingui debeat à conscientia certa? Hæc enim parùm, vel nihil conferunt. Potissima difficultas est hac in re, quam probabilitatem habere debeat opinio, vel sententia, ut possimus, juxtà illam formare conscientiam, quæ nos moraliter certos reddat de rectitudine nostræ operationis, ac per consequens, illam sequendo, tuti simus à periculo peccati. Dubium autem hoc præmittendum est, ut majori cum distinctione, & claritate ad reliqua procedamus. Opinio ergò, vel sententia probabilis est Judicium, seù assensus determinatus ad unam contradictionis partem ex rationabili motivo, cùm formidine alterius partis.

2. Tripliciter enim, potest quis, alteri contradictionis parti assentiri. Primò quidem voluntariè, hoc est, non rationabilis motivi ductu, sed quia sibi magis talis pars placet. Hic autem assensus non potest certè, formare conscientiam, quæ ad minùs recta possit esse regula operationis. Hæc enim debet esse dictamen rectæ rationis, quæ ut diximus est lex, & proxima regula morum; tali verò sic assentienti est prò lege, & ratione voluntas.

3. Secundò potest quis, alteri parti assentiri firmo, ac omninò certo assensu, si non formali, ac scientifica certitudine, adeò tamen moraliter firma, ut ferè credat, aliter esse non posse, quia scilicet vi rationis, ac motivi fortiter adeò trahitur, ut quasi immobiliter sententiæ adhæreat. Et hic assensus propriissimè format conscientiã rectam, & certam, nisi fortè immobilitas hæc ortum habeat à pravo voluntatis affectu, qui perindè vincibilem, seù culpabilem reddat errorẽ.

4. Tertiò demùm assentiri quis potest alteri parti ex motivo quidem rationabili, non tamen adeò forti, quin relinquat formidinem aliquã partis oppositæ, quæ formido si practica sit, & moralis modò suprà explicato, impediet rectã conscientiæ formationem, ità ut non possit esse regula tuta; secùs verò, si formido tantùm sit speculativa, seù logica.

5. Datur ergò latitudo in opinionibus, ut una sit alia probabilior. Et quidem, ut absolutè probabilis opinio censeatur, debet sufficienti, rationabili, & gravi motivo prudentum judicio fulciri: Si enim quis ex levi quadam, & frivola ratione, seù motivo feratur ad aliquid asserendum, non tàm probabilem opinionē, quàm improbabilem, & omninò voluntariam assumet sententiam. Quo fortior autem ac majoris ponderis fuerit ratio, & motivum ducens ad assentiendum, eo probabilior erit opinio.

6. Duplicis autem generis possunt esse motiva probabilem assensum regulantia; & proindè duplex quoque est probabilitas ipsa. Intrinseca videlicet, quæ ex intrinsecis principiis, & meritis ipsius causæ desumitur, puta benè fundata ratione, lege, consuetudine, possessione, effectibus, necessitate imminente, etsi, quæ sunt alia, quæ ex ipsa rei, & causæ natura derivantur. Altera extrinseca, quæ desumitur ex authoritate DD. Cùm enim, ut benè advertit Cajet. *in Prologo p. 2.* Acribologia Mathematica in moralibus expetenda nō sit, nec ità subtiliter Metaphysicæ rationis rigor; immo in pluribus Epykeia, discretio, ac in primis Prudentia sectanda; Hinc est, quòd graviorum DD. authoritas non parùm addit opinionibus probabilitatis. Juxtà quod Spiritus Sanctus admonet Eccles. 8. *Nè despicias narrationem Presbyterorum Sapientium, & in Proverbiis eorum conversare: ab ipsis enim disces Sapientiam Intellectus, & servire Magnatis sine quærela. Non tè prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt à Patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum.*

7. Graviorū porrò DD. voto, quorum doctrina frequenter utimur, eorumque sententiis Viri aliàs Docti, ac prudentes, ut plurimùm adhærent. Ex ipsis autem, cæteris paribus, Antiquiores modernis præferri debent, & quidem, non solùm in rebus fidei; sed etiam in agibilibus, in quibus licèt aliquādò recentiores magis æsti-

æstimandi sint; eo quia pensanda plurimùm sunt ex circunstantiis temporum, morum, & hujusmodi, ut benè advertit Reginaldus initio suę Praxis in Epist. ad Lectorem. Id tamen locum non habet, nisi in particularibus controversiis de rebus, quæ pro varietate temporum, & locorum variari solent. Cæterùm, quòad methodicam, & fundamentalem doctrinam, omninò antiquiores præferendi sunt, sed, ut dixi, cæteris paribus: Contingere namque potest, ut aliquis Junior fortiorem adinveniat rationem antiquis ignotam, quæ tamen cautè, ac maturè consideranda erit, antequàm ejus vi ab antiquorum sententia retrahamur.

8. Sed insuper notat, & benè Sanchez. in Decal. lib. 1. cap. 9. num. 9. non præcisè ex Authorum multitudine communem sententiã, & majoris ponderis esse judicandam; accidit namque pluries, multos, instar acriũ sequentes priores, unam sententiam asserere absque ulla, vel non magna discussione. Tunc ergò verè communis, & majoris ponderis habenda erit sententia ex authoritate; cùm à pluribus DD. utriusque partis meritis benè perpensis, docetur; quamvis fortè multò plures, absque tamen matura discussione, contrarium teneant.

9. Adde, quòd licet in casibus ad legem positivam spectantibus plurimi sit facienda Jurisconsultorum authoritas; non tamen adeò Theologorum præferenda est authoritati; etiam in dictis casibus, ut sententia communis inter Juristas absolutè censeri debeat probabilior communi inter Theologos; nam plura lege seculari permittuntur, quæ tamen in conscientia non licent. Plura quoque in Sac. Can. statuuntur ad tollendas lites, fundanturque in præsumptione, cùm aliàs in foro fori veritas probari non potest, quæ si pateret, aliter judicaretur. Et ideò prædicti canones locum non habent, ubi aliàs veritas patere potest, ac præcipuè in foro conscientiæ. Item Juristæ, etiam Canonum DD. errant faciliter, ni Theologicis

gicis fulciantur fundamentis. Pensanda igitur est, & simul temperanda Juris, ac Theologiæ ratio, ut una alteram juvet, non destruat; sed cæteris paribus, Theologica præferenda est in foro conscientiæ.

10. Nota insuper quòd PP. plura dixerunt per excessum, seù exaggerationē, & ex affectu ad Virtutem, Christianamque perfectionem; undè licet eorum authoritas cæterorum præferenda sit authoritati; in multis nihilominùs eorū rigor probabiliùs mitigatur, præcipuè; cùm non ex professo disputantes, sed ut dixi per exaggerationem, puta in sermonibus, protulerūt sententias; quas tamen, dùm possumus, exemplo Angel. Præcept. explicare; non rejicere omninò debemus.

11. Denique, tùm ex PP. tùm ex reliquis DD. alii aliis excellentiores fuerunt in aliquo genere, ac certa materia, ut Hieronym. in exponendis Sacris Scripturis, quem Deus, Doct. maximum Ecclesiæ suæ providere dignatus est; August. verò in Doctrinalibus, quem de servitute Babylonis propugnatorē strenuum redemit idem Summus Rex noster, ut canit Ecclesia; Quarè & eorū authoritates ponderandæ sunt juxtà subjectā materiam.

12. Illa igitur probabilior judicanda est opinio, quæ solidioribus rationibus, graviorumque DD. authoritati innititur. Ità tamen, ut priùs ad rationes, deindè ad authoritatē attendatur. Sic enim in cap. Capellanus de feriis; cùm duæ essent propositæ opiniones, posterior electa est, quia, inquit Pont. meliori, & subtiliori ratione nitebatur. Et Justin. Inst. lib. 2. cap. de hæredibus instituendis, relicta plurium DD. authoritate, unius Attilicini sententiam est secutus, quia id *æquius erat*, ut idem fatetur.

Ubi notavit, & benè Aldobrandinus, *quòd opinio unius D. quandò est fulcita melioribus rationibus, attenditur contrà opinionem plurium*. Et clariùs: *l. Deo Authore cap. de vetere jure enucleando*, hæc habentur. *Sed neque ex multitudine Authorum, quod melius, & æquius est*,

est judicatote; cùm possit unius forsan, & deterioris sententia, multos, & majores aliqua in parte superare.

13. Quibus nihilominus non obstantibus, cavendum nè de facili communẽ DD. sententiam relinquamus, nisi verè magni momenti ratio ad contrariam impellat: faciliùs namque unus falli potest, quàm plures, & ex alia parte, ut optimè adnotavit Glofs. lib. 2. instit. *de Testamen. ordinandis §. Sed cum aliquis. Communis opinio quandòque prævalet veritati, & communis error facit Jus*; sed ut ibidem subditur, quandò veritas patens non est, sed occulta.

14. Itaque ex duabus opinionibus æqualis ponderis rationes habentibus illa probabilior ęstimabitur, pro quà stãt graviores DD. cùm hac distinctione, quòd si una est communis inter antiquos, alia inter modernos, illa præferatur; nisi fortè aliqua superveniente circunstantia, meritò à modernis antiquorum sententia relicta sit. Quod si una sit plurium quidem antiquorum, non verò ità communis, & alia communis modernorũ, poterit hæc probabilior judicari, semper cæteris paribus, attentà maximè DD. gravitate, ac materia, & modo tradendi sententiam.

15. Aliquæ demùm sunt regulæ generales ad cognoscendum, quęnam inter opiniones probabilior haberi debeat. Et prima sit. Ubi manifesta est sententia, vel definitio fidei, quidquid gravissimi etiam DD. asserant, illa probabilior; immo recta est censenda sententia, quæ fidei definitione fulciri videtur; & ad illam propiùs accedit.

16. Secunda. Illa item sententia est præferenda, ut probabilior, quæ legis, ac juris sensui magis innititur: Quod intellige, quãdo ęquitas alitèr judicandum non postulat; non enim semper cùm Acribodicæis est legis rigor sectandus; immo sæpè consulenda æquitas; quæ lex quædam superior est nullo descripta codice, sed ipsius naturalis rationis dictamine firmata, quà leges ipsas interpretari, ac moderari perfectæ rationis judicio debemus. Hoc tamen fal-

fallit in odium Judæorum, contrà quos rigor præfertur æquitati, ut habetur ex cap. 2. *de Judæis, & Sarracenis*.

17. Cùm autem consuetudo legitima vim legis obtineat, idem prorsus dicendum erit; illam videlicet esse probabiliorē sententiam, quæ laudabili, & approbata consuetudine, ac usu firmatur, & intellige semper, cæteris paribus, puta, dùm pro altera parte, nec lex est clara, nec potissima ratio.

28. Quòd si pro utrâque parte sit lex, concordari debent, si fieri potest, si verò leges concordari nō possint, & una Civilis, altera sit Canonica, hæc præferri debet, si verò utrâque sit Civilis, vel Canonica, recentior, ut plurimùm est sequenda, quia per novas leges, & constitutiones antiquis derogatur. Si demùm omninò incertum sit, quænam ex legibus in sua vi perseveret, communior sententia erit amplectenda, ni contrà obstet fortis, & certior ratio; certior quidem, non enim de facili à communi est opinione recedendum.

19. Tertia regula. Item cęteris paribus illa, ut ęquior & probabilior, sententia est eligenda, quæ magis religioni favet, ac pietati, Juramento, Testamento, Libertati, Matrimonio, & Sacramento.

20. Quarta demùm juxta regulam Juris, Odia restringi, & favores convenit ampliari, probabilior est sententia judicanda, cæteris paribus, quæ omnia potissimùm ex Sylv. V. *Opinio*, & Azor *p. 1. lib. 2. cap. 9. & seq.* prælibavimus.

21. Pro complemento notandum est: Aliud esse opinionem esse tutiorem, aliud probabiliorem, ex diverso namque capite probabilitas desumitur, ac tutela. Probabilis enim dicitur opinio ex hoc, quòd rationabilis, hoc est bona ratione, fundamento, ac motivo suffulta. Dicitur autem tuta ex hoc, quòd nos à peccato tuetur, & ab eo elongat. Quarè poterit una opinio, melioribus, ac solidioribus niti fundamentis, & rationibus; ac proindè probabilior dici, & nihilominùs cōtraria nos magis à peccato elōgare, ac indè tutior haberi.

22. Ve

22. Verum tamen eſt, quòd in rigore loquendo, neque propriè tutior dici debet opinio minùs probabilis, laqueos enim potiùs parat, ubi non ſunt, & ſcrupulos ingerit. Magis ergò propriè dicendũ eſſet, quòd tutius eſt, agere, quod illa dictat; non autem, quòd tutior ſit illa ſententia; quæ certè, ſi minùs ſit probabilis; pro regula non eſt habenda, licet bonum ſit, & conſilium agere, quod illa dictat, non tamen ex vi ejus dictaminis, quod pro falſo potiùs habendum eſt. Sed quia in re illud bonum eſt, & ab alio vero dictamine habetur, non per modum præcepti, ſed conſilii; ut benè advertit Mag. Soto 4. *diſtinct.* 18. *q.* 1. *art.* 3. *con.* 4. v. gr. Probabilior omninò, & vera ſententia eſt, quòd peccata venialia nõ ſunt neceſſariò confitenda, ut remittantur, ſed abſque illorum cõfeſſione remitti poſſunt per actum Charitatis, aut quid aliud; nihilominũs tutius omninò eſt, illa confiteri, & ità conſulendum. Opinio ergò aſſerens, neceſſariam eſſe venialium confeſſionem, tutior dici nõ debet, immo falſa penitùs; at benè, quòd tutius eſt, venialia confiteri.

23. Cæterum, quia uſus jam invaluit vocandi hujuſmodi minùs probabiles opiniones tutiores, à communi modo loquendi non eſt nobis recedendum. Verè namque tutiores aliquo modo dici poſſunt materialiter ſaltem, & ratione materiæ, licèt non formaliter, & ratione dictaminis, ac regulæ. Sicut in Dialecticis ratione materię neceſſariæ valet cõſequentia, v. gr. ab indefinita ad ſingularem, puta Homo eſt animal: ergò Petrus eſt animal; quod non valet abſolutè, & in vi conſequentiæ, quia ſcilicet in materia neceſſaria propoſitio indefinita æquivalet univerſali. Et teneat exemplum, quantùm poteſt. His præmiſſis.

Sequitur Summarium.

24. *Licet omninò, ſequi tutiorem, etſi minùs probabilem, opinionem, ſed cavendum, nè juxtà illam formetur Conſcientia.*

25. *Item licet, ſequi probabiliorem, etſi contraria ſit magis tuta.*

26. *Licet, ſequi minùs tutam, & minus probabilem, ſi poſt ſufficientem diligentiã probabilior appareat.*
27. *Peccat omninò ſcienter docens minùs probabilem, licèt magis tutam.*
28. *Excuſantur Cathedratici, qui ex munere, Magiſtri ſui ſententias docere, tenentur.*
29. *Extrà fidei, & morum materiam non eſt mortale, niſi aliundè gravitas augeatur.*
30. *In rebus fidei, & morum non facilè à mortali ſunt excuſandi minùs probabilia docentes.*
31. *In praxi nullatenùs licet, ſcienter juxtà minùs probabilem, minuſque tutam opinionem operari.*
32. *Probatur, quia apud nullum SS. PP. invenitur fundamentum, cui moderniores Probabiliſtæ nituntur, ut ipſimet fatentur.*
33. *Probatur Auth. Auguſt. & Bernard.*
34. *Conf. ex Petro Damiano.*
35. *Fundamentum Probabiliſtarum eſt ferè damnatum ab Innoc. XI.*
36. *Non obſtat, quòd in damnata ſententia dicatur.* Quantùm vis tenui, probabilitate, *quia ſubditur*, modo à probabilitatis finibus non exeatur.
37. *Ad minùs illud Principium limitandum eſt, nec univerſaliter verum eſt.*
38. *Probabiliſtæ DD. omnes ferè moderni, ipſis quoque teſtibus, ipſiſque numerus non poteſt ſuffragari.*
39. *Antiqui unò ferè ore noſtram fatentur ſententiam.*
40. *Probabiliſtæ in varias, veluti ſectas, diviſi ſunt.*
41. *Oſtenditur, ex Apoſtolica traditione à majoribus ad poſteros noſtram deſcendiſſe ſententiam.*
42. *Authoritas D. ſubtilis.*
43. *Authoritate Angel. Præcept. idem comprobatur.*
44. *Probatur ratione. Quia non poſſumus, aliter prudenter operari.*
45. *Non poteſt quis, prudenter operari, niſi determinatam habeat regulam, quam non voluntas, ſed ratio, determinare debet.*
46. *Implicat omninò, quòd quis certitudinem habeat de veritate duarum contradictoriarum.*

24. Quæ-

24. Quæstio celeberrima est, nec minùs ejus resolutio necessaria. Utrùm semper teneamur, operari juxtà probabiliorem, ac tutiorem sententiam. Et nè omnia frustrà in dubium revocemus. Tanquam certum supponendum est, licere, immo omninò melius esse, operari juxtà minùs probabilem opinionem, quæ tamen tutior est. Sed cavendum, nè juxta illam formetur conscientia, nè, ut dixi nobis ipsis laqueos paremus.

25. Item certum est, licitè posse quemquam, probabiliorẽ sequi sententiam, quam talem ipse operans verè putat, licèt alia sit magis tuta; Sed hoc limitandum in materiâ Sacramentorum, de qua distinctè infrà §. 5. num. 58. & sequentibus.

26. Item licitè sequi, potest minùs tutam, & in re minùs probabilem, quæ tamen facta sufficienti diligẽtia, sibi probabilior apparet. Hæc omnia patent ex dictis. Taliter enim operans de facto moraliter certus est de veritate opinionis, quam sequitur, illique prudenter assentitur; immo imprudens esset, si judicans illam probabiliorem, contrariæ assentiretur.

27. Tota ergò difficultas est. An judicans probabiliorem sententiam, quæ tutior est: possit licitè illa relicta, sequi contrariam probabilem? Et loquimur in practicis, & in ordine ad operationem. Etenim quò ad speculationem, & doctrinam universaliter dico, quòd peccat, qui scienter minùs probabilem sequitur opinionem, relicta probabiliori, etiam si minùs probabilis tutior sit. Id enim est directè contrà dictamen rectæ rationis, & ipsius naturam speculationis, quâ veritatem indagamus, ac per consequens id sequi, debemus in quo major veritatis lux effulget. Dixi scienter, quia si ex errore minùs probabilem in se probabiliorem putaret, nullatenùs peccaret, sicut nec in operabilibus, ipsam practicè sequendo, ut prænotavimus.

28. Quod autem ait Magist. Sotò lib. 3. *just. q. 6. artic. 5. ad* 4. in speculativis, & in

in Gymnasio licere aliquãdo, sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori; debet intelligi per modum disputationis, & ad ingenia exercenda, non verò absolutè, docendo ipsique adhęrendo. Quia hoc esset, omninò à speculationis fine, & ipsa veritate recedere. Hinc excusãtur Cathedratici, qui ex munere proprii magistri, cujus Cathedram substinet, Doctrinam debent defendere; quamvis enim judicent probabiliorem sententiam oppositam, licitè magistri sui opinionem in Cathedra tuentur, quia hoc onus eorum est; ac prudẽter in Universitatibus institutum, ut per oppositas disputationũ concertationes clariùs veritas elucescat.

29. Extrà tamen materiam fidei, ac morum in purè speculabilibus, non video mortale peccatum, ex quadam jactantia, vel ad ingenii ostentationem sequi, ac defendere minùs probabilẽ opinionem; nisi aliundè gravitas augeatur, puta si nimio affectu circà hujusmodi opiniones ad veritatis odiũ inducatur, vel jactantia in damnabilẽ superbiam elevetur, aut in aliorum cedat perniciem, vel contemptum de quibus vide Summistas, & præcipuè Cajet. V. Magistri, & alibi.

30. In rebus autem fidei, & morum non facilè à mortali excusarem sequentem, & multò minùs docentem sententiam minùs probabilem, relicta probabiliori, vel impugnata: si tamen id voluntariè, & ad libitum fiat: Nam si aliàs probabilior sibi videatur sententia, quam sequitur, excusabitur modò tamen in veritate inquirendà debitam adhibuerit diligentiam, ac studium. Ad praxim ergò descendendo.

31. Dicendum est. Nullatenùs licere, probabiliori, & tutiori simul relicta sententia, juxtà minùs probabilem, minusq; tutam operari scienter, ut jam explicatum est. Hanc Conclusionẽ præ cęteris fusè probant, solidioribusque fundamentis confirmant, ac pluribus illustrant Metonus in sua basi Theolog. moral. Gonet in speciali dissertatione *de Opinionũ probabilitate*. Vincen-

centius pariter Baronius in libro de probabilitate opinionum, & Contenson. to. 2. Theolog. mentis, & cordis dissert. 6. ex quibus aliqua, vel breviter hic afferemus, plura videnda relinquentes apud eosdem; nec non apud Illustrissimum Fagnanum in cap. Ne innitaris, & Reverendissimum Thyrsum Gonzalez Inclitæ Soc. Jesu Præpositum Generalem in Opere Novissimo, hac de re edito Romæ 1694.

32. In primis ab authoritate Antiquorum PP. & DD. probatur ista Conclusio. Etenim, ut recentiores ipsi fatentur Probabilistæ, Axioma illud, quod pro fundamento, ac regula generali statuūt, videlicet prudenter agere, nec peccare, quicunque agit secundùm id, quod ei probabile videtur; quia si contingat errare, ignorantia excusabitur; apud nullum SS. PP. invenitur, nec de illo unquam meminerunt, immo ipsis fuit ignotum; Mirum autem sanè, annos ferè mille sexcentos tam necessariam Doctrinam, ac suavem regulam, tam facillimum iter planantem ad Cœlum in Ecclesia Dei tenebris fuisse involutā ignorantiæ. Quæ certè si vera esset, meritò cum Guidone Carmelitanum Generali non ironicè quidem exclamare, liceret apud Gonet man. tract. *de actib. hum.* cap. 16. *O Apostolorum tempora infelicissima! O Viros illos ignorantiæ tenebris involutos, & omni miseratione dignissimos. Qui, ut ad vitam pertingerent, propter verba labiorum Dei, tam duras vias custodiebant, & hæc nostra compendia nesciebant.* Planè gaudendum ex alia parte, nostrorumque temporum felicitati plaudendū. Ut enim ajebat Caramuel disp. 6. Theolog. regul. Gonet Clyp. dissert. de opin. prob. art. 2. q. 52. hisce temporibus *Ecclesia Catholica felicior debet dici, quòd exuberet Sanctissimis, & Doctissimis Viris, qui introduxerunt benignas opiniones; quia damnarentur plurimi, quos sententiæ probabilitas salvat: Nec indè Ecclesia infelix est, quòd DD. opinentur passim; sed & indè felicior, quòd benigniùs, & faciliùs suos, possit ad Lauream Empyream promovere.*

Cer-

Certè vix mortaliter unquã peccarent hodie fideles, si quamlibet sequendo opinionem, tuti incederent:

33. Audiant autem, quomodò summus Ecclesiæ D. August. nimis aliter sentiat, ac doceat; Epist. 154. ità scribit. *Si quis bonum putaverit esse, quod malum est, & fecerit, hoc putando utiquè peccat. Et ea sunt omnia peccata ignorantiæ, quandò quisque benè fieri, putat, quod malè fit*. Et certè, si quælibet probabilitas excusaret, vix quispiam ex ignorantia peccaret, nisi crassa nimis, aut affectata. Sed clariùs lib. 3. con. Acad. cap. 16. ipsissimum Probabilistarũ axioma, refert sic. *Cùm agit quisquam, quod ei videtur probabile, nec peccat, nec errat*; Illudque plurimis confutat, quæ longum esset, hic referre. Item lib. 1. de Bapt. con. Donatistas cap. 3. & 5. ait, *Graviter peccaret, vel eo solo, quòd certis incerta preponeret*; Et ut cætera omittam brevitatis gratia; Bernard. lib. de Præcepto, & dispensatio: post plura concludit. *Sivè itaque malum putes, quod forte agis, sivè bonum, malum, quod operaris, utrumque peccatum est*. Quæ omnia, & similia intelligenda sunt, dùm quis de veritate sui judicii moralem non habet certitudinem, quam habere, non potest, qui secundùm id, quod verisimilius apparet, judicium non profert, ut jam satis in superioribus probatum est.

34. Quarè S. Petrus Dam. optimè scripsit Epistol. 18. apud Contens. disp. 6. de prob. com. cap. 1. spe 2. in resl. *Quoniam ab Apostolis fidem, ab Apostolicis autem viris conversandi in Eccl. percepimus ordinem, ità propè modũ non mutamus disciplinæ modũ à majoribus traditum, sicut illibatum tenemus ipsum quoque fidei fundamentum*. Et in Apol. pro Greg. 7. *Non minùs resistendum est auth. institutionũ impugnatoribus, quàm sac. fidei violatoribus; Cùm & Dæmonibus assimilentur, quicunque institutionẽ SS.PP. in fide tantùm, & non etiam in conversatione pro viribus affectantur*.

Quid ergò iactanter asserit Caramuel apud Gonet, ubi suprà §. 6. *Tota moralis Theologia nova est; Quis enim* nega-

negare audebit, *esse hodie in Diana centenas opiniones probabiles*, *quæ August. & Antiquis Ecclesiæ PP. ignotæ fuerunt*. Verũ quidem, & negare non possumus; At nè benè? Ipse viderit cùm cæteris cõmilitonibus. Nos autẽ scimus, ut Lorin. in Act. Apost. c. 34. com. scripsit apud Conten. ubi suprà spec. 3. *Catholicorum hoc ferè proprium est*, *deposita SS. PP. & Comissa servare*, *damnare prophanas novitates*, *& sicut dixit*, *& iterùm dixit Apost. Si quis annunciaverit*, *præterquã quòd acceptum est*, *anathema sit*. Sed, *obsecro*, dicamus cùm August. *Nõ sit honestior Philosophia Gentium*, *quàm nostra Christiana*. Ipsi enim Gentiles naturali rationis lumine ducti, satis optimè cognoverunt, nefas esse, id agere, de cujus honestate non patet: Ait enim Tul. 1. de off. *Quo circà benè præcipiunt*; *Qui vetant*, *quidquã agere*, *quod dubites*, *æquum sit*, *an iniquum*; *Æquitas enim lucet ipsa per se*; *dubitatio autem cogitationẽ significat injuriæ*.

35. Adde insuper illud Probabilistarũ axioma jam ferè damnatũ videri ab Innoc. XI. 2. Martii 1679. sequentem damnante propositionem. *Generatim*, *dùm probabilitate sivè intrinseca*, *sivè extrinseca*, *quantumvis tenui*, *modò à probabilitatis finibus non exeatur confisi aliquid agimus*, *semper prudenter agimus*. Falsum est ergò, quòd prudenter, & licitè agat, quicunque sequitur opinionem, etiam minùs probabilem. Falso ergò, & quasi damnato, nituntur fundamento Probabilistæ.

36. Scio quidem, hoc irridere præcipuè novissimũ quendam recentiorem, de quo infrà. Neque enim, ut inquit ipse, in pilo tacta fuit benigna sententia per tale Decretum. Ibi enim in primis damnatur solùm, prudenter agere, qui tenui probabilitate confisus operatur; tenuis autem probabilitas vix sufficit ad merendum titulum probabilitatis: immo, si verè tenuis sit, nec verè probabilitas erit: nec enim vim habebit trahendi ad ullum assensum intellectum. Cùm tamen in dicta sententia damnata expressè dicatur, *modò à probabilitatis*

fini-

finibus non exeatur; manifestum est; quòd ibi est sermo de opinione verè probabili, quæ alicujus momenti rationibus innitatur, qualis omninò esse debet opinio probabilis, ut omnes, fateri, tenentur; nam, quæ levibus, & frivolis innititur, exit jam probabilitatis fines. Damnat ergò Pont. sententiam asserentem, universaliter nos prudẽter agere, dùm juxtà verè probabilem agimus opinionem, cui perindè tenuis tribuitur probabilitas, non quia rationibus alicujus momenti careat; sed quia majoris ponderis rationes habet contraria probabilior sententia.

37. Sed benè, subdit idẽ Author, damnatur, id *generatim* licitum esse, quia verè non semper licet, probabiliori sententia relicta, minùs probabili adhærere. Quandò enim probabilior sententia nimis in probabilitate aliam excedit, non licèt, minùs probabilem sequi; nam hæc in comparatione tanti luminis ferè à probabilitate cadit; adveniente enim lumine majori, cessat minus. Quod certè verũ est, sed nos infrà ostendemus, id planè contingere in quocunque probabilitatis excessu. Pro nunc sufficiat nobis. Illud axioma, non esse universaliter verũ, sed ad minùs limitandum.

38. Quia tamen contraria sententia numerosa DD. turba, nè dicam, innumerabili, freta est: Id præ oculis habendum, eos ferè omnes modernos hoc nostro laxiori seculo prodiisse in lucem, dùm facilis adeò librorum evulgationi aditus patet, quòd non ità facilè retroactis temporibus contingebat. Ut enim refert citatus Reverendiss. Thyrsus initio introductionis sui operis. Gravissimus Theolog. Antonius de Cordula in suo Quæstionario Theolog. in lucem edito 1581. libro 2. q.3. in tertia assertione, cùm asservisset: *Partem tutiorem tenendam esse, quandò oppositæ sententiæ sunt, aut creduntur æquè probabiles*; etiam in prima assertione: *Partem tutiorem esse tenendã, quandò illa est probabilior opposita*, statim addit; *Et in hoc omnes Theolog. cõveniunt.* Et P. Franciscus Amicus benignæ

nignæ ſententiæ Patronus tom.3.Curſus Theolog.primùm excuſo 1640. diſp.15. num.75. expreſsè fatetur, *omnes ferè antiquos Theolog. negare licitum eſſe, operari ſecundùm ſententiam minùs tutam, & ſimul minùs probabilem; ſemperque ad licitè operandum ex ſententia minùs tuta, exigere, ut illa ſit probabilior*. Innumeri autem, ut ait Tabiena in Proëmio, & diffuſi extabant ſuo tempore de re morali tractatus. Et Poſſevinus in ſua Bibliot. lib. 3. cap. 22. pluſquàm ſexaginta ex antiquis enumerat, qui ſummas caſuum cōſcientiæ ediderunt. Quòd ergo ex impreſſis, & vulgatis Modernorum numerus antiquorum numerum ſuperet, nihil penitùs benignæ ſententiæ ſuffragari debet.

39. Adde, quòd Antiqui, quorum, ut prænotavimus, cæteris paribus, præferenda eſt authoritas; Quaſi uno ore noſtram fatentur ſententiam; Nullum verè pro ſe citare poſſunt contrarii; qui tamen velint, nolint ipſos totius Doctrinæ, ac Sapientiæ Corypheos venerari tenentur, & quod mirum, in hac ſententia tam Angelica, quàm ſubtilis, convenit Schola, & fusè demonſtrat Thyrſ. diſſ.9. & 13. Et quid certè recentiorū turba cōtrà Auguſt. Chryſoſt. Thomā, Antoninum, Scotū, Adrianum, Cordubam, Gerſonem, Henricum, Majorem, Sotum, Sylveſtrum, & ſexcentos alios, tùm ex SS.PP. tùm ex graviſſimis DD. etiā ex Modernis, quos apud ipſum Thyrſum videre licet?

40. At verò Moderniores Probabiliſtæ in varias, veluti ſectas, diviſi ſunt. Cùm enim effugere nō poſſint, rationum vim, nec ſubſtinere contrariæ authoritatis pondus, conantur, per quaſdam limitationes, ac ſubterfugia ſe tueri, & quidem alius ſic, alius ſic, quod manifeſtum indicium eſt falſitatis, veritas enim una, ſolida, & firma eſt.

41. Ex quibus certè validum omninò ſumere, licèt argumentum. Cùm enim præceperit Dominus Apoſtolis Matt. 28. docere omnes Gentes, ſervare omnia, quæcunque mandaverat eis; Neque credibile ſit, Apoſtolorum tempore inter cō-

ſcientiæ Magiſtros, ac Directores plures non exortas quæſtiones; an hoc, vel illud agere, vel omittere peccatum eſſet, præcipuè cùm tunc Gentilium mores primò reformarētur: Satis utiq; muneri Apoſtolico defuiſſent, ſi regulam non tradidiſſent, ac mòdum, quo fideles, in hujuſmodi ambiguitatibus tuti, poſſent incedere. Fuit ergò in Eccleſia regula iſta ab Apoſtolis tradita, quà in opinionum contrarietate, quid ſequendũ eſſet, fidelibus innoteſceret. Ni dicere velimus, per tot ſecula Deum Eccleſiam ſuam tam neceſſario præſidio voluiſſe deſtitutam; ſolumq; recentioribus noſtris revelare. At porrò ſi Apoſtolicas traditiones, ac præcepta venari, velimus, ubi expreſsè in ſacris literis non habentur, alia non apparet via, quàm communis PP. ſenſus, & Eccleſiæ conſenſus; Atqui nullum ex antiquis PP. & DD. nullum invenimus Eccleſiæ monumẽtum, quo illud Probabiliſtarum dogma doceamur. Ex alia parte, quotquot extant hac de re, vel Canonum PP. vel DD. teſtimonia, tutiorem, & probabiliorem partem amplectendam, admonent. Hoc ergò proculdubiò Apoſtolicum eſt præceptum, & regula Eccleſiæ. Et certè ſi tot DD. ſententia nova in Eccleſia fuiſſet, ut minùs plauſibilem, contrà ipſam mille non defuiſſent impugnatores. Cùm igitur DD. ipſi, aliàs alter alterius opiniones impugnare ſoliti, unanimi adeò conſenſu in hac parte conveniant, ſignũ evidens eſt, jam omninò certam, communem, & indubiam fuiſſe.

42. Nè autem in longiùs protrahamur Angel. & Subtil. Doct. audire, ſufficiat. Subtilis quidem 3. diſt. 25. quæſt. 1. ſic habet. *Si enim ità eſſet, quòd unus Doctor diceret, aliquem peccare mortaliter, niſi ſic faceret; Et alius, quòd peccaret, ſi ſic faceret; tunc Ruſticus foret perplexus. Ideò benè videndũ eſt in moralibus, antequam aliquid aſſeratur*. Et 4. diſt. 11. q. 6. *Cùm negativa multis ſit probabilior, non ſine peccato aliquis ſe exponit tali dubio*. Et q. 2. prol. *Si objicias, multa in actibus humanis ſunt dubia, utrùm*

utrùm sint peccata mortalia, etiam suppositis omnibus doctrinis DD. & Expositorum. Resp. non est dubia via salutis simpliciter, quia à talibus, tanquam à periculosis, debet homo, sibi cavere, & custodire se nè homo, dùm se exponit periculo, incidat in peccatum. Quibus nil clarius.

43. Angel. Doct. quodlibeto 8. art. 3. sic ait. *Illud, quod agitur contrà legem, semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est secundùm conscientiam.* Quæ assertio vera esse non potest absolutè sumpta; conscientia enim errans invincibiliter excusat, ut idem S. Doct. habet expressè *p. 1. q. 19. art. 6.* Debet ergò intelligi juxtà subjectam materiam, de quà quærebatur; An scilicet, quandò sunt diversæ opiniones de aliquo facto, ille, qui sequitur minùs tutam, peccet. Ergò sentit D. Th. quòd non licet, in concursu opinionũ sequi minùs probabilem, & minùs tutam; Aliàs excusaretur à peccato, si contingeret, illam esse falsam, cùm tamen ipse oppositum asserat. Quod confirmat, resolvendo quæsitum. *Dicendum, quòd quandò duæ sunt opiniones contrariæ de eodem, oportet, esse alteram veram, & alteram falsam; Aut ergò ille, qui facit contrà opinionem Magistrorum, utpotè habendo plures præbendas, facit contrà verã opinionem, & sic, cùm faciat contrà legem Dei, non excusatur à peccato, quamvis non faciat contrà conscientiam; sic enim contrà legem Dei facit. Aut illa opinio non est vera, sed magis contraria, quam iste sequitur, ità quòd verè licet, habere plures præbendas, & tunc distinguendum est; Quia aut talis, habet conscientiam de contrario, & sic iterùm peccat contrà conscientiã faciens, quamvis non contrà legem; Aut non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem, sed tamen in quandam dubietatem inducitur ex contrarietate opinionum; Et sic si manente tali dubitatione, plures præbendas habet, periculo se committit, & sic proculdubio peccat, utpotè magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem: Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem inducitur, & sic non se committit dis-*

crimini, & non peccat.

Ex quà S. Th. Doctrina clarè patet, quòd in concursu opinionũ licitè quis potest sequi minùs tutã, quàm tamen verã existimat, itaut in nullam dubietatem inducatur ex contrariæ sententię probabilitatẽ. Si autem aliquam dubietatem habeat, periculo se exponit, & peccat sequens minùs tutam, licèt veram illam existimet: Quanto ergò magis peccabit, si illam minùs probabilem judicet?

Item S.D. *quodlib. 9. a. 15.* sic habet. *Omnis quæstio, in quà de mortali peccato quæritur, nisi expressa veritas habeatur, periculosè determinatur. Quia error, quo nõ creditur esse mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licèt fortè à tãto. Pręcipuè autẽ periculosũest, ubi veritas ambigua est.* Ex quibus idẽ formatur argumentũ: Si non excusat error ex opinione probabili quomodò licet illã sequi? Quarè non dicit S. Doct. Ex quò probabilem invenit opinionem, tutò illam sequi potest, & excusabitur, si contingat esse falsam.

Demùm *quodlibeto 3. a. 10.* ait: *Dicendum quòd diversæ opiniones DD. Sacræ Scripturæ, siquidem non pertineant ad fidem, & bonos mores, absque periculo, Auditores, utrãque opinionem sequi possunt; Tunc enim habet locum, quod Apost. dicit ad Rom. 14. Unusquisque in suo sensu abundet. In his verò, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistri. In talibus enim ignorantia non excusat.* In quibus omninò S. Doct. fideliter S. Patris August. mentem secutus est. Sic enim ille ait hom. 11. *Ecce dat tibi securitatem procurator; Quid tibi prodest, si Paterfamilias non acceptet? Procurator sum, servus sum: vis dicam tibi; Vive quomodò vis, Dominus te non perdet? Securitatem tibi Procurator dedit; Nihil valet securitas Procuratoris: utinam tibi Dominus securitatem daret, & ego te sollicitum facerem. Domini enim securitas valet, etiam si nolim. Mea verò nihil valet, si ille noluerit.* Non ità Probabilistæ, sed quemcunque sua probabilitate firmam dare posse

posse securitatem, asserunt. Ipsi viderint. Hæc sint satis quòad authoritates.

44. Quòad rationes, plures apud citatos Author. videndas relinquendo; hac unicâ firmatur nostra conclusio. Nemo licitè operatur, nisi prudens habeat judicium de rectitudine suæ operationis: at in concursu opinionum, quarum una tutior, & probabilior apparet, non potest quis, prudens habere judicium secundùm minùs probabilem, & minùs tutam: ergò non potest licitè secundùm illam operari. Consequentia est evidens. Major certissima: licita enim operatio ex prudenti judicio debet procedere; cùm Prudentia sit ipsa recta ratio agibilium.

Minor autem prob. Prudens judicium de rectitudine operationis importat determinatũ assensum ad partem contradictionis dictantem licitam operationem; atqui stante probabiliori, altera parte dictante operationem illicitam, non potest quis, prudenter assentiri parti dictanti licitam; ergò habere non potest, secundùm illam prudens judicium de rectitudine suæ operationis. Consequentia tenet. Major videtur certa. Prudens enim Judicium habere debet certitudinem, & dubietatem excludere, aliàs non posset esse regula tuta, debet ergò habere determinatum assensum ad partem, cui conformari debet operatio.

Minor quoque probatur evidenter. Non potest quis prudẽter assentiri alicui propositioni, nisi illam veram existimet. Prudentia enim est Virtus intellectualis; ac perindè verũ habet pro objecto: Sed existimans probabiliorem partem oppositam, non potest, veram existimare alteram partem: ergò non potest illi prudenter assentiri. Major videtur certa. Cùm enim objectum intellectus adæquatum, sit verum, in tantùm potiùs uni quàm alteri parti assentitur, in quantùm ibi veritas illi apparet; aliàs contrà naturalem suam inclinationem, & omninò imprudenter assentiretur. Minor quoque constat. Aliquam enim propositionem esse probabiliorem

rem altera, nihil aliud eſt, quàm majorem ſpeciem, & ſimilitudinem veritatis habere: Si ergò exiſtimat quis hanc propoſitionem probabiliorem, illam veram, ſeù veriſimiliorem putat: ergò non poteſt exiſtimare verã oppoſitam. Cùm enim veritas una ſit, & non poſſit, in utraque contradictoria exiſtere, impoſſibile eſt, quẽpiam judicare utramque veram: ergò ſi verã exiſtimat probabiliorem, non poteſt, veram exiſtimare oppoſitam.

45. Dices. Fxiſtimans unam partem probabiliorẽ, & aliam probabilem, neutram abſolutè veram judicat, ſed utramque veriſimilem, licèt aliam veriſimiliorem, & hoc ſufficit, ut ſecundùm utramque, poſſit ferre judicium: Ubi enim veritas nòn patet; ſufficere debet, quòd judicium feratur ſecundùm id, quod veriſimile apparet.

Sed contrà in primis eſt, quòd, ut aliquis prudenter operetur, neceſſariò determinatam habere debet regulam ſuę operationis; cùm hæc determinata ſit, ac determinatam habere debeat menſuram, & rectitudinem, ac per conſequens determinatam utique regulam expoſcit, quà menſuretur, illique conformetur: non ergò ſufficit, quòd utramque veriſimilem judicet, ſed ex his alteri determinatè adhærere debet, illamque pro certa regula aſſumere. Tum ſic. Vel ergò ad hanc partem ſe determinat ex mera voluntate, vel ex ratione. Si ex mera voluntate, omninò imprudenter; Prudentia enim dictat, ut in formando judicio, nõ propriam voluntatem, ſed rationes, & merita cauſæ attendamus: Ex ratione autem non poteſt, ad minùs probabilem ſe determinare. Cùm enim intellectus ex natura ſua ſit determinatus ad verum, naturaliter ad eam partem inclinat, ubi major veritatis lux, & ſplendor effulget: Vim ergò, eſſet inferre intellectui contrà ejus inclinationem, judicium ferre ſecundùm partem minùs probabilem, minùſque veriſimilem.

46. Deindè judicium Prudens debet eſſe adeò certum

tum de veritate, certitudine saltem morali, ut ipsi falsũ subesse non possit, ut suprà satis explicatum est. Atqui judicium secundùm opinionem minùs probabilẽ hanc certitudinẽ habere nequit: ergò nec prudens esse potest. Probatur minor. Si aliquam veritatis certitudinem haberet, maximè, quia fundatum in rationibus, & motivis alicujus momenti: sed opposita sententia majoris ponderis habet fundamẽta: ergò & ipsa certa erit de veritate. At implicat omninò, quòd certitudinem quis habeat de veritate duarum contradictoriarum: ergò si judicans probabiliorem sententiam asserentem operationem illicitam habet certitudinem de ejus veritate, nullam penitùs certitudinẽ habere potest de ejus cõtradictoria, licitam asserentem operationem eandem: ac per consequens non potest, absque imprudentiæ nota, secundùm illam judicium proferre. Recolenda sunt hic dicta §. præced.

Sequitur Summarium.

47. *Sententia minùs probabilis, etsi fundetur in bona ratione, secundùm se, & signatè, non tamen excercitè, & in concursu probabilioris.*

48. *Vel certè non sufficit ad certificandum operantem.*

49. *Ad judicandam opinionẽ absolutè probabilem, sufficit, quòd tali nitatur fundamento, quòd Prudentum judicio sit alicujus momenti, sed hoc non sufficit ad moraliter certificandum.*

50. *Judicans utramque partem probabilem; si non speculativè; practicè absolutè veram judicat probabiliorem, si determinatum ferat judicium.*

51. *Aliud est, quòd judicium opinativum fundetur in apparentia, & probabilitate, aliud est, quòd per illud res judicetur tantùm apparens, & probabilis.*

52. *Habens judicium de quacunq; probabilitate opinionis, nisi determinatè judicet illam veram, non habet certam regulam suæ operationis.*

53. *Moraliter impossibile videtur, quòd ex puro veri-*

ritatis amore omnibus ferè perpensis, probabiliorem judicet quis opinionem Probabilistarum.

54. *Immo gratis admisso casu, talis non excusaretur hic & nunc sequendo sententiã, quam judicat minùs probabilem.*

55. *Reflexio, quà Probabilistæ, defendere, conantur, usum licitum opinionis minùs probabilis, quia scilicet judicat quis probabilius, in Concursu duarum opinionũ licitum esse, quamlibet sequi, est potiùs implicatoria, quàm potens moraliter certificare.*

56. *Conclusio, quam pro regula Probabilistæ volunt, ex nullo certo principio deducitur, benè verò ejus contradictoria.*

57. *Ad moralem certitudinẽ ferri debet judicium secundùm probabiliorem sententiam, sub quà proximè, immediatè, ac directè judiciũ practicum continetur.*

58. *Expenditur quædam responsio Urbani VIII. ad Paraquanæ Missionarios.*

59. *Credendum est omninò; Summos Pontif. in dispensationibus, aliisque decretis probabiliorem existimasse sententiam, quam secuti sunt.*

60. *Quomodò sententia nostra, nec suavitatem Jugi Christiani exasperat, nec onus aggravat.*

47. OBJICIES primò. Prudenter operatur, qui bonæ rationis ductu operatur, atqui taliter operatur, qui minùs adhuc probabili sententiæ adhæret ergò&c. Probatur minor, nam sententia minùs probabilis bona ratione fulcitur, aliàs probabilis non esset.

Respondetur negando minorem. Ad probationem distinguo antecedens: fulcitur bonà ratione, secundùm se, & signatè, concedo: bonà exercitè, & in concursu probabilioris, nego; licet enim ratio, quà probabilis opinio fulcitur, posset absolutè bona judicari, & secundùm illam quis prudenter agere, adveniente tamen efficaciori, evanescit ejus vis, ac frivola remanet; Sicut, luce Solis adveniente, Stellarum lux occultatur. Ut ex Philosophia docet S. Thom. *p. 1. q. 50. àrt. 1. ad pri-*

primam, medium comparatum ad unicū extremum, videtur alterum extremum; ſicut tepidum comparatum calido videtur frigidum; Sic ergò licèt probabilis ratio comparata frivolæ, bona videatur; comparata verò probabiliori, à bonitate cadit, & frivola videtur.

48. Vel ſecundò reſponderi poteſt, diſtinguendo majorem. Prudenter operatur, qui operatur ductu bonæ rationis illum certificantis moraliter, concedo; non præbentis illi moralem certitudinem, nego. In cōcurſu autem probabilioris non poteſt minùs probabilis certum reddere, ut ſatis ex dictis conſtat.

49. Contrà. Probabiliori adhęrens opinioni adhuc ipſe probabilem judicat oppoſitam, aliàs falsò judicaret; cùm in re ſit probabilis: ergò verè judicat illam bona ratione fultam, & potentem certificare moraliter.

Reſpondetur negando abſolutè ultimam partem conſequentis, & diſtinguendo primam: judicat bona ratione fultam, ſignatè, ac meliori non occurrente, concedo, in conſpectu melioris, nego conſequentiam. Ad hoc enim, ut abſolutè opinio probabilis cenſeatur, nō eſt neceſſe, quòd judicetur abſolutè, & ſimpliciter tuta, ſeù veritati conformis; id enim nō præſtat, niſi opinio, quæ omnibus benè perpenſis, vera putatur. Sufficit autem ſententiæ probabili, ſi tali rationi ſit innixa, quæ Prudentum judicio alicujus roboris, & momenti exiſtimetur, & non ſit omninò frivola, quam Prudentes flocci faciant, & irrideant. Talis ergò debet eſſe ratio probabilis opinionis, quæ meliori non occurrente, firmare illam poſſit pro regula vera. Cùm verò fortiori victus ratione, omninò prudenter judicet verā contrariam, poſſibile non eſt, quòd habeat etiam pro vera regula minùs probabilem; Veritas enim una eſt.

50. Inſtabis. Judicans unam ſententiam probabiliorem, & aliam minùs probabilem, neutram abſolutè veram judicat; ſed utramque veriſimilem, ac dignā, quæ pro vera regula habeatur. Quid enim eſt proba-

bile, nisi dignum approbatione? Sicut credibile dignũ fide? ergò liberè, licitè, ac prudenter utramque approbare, ac pro vera regula potest assumere.

Respondetur distinguendo totum, & retorquendo argumentum, & paritatem. Sicut enim credibile dicitur, quod secundùm se dignum fide judicatur; cùm quo tamen stat, quòd propositum alicui jam de falsitate ipsius certificato dignum ampliùs non sit, ut ab eodem illi fides præstetur; Ita probabile secundùm se dignum non est, quod approbetur ab eo, qui jam certus est moraliter de contraria veritate, ac per consequens de illius falsitate; Et sicut certus de falsitate credibilis, nõ ideò judicat illud absolutè incredibile, quia benè videt, quòd tantam habet veritatis apparentiam, ut possit illi fides adhiberi à nõ habente certitudinẽ de opposito. Ita certus de contraria veritate, nõ statim oppositum judicat improbabile, quia videt, quòd tantã habet veritatis apparentiam, & similitudinem, ut pro vero possit approbari à non habente majorem certitudinẽ de opposito. Judicans ergò utramq; sententiam probabilem, neutram absolutè veram judicat, speculativè, cõcedo; quia de neutra certitudinem speculativam habet, ac evidentiam, quod requireretur ad judicium speculativum absolutè certum. Practicè nihilominùs absolutè veram judicat probabiliorẽ; quia de illa, ejusque veritate certitudinem habet moralem; undè non potest, simul practicè veram judicare oppositam.

Vel etiam aliter distingui potest: Neutram absolutè veram judicat, si determinatum judicium per determinatum assensum proferat nego; Si judicium, & assensum suspendat, concedo: Quid enim est, ferre judicium, nisi proferre sententiam, quòd res ita se habet? Quid assentiri, nisi pro vero, ac rato habere, quod proponitur? Cùm autẽ ad operandum necesse sit, determinatum, immò certum moraliter habere judiciũ, quod certa sit regula operationis; ac omninò imprudẽter hoc judicium cõtrà sententiam,

quæ

quæ probabilior apparet, ferretur, ut ex dictis planè constat: necesse utique est; quòd operans veram, ac certam judicet probabiliorem sententiam, & consequenter veram, non potest oppositam judicare.

51. Insurges adhuc: estò probabiliorē judicans opinionem, illique assensum præbens æstimet illam verā, non tamen certo, ac firmo judicio, sed tantùm probabili: ergò stat, quòd simul judicio pariter probabili veram æstimet oppositam. Probatur consequentia. Judicium probabile, ac opinativum non judicat absolutè, aliquid esse verum, & quòad esse, vel non esse in se; sed solùm quòad apparentiam, probabilitatem, seù verisimilitudinem; sed stat benè omninò, quòd quis prudenter judicet, utramq; contradictionis partem habere veritatis apparentiam, probabilitatem, & similitudinem; ergò &c.

Respondetur admisso utcumque antecedenti, judicium enim adhęrens probabiliori est certum moraliter, si non metaphysicè; negando consequentiā. Ad probationem negatur major. Aliud est enim, quòd judicium opinativum fundetur in apparentia, probabilitate, ac verisimilitudine; aliud est, quòd judicet rem apparentem, probabilem, & verisimilem; per hoc enim nullo modo præbetur assensus; sed tantùm fertur sententia de probabilitate opinionis, quæ quidem esse potest adhuc certa, & evidens, nedùm opinativa; & nihilominùs intellectus neutri parti assentiri, sed omninò judiciū de re suspendere. Puta dùm quis, benè consideratis, ac maturè perpensis utriusque partis rationibus, & motivis, æqualis omninò ponderis, & gravitatis utriusque fundamenta judicat, ac proindè certò, & absque ulla formidine probabilem, immo probabilissimam judicat utramque sententiam; nulli tamen præbet assensū; quàm potiùs ex hoc ipso, quòd sano judicio ęquè probabilem putat utrumque; assensum, & judicium suspendit: Dùm ergò ex aliqua majori probabilitate uni parti adhæret, illam non

præcisè probabilem, & apparentem, seù verisimilem, sed veram in re judicat, quamvis non certò; quia de illius veritate nō habet evidentiã, sed cùm aliqua formidine partis oppositę; quã doctrinam authoritate S.D. confirmat Reverend. Thyrsus diss. 1. §. 1. n. 7. & seq.

52. Adde, quòd gratis admisso, posse quempiam hujusmodi probabile judicium habere de utraq; contraditionis parte, non sufficeret ad hoc, ut certam haberet regulam suæ operationis. Ad hoc enim, ut ex dictis patet; requiritur, quòd moralem habeat certitudinem de veritate, ac per consequens determinatum judicium, quòd actio licita sit: Impossibile autem est, quòd certum, ac determinatũ judiciũ habeat de utraq; parte.

53. Objicies secundò: Sententia, quam nos tuemur, quòd Scilicet in concursu opinionum probabilior, & tutior sequenda sit: non excedit limites probabilitatis: ergò estò nos, qui illam probabiliorem judicamus teneamur, ità operari: qui tamen contrariam sententiam probabiliorem putat; quòd scilicet liceat, etiã secundùm minùs probabilẽ operari; licitè quoque operabitur. Prob. consequentia; nam secundùm nos, & omnes licitè potest quis, operari juxtà sententiam, quæ sibi probabilior apparet.

Responderi posset in primis; negando consequentiam: ad probat. distinguo antecedens: licitè &c. quæ sibi probabilior apparet, facta debita diligentia, nec posito aliàs obstaculo ad veritatis lucem, concedo; aliter nego. In tantùm ergò sequens opinionem, quæ sibi videtur probabilior, licitè operatur, in quantum, si errare contingat, ex invincibili errore, ac ignorantia excusabitur. Qui autem, vel debitam omittit diligentiam in veritatis inquisitione, vel certè passione, propriæque voluntatis placito præoccupatus, veritatis lucem non satis, valet aspicere; propriâ culpâ errat, ac perindè nō excusatur. Moraliter autem impossibile videtur, quòd hisce præcipuè temporibus, & rationum, & DD. pravitate pensata

puro

puro mentis oculo, ac ex veritatis amore, probabiliorẽ quis judicet Probabilistarũ sententiã. De quo Thyrsus diss.13. c.2. §.14.& seq.

54. At gratis admisso, quòd possint Adversarii omnibus benè, ac ritè perpensis, probabiliorem suam judicare sententiã; Dico quòd etsi tali sententiæ adhærendo, nõ peccent, à peccato nihilominùs non excusabuntur, si hic, & nunc juxtà minùs probabilẽ opinionẽ operentur. Quod ut pateat, aliter ad propositũ argumentũ

Respond. negando consequentiam, ad probat. distinguo antecedens. Licitè potest quis, operari juxtà sententiam, quæ sibi probabilior apparet, practicè, & in actu exercito; concedo, tantùm speculativè, & signatè; nego antecedẽs cùm consequentia. Judicium enim, quod regulare debet operationem, est judicium practicum, & immediatè operationem ipsam respiciens: formare namque debet conscientiæ dictamen. Hoc nunc est sic agendum, vel non agendum. Cùm autem de aliqua particulari actione duę concurrunt opiniones, una probabilior dictans ipsam illicitam, alia minùs probabilis dictans licitam. Quantumcunque putet quis probabiliùs, licere, sequi minùs probabilem, non potest, hic, & nunc prudenter judicare probabilius, licitam esse talem actionem; quia supponimus, quòd probabilius judicet, esse illicitam: agendo ergò talem actionem; aget utique secũdùm opinionem, quàm minùs probabilem existimat; non enim potest, simul, & semel utramq; judicare probabiliorem. Verè igitur aget juxtà sententiam, quam judicat minùs probabilem.

55. Instabis, retorquendo responsionem. Ad licitè operandum sufficit, quòd formetur judicium practicũ ultimum, & immediatè regulans operationem juxtà probabiliorem sententiam; atqui estò quis jùdicet unã partem contraditionis probabiliorem; potest ferre practicum, ultimum, & immediatum judicium pro parte opposita per reflexionem, quòd licitum sit sequi partem, etiam minùs probabilem

lem, quæ quidem ſententia eſt apud ipſum probabilior; ergò defacto talis licitè operabitur; quia ultimum judicium habebit juxtà probabiliorem ſententiam: v. g. dubitat quis, an iſte contractus ſit licitus; & omnibus benè perpenſis, movetur ad aſſerendum, non eſſe licitũ, non tamen improbabilem, immo verè probabilem judicat ſententiam aſſerentẽ, eſſe licitum. Judicium hoc, quod profert, contractus iſte non eſt licitus; non eſt illi practicum, ultimum, & immediatum; Quia poſt hoc reflectit adhuc, ſuprà ſententiam ſuam, quam omninò probabiliorem putat; ſcilicet quòd liceat, ſequi ſententiam minùs probabilem: Ex quo format ultimum, & practicum judiciũ, quòd ſibi liceat contractus ille. Certè judicium hoc practicum eſt formatũ juxtà ſententiam apud ipſum probabiliorẽ, & conſequenter poteſt illi eſſe pro certa regula ſuæ operationis.

Reſpond. tamen primò, admiſſo gratis, quòd poſſit ferri tale judicium; diſtinguendo minorem. Poteſt, ferre judicium pro parte oppoſita, judicium prudens, ac moraliter certum, nego, utcunque, concedo. Tale ſiquidẽ judicium nullo modo prudens eſſe poteſt, eò quia per illud aſſeritur licitum, quod omninò prudenter judicatur illicitum. Quomodò enim poteſt homo prudens judicare, hoc licitum eſſe, de quo certitudinem habet moralem, quòd non ſit licitum? Nec enim illa reflexio facit, quòd ſententia dictans actum illicitum, ipſi probabilior non appareat. Si ergò ipſi probabilior, certa moraliter eſt: quomodò ergò eidem certũ poteſt eſſe moraliter oppoſitum? Quarè iſta reflexio implicatoria potiùs eſt, quã potens moraliter operantem certificare.

56. Deindè; ut certum ſit moraliter judicium practicum, ut ſuprà tetigimus; debet per modum concluſionis, & per bonam conſequentiã deduci ex uno ſaltèm principio abſolutè, & ſecundùm ſe certo; præcipuè quandò commodè haberi poteſt; & quidem principio univerſali, ſub quo adæ-

adæquatè contineri possit judicium illud practicum,& particulare. Quodnam autem est hoc universale principium, ex quo per talem reflexionem deducatur judicium particulare dictans licitam operationem? An fortè sententia dictans, licitum esse, minùs probabilem sequi opinionem? Aliud certè non video. Hic enim est syllogismus ille reflexus. Licitum est, sequi opinionẽ probabilem, etiam minùs tutam,& minùs probabilem quàm opposita: sed sententia dictans licitum istum cōtractum est verè probabilis, quamvis minùs, quàm opposita: ergò licitum est, illam sequi, ac per cōsequens licet mihi, hunc celebrare contractum. At porrò major illa universalis, non solùm non est absolutè certa, immo vix probabilis,quamvis illam probabiliorem putent contrarii, quomodò ergò certitudinem dare potest conclusioni? præcipuè cum ex principio absolutè certò concludi possit optimè contractum nō esse licitum; puta per hunc syllogismum. Licitum non est agere,quòd quis,omnibus benè perpensis,illicitũ judicat,atqui omnibus benè perpensis,judicãs probabiliorẽ sententiam asserentem contractum illicitũ verè judicat illum illicitum, ergò illi non est licitum,talẽ celebrare cōtractum. Major universalis adeò certa est,ut & ipsi cōtrarii fateri teneantur. Minor autẽ quamvis Probabilistæ per suam reflexionem conentur,illã abeo universali principio extrahere; adminùs certè probabilis remanet. Cōclusio ergò,quòd contractus non sit licitus,deducitur ex majori certa, & minori saltèm probabili;undè benè potest ad moralem certitudinem pertingere. At verò conclusio, quã per syllogismum reflexũ deducunt Probabilistæ, cùm neutram habeat præmissam certam, sed ad summum utramque probabilem; nullam omninò, nec moralem, potest, habere certitudinem. Hæc enim, ut sæpè dictum est, talis esse debet, quà major hic, & nunc haberi non possit; loco enim absolutæ certitudinis debet substitui,quã in moralibus habere nō possumus. Quomodò ergò pro cer-

certa moraliter haberi potest conclusio, cujus oppositum, & directè, & reflexè certiùs, ac evidentiùs concluditur.

57. Responderi potest secundò, distinguendo majorem, sufficit, quòd formetur judicium practicum juxtà probabiliorem sententiam, sub quà proximè, immediatè, ac directè ipsum judicium practicum continetur; concedo: sub quà cōtinetur tantùm remotè, & per quandam reflexionem; nego. Ut enim suprà diximus: judicium ultimum, practicum, & immediatè regulans operationem, regulari, & commensurari debet judicio speculativo, sub quo adæquatè, & immediatè cōtinetur, nisi aliqua particularis circunstantia illud extrahat quodammodò ab ejus subjectione: Ac proindè, cùm reflexio ista Probabilistarum nullā afferat circunstantiā, rationo cujus veritas objectiva varietur; ac per consequens neque formalis veritas ipsius judicii, quod cum tota reflexione remanet in sua majori probabilitate; non potest, ullomodo prudenter formari aliud practicum judicium, quo ab illo discordet.

Ex quibus insuper clarè patet; quàm difficilè sit; quòd Viro prudenti extra passionem, & ex puro veritatis amore, utriusque partis merita ponderanti, apparere possit probabilior sententia benigna Probabilistarū; Cùm nullo stabili, ac certo fundamento fulciatur, sed per sophysticas ambages illam tueri, conentur Probabilistę; cōtraria verò solidissimis, ac omninò certis nitatur principiis.

58. Objicies tertiò. Urbanus Octavus consultus à Missionariis Provinciæ, & Regni Paraquariæ, ut refert P. Nicolaus del Tacho Soc. Jesu Missionarius in eàdem Provincia; sic exponentibus, & supplicantibus. *SS. Pater. In Provincia, & Regno Paraquariæ in India Occidentali maxima difficultas suboritur in conversione infidelium ad fidem nostram, quādò aliqui ex Ministris volunt illos cogere ad recipiendum, & retinendum primum conjugem, quē in infidelitate habuerunt. Gens quippe, ex innata barbarie passim conjuges, si verè*

verè conjuges dicendi sunt, dimittunt, non aliter, quàm nostri famulas, & famulos. Itaque plerique putant, non esse, saltèm communiter, apud illos verum matrimonium, sed concubinatum; atque adeò permittunt, quòd conjugem Baptizatum accipiant, quandò ad fidem convertuntur. Alii tamen scrupulum habent, & cogunt eos ad repetendam primam conjugem; Ex quo magna incōmoda sequuntur &c. Undè attenta eorum praxi, & consuetudine, multi pii, & docti Viri putant, communiter non fieri apud ipsos verum contractum matrimonii. Cæterum ad tollendos scrupulos, & dubia &c. à Sanctitate vestra humiliter petitur, ut quādoquidē juxtà Virorum Doctorum doctrinam Sedes Apostol. ex gravi causa potest, aliquandò matrimonium Infidelium dissolvere, prout Sanctitas Vestra declaravit in Brevi suo expedito die vigesima Octobris anno 1626. & rursus in alio simili die 17. Septembris anno 1627. his verbis. Nos attendentes, hujusmodi infidelium matrimonia non ità censeri, quin necessitate suadente, dissolvi possint &c. Et quidem in hoc gravissimæ causæ sunt, immo necessitas ad conversionem illorum infidelium, dignetur Sanctitas Vestra, ex benignitate Apost. concedere Provinciali Soc. Jesu facultatē, ut ipse, & ji ex Societate, quibus ipse conversionem gentis demandaverit, possint, occurrente casu, & facto examine, & manēte dubio de valore prioris matrimonii in infidelitate facti; vel magna difficultate inveniendi veritatem, vel magna difficultate repetendi primum conjugem jam dimissum: possint, inquam, ad conversionem faciliorem reddendam, vel ad conversorum manutentionem in fide, & obedientia legum Ecclesiasticarū, dispensare cùm ejusmodi conversis, ut possint post Baptismum contrahere verum matrimoniū in facie Ecclesiæ &c. Ad hæc Pont. resp. *Non videri sibi speciali sua dispensatione opus esse, ubi DD. sententiæ utrimque probabiles intercederent; sequerentur opiniones pro cōditione locorū, ac hominum, Barbaris favorabiliores; Salva interim utriusque partis authoritate, sinerent doctis hominibus sentiendi libertatem &c.* Hæc autē

Pont. responsio prorsus docet, licitum illis esse, quamcunque sectari opinionem certò probabilem Barbaris favorabiliorē, quamvis illa minùs probabilis fuerit; Totam rem per extensum refert Reverendissimus Thyrsus dissert. 14. capit. 7. §. 1. & expendit quàm accuratè §. seq. ex quo vel breviter aliqua referemus.

Respondetur ergò in primis, allatam Pont. responsionem authenticam non esse, nec historicum formalia verba Pont. referre, ut necessarium esset ad aliquā saltèm authoritatem, & fidem. Quidquid autem sit de hoc, admisso utcumque Pont. responso, nihil ex eo contrà nos colligitur. Tota enim supplicatio Missionariorum consistebat in hoc; quòd apud Viros doctos, ac pios illorum infidelium matrimonia pro nullis habebātur; & quidem satis rationabilibus, immo evidentibus fundamentis, ac motivis, quibus tamen non obstantibus, aliqui scrupulosiores de hoc dubitabant; ad tollendos igitur scrupulos, ac dubietates Pont. facultatem dispensandi postulabant: Ad quod Pont. respondet. *Non videri sibi speciali sua dispensatione hîc opus esse*: Sed attenta locorum, ac hominum conditione, sequerentur tutò opiniones Barbaris favorabiliores, hoc est, dato, & stante, quòd crederent, verè matrimonia in infidelitate contracta nulla fuisse, permitterent, liberè conversis, nova contrahere matrimonia. Quod manifestè deducitur ex eodem Historico ità concludente. *Constans igitur Sociorum, plerorumque in his Terris degētium opinio praxi confirmata fuit, horum Barbarorum matrimonia ob rationes suprà relatas nulla esse; & posse Barbaros ad fidem conversos, quamcunque Baptizam, rejectis aliis, in conjugem sumere: quanquam eam semper adhibuere cautelam, quam rei gravitas postulabat.* Monet nihilominùs Pont. nè contrarium sentientes disturbarentur, sed ipsis sentiendi libertas concederetur; quia forte in aliquo casu contingere potuit, ut inter aliquos infideles per legitimū consensum verum fuerit matrimo-

monium. Nunquam tamen Pont. libertatem permisit, ut sententiam, & opinionẽ sequerentur, quæ sibi minùs tuta, minùsque probabilis videretur: præcipuè in tam gravi materia validitatis matrimonii; Aliàs enim Pont. responsũ dedisset juxtà sententiam, quæ jam inter cæteras scandalosas, ut minimùm, & in praxi perniciosas, eadem Apost. Sedes damnavit. In decreto enim Innocent. XI. 2. Martii 1679. sequens damnatur propositio. *Non est illicitum, in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiori &c.* Verè namque nullum fuisset matrimoniũ contractum à conversis post Baptismum; si contractum in infidelitate validum erat. Igitur concedendo Pontif. quòd stante majori probabilitate de valore primi, possent adhuc, novum contrahere matrimonium, concessisset, quòd, stante minori probabilitate de valore Sacramenti matrimonij, posset, celebrari, quod absit de tanto Pont. suspicari.

59. Solent adhuc objici quædam Summorum Pont. gesta, præcipuè dispensationes, in quibus videntur manifestè minùs probabiles opiniones secuti: Ad hæc tamen, cęteris omissis, dicitur, quòd omninò tenendũ est, Summos Pontifices, si talia egerunt; probabiliorem tenuisse sententiam, quam secuti sunt.

60. Objicies denique. Jugum Domini suave est, & onus leve, ut ait Christus Jesus Matth. 11. hoc autem non esset, si nos ad tutiores, probabilioresque sententias necessariò sequẽdas adstringeret, cùm hæ, ut plurimùm, sint severiores, ac perdifficiles. Quinimmò id esset, scrupulis, & anxietatibus conscientias exponere, gravique nimis pondere onerare, intolerabili jugo præmere, crudeliterq; cruciare; ergò &c.

Respondetur in primis, levitatem, suavitatemq; oneris Divinæ legis, nõ ex opinionum laxitate, ac probabilitatis abusu; verùm, ut optimè docet S. Thom. *p. 2. q. 98. art. 1. ad tertium*, ex dono Gratiæ, & Charitatis oritur, onus ipsum allevian-

te, ac jugum emolliente: Dùm libenter ex Jesu amore illi caput inclinamus, & collum submittimus, eò vel maximè; si laborantes, onerati ad ipsius Cœlestis Gratiæ dulcissimam refectionē properemus: eodem Salvatore nos invitante. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*. Ad quam tamen suavissimam refectionem, non nisi per arctam viam, quæ ducit ad vitam, relicta spatiosa, & lata, quæ iter ad perditionem pandit, ipsa docente supremâ Veritate, pervenire possumus.

Nec demùm scrupulis, & anxietatibus nostra sententia fomitem præbet, vel aditum aperit. Nam tutior sententia de se facilè, cuique innotescit, ac ut in plurimū, probabilior communior est. Magnum autem videri non debet, communiorem quærere opinionem, præcipuè inter antiquos, gravioresque DD. Adde, quòd nō imponimus majorem necessitatē, ac pondus ad probabiliores inquirendas opiniones, quàm certè adhuc adversarii, concedere, ac requirere, debent, ad investigandū, an opinio verè sit probabilis. Aliàs quippè omninò esset, salutis viam, dilatare non modò, sed veriùs pervertere, si quacunque occurrente opinione, ipsam absque ulla discussione quempiam sequi, posse, doceremus.

Quid ergo nimis grave, anxium, difficilè, vel scrupulosum? Si quærenti mihi; an liceat aliquid agere, duplex occurrat sententia, quarum una probabilior, tutiorque appareat, quid clarius? quid facilius, quàm ipsam amplecti? Nonne potiùs, minùs probabilem sequendo, statim irreperet scrupulus? Neque ad hoc intolerabilem exigimus diligentiam, sed illam sufficere, fatemur, quæ commodè fieri potest, attentis circunstantiis Personarum, locorum, gravitatis materiæ, necessitatis urgentis, & similibus. Dùm ergò, congrua facta diligentia, inquirendo, an actio aliqua sic licita, una tantùm occurrit sententia, quæ verè probabilibus fulciatur fundamentis, jam illam poterit quis

quis liberè ſequi. Si verò tantùm frivolæ, ac debiles appareant rationes, & ex alia parte tutius ſit, ab actione deſiſtere; tenebitur utique, magis inquirere, vel actionem ſuſpendere; ſi verò probabilem inveniat ſententiam, & alia quoque occurrat contraria &c. Tenebitur, hujus rationes æquali diligentia diſcutere; ut quænam probabilior ſit, adinveniat. Quod non debet onerosum nimis videri pro animæ ſalute; cùm pro corpore, immo rebus ipſis caducis, fallacibuſque bonis ultrò majores quaſcunque diligentias, ac ſtudia ſubire, non pigeat.

Adde, quòd, ut benè advertit Sayrus Cla. Reg. lib. 1. cap. 6. num. 2. Ut opinio cenſeatur probabilis, debent diligenter expendi rationes utriuſque partis, & tunc probabilis cenſenda eſt, quandò DD. authoritate, & rationum pondere fulcitur, & facilè argumenta in contrarium diluuntur. Quarè omninò eadem ferè diligentia eſt, & inquiſitio; an opinio ſit verè probabilis, & an probabilior. Pro rudibus autem ſufficiet, ſi bona fide credant conſilio alicujus, quem doctum, ac timoratæ conſcientiæ putant. Non enim poſſunt ipſi, rationes benè diſcutere. Sed nota, quòd bona fide conſiliū quærant, Conſiliarium eligant, conſilium ſuſcipiāt, de quibus jam ſupra ſuo loco ſatis dictum eſt.

APPENDIX

APPENDIX

Pro quodam novissimo Tractatu in favorem Benignæ Sententiæ.

SUMMARIUM.

1. *Intentum hujus Digressionis.*
2. *Primarium sententiæ nostræ intentum est, veram, ac certam firmare regulã, quà tuti incedamus, quamvis ex consequenti opinandi licentia coarctetur.*
3. *Aliundè probabilitas, aliũdè rigor, vel benignitas, aut latitudo sententiæ desumitur.*
4. *Laxæ, temerariæ, aut scandalosæ, non præcisè, quia latæ, sed quia ultrà rectæ rationis dictamen sunt, has merentur notas.*
5. *Non prohibetur usus, at abusus probabiliũ sententiarum, ad quarum licitum usum requiritur, quòd operans prudenter sententiæ ipsi præbeat determinatum assensum.*
6. *Sicut amabile secundùm se non est mihi amabile, si ejus amor melioris boni sit impeditivus, ità probabile &c.*
7. *Absoluta probabilitas non sumitur ex præcisa relatione ad operantis intellectũ, sed, ut ipsi regula sit opinio, hæc relatio imprescindibilis est.*
8. *Ex Probabilistarum principio satis incuriosi reddebantur Doctores in veritatis inquisitione, & ex nostra sententia valdè ad illam excitantur.*
9. *Sententia nostra, nec ad desperationem inducit, nec ad melius cogit, sed ad absolutè necessarium.*
10. *Sufficit in nostra sententia, quòd operaturus ex puro veritatis amore, ac salutis zelo congruam adhibeat diligentiam pro conditione personæ, & aliarum circunstantiarum.*
11. *Sententia nostra indubitata fuit apud Doctores, si modernos excipias, & sufficienter promulgata.*

12. *In-*

12. *Inconveniens, quòd sequeretur, si verum esset, legem nullam esse, dùm probabile est, an aliquid sit præceptum, vel prohibitum; necnè.*

13. *Ex hoc ipso, quòd probabilior apparet sententia, satis lex promulgata est.*

14. *Aliud gravissimum inconveniens ex contraria doctrina.*

15. *Contradictio in eadem, & grave scandalum in moralibus.*

16. *Leges naturales per rationis dictamen satis promulgantur, & positivæ, ubi obscuritas occurrit per eandem rationẽ declarãtur.*

17. *Levitas Christianæ legis est libertas Filiorum Dei, non laxitudo morum.*

18. *Expenditur, quàm benè Author asserat, suam sententiam antiquorum fuisse regulam, præcipuè Divi Antonini, & Nidei.*

19. *Quàm extortè Divi Augustini sententiam idẽ explicet.*

20. *Benè discurrit Author circa veram probabilitatẽ, sed quæstio de nomine est, an verisimile, & probabile idem sint.*

21. *Classicorum DD. approbatio, ut plurimùm requiritur ad firmandam probabilem sententiam; sed in casu probabilissima esse potest opinio absque tali approbatione.*

22. *Per se loquendo, quòd probabile est speculativè, ità etiam practicè, nè aliqua in contrarium superveniat circunstantia.*

23. *Opinio, circà quam extat lex, decretum, vel decisio, neque speculativè censenda est ampliùs probabilis.*

24. *Graviorum DD. authoritas in moralibus magni facienda, nè gravissima ratio ad contrarium impellat.*

25. *Nulla reflexio juvare potest, dùm quis rationis, & authoritatis vi ex utraque parte perpensa; probabiliorem unam judicat, ut in contrariam possit prudenter deflectere.*

26. *Satis est, exceptionem utilem esse ad majorem regulæ declarationem.*

27. *Unica naturalis juris interpetratrix est ipsa legislatrix ratio, quam sequi, tenemur.*

28. *Quo-*

28. *Quomodò leges benignè interpretrandæ sint?*

29. *Expenditur quodnam præjudicium benignæ sententiæ attulerit* Innoc. XI. *Decretum.*

30. *Quàm benè urgeat contra nos Author iste; decretum Alexandr. VIII.*

31. *Regula; In dubiis tutior pars est eligenda, quomodò præceptiva, & consultiva est.*

32. *Illusiones potiùs, quàm argumenta, quæ contrà nos affert Author iste.*

33. *Tenemur, sequi probabiliorem sententiam, ut à periculo peccandi formaliter liberemur, non solùm materialiter.*

34. *Ex doctrina dicti Authoris liberaremur etiam à periculo peccandi materialiter, undè nimis probat.*

35. *Quòd in nostra sententia liberemur à periculo formaliter peccandi, clarè ostenditur; non autem probare poterunt in sua Probabilistæ.*

36. *Certitudo, quam exigimus, est moralis, ad quā non sufficit minor probabilitas.*

37. *Exempla in favorem nostrum adducta justissimè, non nimis probant.*

38. *Exempla, quæ pro se adducit Author, in ipsum retorquentur.*

1. DUM ista meditaremur, pervenit ad manus cujusdam Recentioris Tractatus manuscriptus per modum Epistolæ, seù potiùs Epistola per modum Tractatus ad quendam Romanæ Curiæ Prælatum directa italico idiomatè anno 1694. quo tandem Romæ pariter in lucem prodiit opus Reverendiss. Patris Thyrsi, quem licèt Author sileat, potiusque *Mercorum* nominet jam ab annis multis vulgatum, satis apertè licet colligere, ab hoc novissimo Thyrsi opere impulsum habuisse dictum Authorē ad acuendum calamum in benignæ sententiæ favorem; cujus Tractatus multa verborum apparenti vi, ac eloquenti energia suffulti, quia plura, quamvis clanculum, à benignæ sentētiæ patronis disseminantur exemplaria, nè penitùs destituta periclitetur; opere pretium duximus, hic, è tenebris ad lucem ipsum tractatum deducere

cere, ut clarè cunctis appareant jam omnia detecta sophismata, confractæ vires, dissipata consilia. Displicet autem, quòd ea brevitate, quà cuperemus, & jam in consiliis erat, non licet percurrere; Cùm enim potiùs, quàm in rationum pondere, in verborum, & eloquentiæ vi manifestè cõfidat Author; Et nos ipsum de numero ad numerum, nè dicam de verbo ad verbum prosequi, necesse fuit. Non tamen per extensum, & Italico, ut scripta sunt, idiomate, sed summatim latinè, omni tamen fidelitate, & cum omni sententiarum pondere, afferre, satiùs visum fuit; illud enim, & longius, & inutilius omninò arbitrati sumus.

2. Fatetur ergò in primis iste Author à numero primo usque ad secundũ inclusivè, tanquam indubitatum, dignum quidẽ esse Casuistarũ jactantiam, & libertatẽ reprimere, quà satagunt laxas effundere doctrinas; at verò ad ipsorũ licentiam cõprimendã calumniari, damnare, ac veluti à literatorum republica in exiliũ expellere sententiam asserentẽ, quandòque licere, ex duabus opinionibus certò probabilibus sequi, etiam operanti non adeò probabilem; inquit ipse non intelligo, immo enormissimam veritati, puto, injuriam irrogari. Ad quod probandum, hos veluti duos firmissimos figit cardines: primum scilicet, hoc remedium esse incongruum, & improportionatum; secundum verò, esse pejus malo, quod curari intenditur. Sed ut verum fatear, Probabilistæ, ut sophystici, nunquam directè, sed per obliquos, ac distortos calles incedunt; sic planè Author iste per varios circuitus veritatem obtegere conatur, licèt veritatis defensorem se jactet. En ecce in primo limite à recto deviat; primarium enim intentum nostrum non est, laxitatibus modum imponere, sed veram, ac certam firmare regulam, quà tuti possimus incedere; quanquam ex consequenti, hac posita, non parùm opinandi licentia coarctetur, ut videbimus. Audiamus igitur ipsum.

3. Sic à num. 3. usque ad 6. probat primum punctum.

ctum. Quia doctrinæ, vel sententiæ latæ, vulgò, largæ, non sunt probabiles: ad tollēdas igitur latas opiniones, quomodò congruū est remedium, prohibere usum probabilium, & quòd latæ sententiæ non sint probabiles, conatur ostendere; tum quia opinio probabilis contrà se nequit habere aliquod certum principium, vel decisionem, dogma, vel reprobationem, quod totum admittunt latæ, & sæpè meritò damnantur: tum quia probabilis opinio talis debet esse, ut antecedenter ad omnem passionem à Viro prudenti mereatur assensum, quarè validas pro se rationes exigit, ac fundamenta; latæ verò sententiæ debilibus, ac frivolis nituntur fundamentis: tùm etiam quia probabilis opinio approbari debet à DD. omni exceptione majoribus: latæ verò, ut plurimùm, pro se non habent, nisi Doctorem aliquem nō magnæ authoritatis; quæ igitur convenientia latarum opinionum cum pro babilibus?

Quis non videat, hunc Doctorem per obliqua tendere, latebras quærere? quid jactat, latas doctrinas probabiles non esse? Quid latum, vel strictum ad probabilitatem? Aliundè siquidē probabilitas, aliundè rigor, vel benignitas, seù, dicamus, latitudo sententiæ desumitur; hæc enim à commodo, vel incommodo mensuratur operantium; illa verò ab adæquatione cum re, seù verisimilitudine, tota pendet: undè optimè sententia benignior, & latior probabilior, ac certa esse potest; rigorosior, & strictior minùs, immo totaliter improbabilis. Et certè sententia minùs probabilis, quam tuta conscientia quemlibet sequi posse, contendunt Probabilistæ, semper latior, ac benignior est magis probabilis magisque tuta; Si enim tutior sit, non controvertitur, an liceat, agere, quod illa dictat.

4. Verum quidem est, multoties opinandi libertatem nimis laxas immo temerarias, & scandalosas introducere sententias; has tamen notas, ac censuras nō merentur, quia latæ sunt præcisè; verùm quia ultrà

rectæ

rectæ rationis dictamen. Nos autem nec latas, nec probabiles damnare intendimus opiniones, ad hoc enim, singularium in particulari merita discutere, necesse est; benè autem supposito, quòd in se verè sint absolutè probabiles, modū ac regulam tradere, quà earum sit licitus usus, nec aliā certè, quàm à sacris Canonibus, PP. gravibusque DD. acceptam.

5. Subdit Author à n. 7. usque ad 10. Ex hoc ipso, quòd probabilis est opinio, utique licitus ejus usus; probabilitas enim de se tota gaudet honestate; sicut enim amabile non est, nisi dignū amore, appretiabile, dignum quòd in pretio habeatur; ità probabile, dignū est approbatione, & consequenter licita executione; quare manifestam involuit contradictionem, asserere opinionē probabilem, & negare licitum ejus usum. Nec aliquid obstat, quòd opinio sit minùs probabilis, aut enim verè probalis est, aut non; si non, non sumus in casu; si autem verè probabilis, quarè ad prohibendas latas, prohibentur etiam probabiles.

Ad hæc, ut ab ultimo incipiamus, jam dictum est nos non prohibere usum, sed abusum probabilium sententiarum; neque in hoc quidquam curamus, an sententiæ latę sint, vel strictæ, quod tàm sæpè, & ardenter Author hic jactat, dilatans philacteria, sed canens extrà chorum. Ad usum autem licitum sententię quantumcunque probabilis, ut ex dictis planè constat, non sufficit, quòd sententia sit in se, & absolutè probabilis, sed requiritur, quòd operans per determinatum assensum prudēter ipsi adhæreat, formans conscientiam, licitum esse, quod illa dictat; hoc autem esse non potest, dùm prudenter judicat probabiliorem sententiam oppositam: quarè ipsi, licèt signatè, ac speculativè sit probabilis sententia dictans licitā operationem, exercitè nihilominùs, & practicè verè ipsi non est probabilis, nec digna, ut ab ipsa approbetur, cùm verisimiliorem existimet oppositam, cui perindè prudenter assen-

ſum præſtare debet.

6. Sicut ergò, quamvis amabile ſit in ſe aliquod objectum, quod aliquam præſefert bonitatem, indignum tamen eſt, ut ametur à mè, ſi ejus amor impeditivus mihi ſit melioris boni, quia non ampliùs eſt mihi bonũ, ſed perniciosum, & pariter ſecundùm ſe appretiabile vileſcit, & contemptu, non prètio dignum eſt, ſi poſſeſſionem, vel aſſecutionem pretioſioris impediat; ità quod ſecundùm ſe probabile judicatur, in conſpectu probabilioris cōtrarii à probabilitate cadit, nec dignũ eſt, ut vir prudens illi præſtet aſſenſum, quia prudenter omninò debet contrario aſſentiri, cum quo ſtare non poteſt aſſenſus minùs probabilis.

7. Per quæ patet ad id, quod ſubdit Author n. 11. uſque ad 18. & pro ſolido firmat principio. Videlicet opiniones per hoc, quòd ſint minùs probabiles, non amittere probabilitatem, ſed ſolùm fit indè, quòd non ſint adeò fortes ad trahendum intellectum, ſicut probabiliores: vera enim probabilitas non conſiſtit in relatione ad judicium operantis, qui probabilem judicet ſententiam, ex quo certè multi naſcuntur errores; ſed vera probabilitas, eſt probabilitas objectiva, de quà Philoſ. ait primo Topic. *Probabilia ſunt, quæ videntur omnibus, vel pleriſque, vel ſapientibus, atque his, vel omnibus, vel pleriſque, vel maximè notis*. Quarè igitur minùs probabiles doctrinæ longiùs expelli debent, ac ſi magis, & minùs variarent ſpeciem? Sicut ergò minùs doctus, vel pius, verè pius, & doctus eſt; ità minùs probabile, verè eſt probabile. Hic error, inquit, cauſa, & origo eſt mali totius in hac materia; Credunt enim aliqui, idem prorſus eſſe, dicere, minùs probabile, ac improbabile; pluraque ſubdit eleganter quidem, & in ſumma concludit ejiciendas non eſſe, nec damnandas minùs probabiles opiniones.

At, quæſò, quis damnat? Quis ejicit? quis à literaria expellit Republica minùs probabiles opiniones? Dãnatur abuſus, non opinio, cujus quidem probabilitas abſo-

absolutè sumenda non est ex præcisa relatione ad intellectum operantis, sed ut ipsi regula sit propriæ operationis, imprescindibilis est relatio ista, immo potissimũ attendenda. Quid enim juvat operantem probabilitas, immo certitudo sententiæ in se, si operans ipse juxta illam nõ habeat conscientiæ dictamẽ, (quod quidem, ut satis ostensum est, formare non potest juxta sententiam, quæ sibi minùs verisimilis apparet,) sicut enim ut utar exemplo, & similitudine Authoris ejusdem; quamvis nudus magnes vim habeat in se trahendi ferrũ, si tamen ex adverso magnes armatus fortiùs trahat, non poterit nudus ad se trahere ferrum, ità licet opinio de se probabilis vim habeat trahendi ad assensum intellectum, nunquam poterit illum trahere, si probabilior opinio ad contrarium fortiùs impellat; ni fortè perversa Voluntas contrà ipsius intellectus naturam ad minùs probabilem incliner: remanet igitur hæc opinio probabilis speculativè, ac signatè, non autem practicè, ac exercitè, quia per majorem vim contrariæ sententiæ impeditur, nè trahere possit ad sui assensum operantis intellectum.

8. Prosequitur Author num. 19. usque ad 29. ad probandum prohibitionem sequendi sententiam minùs probabilẽ in conspectu probabilioris; nihil valere penitùs ad reprimendas laxitates. Eò quia nullus Doctor sententiam docet, dicendo, illam esse minùs probabilẽ, immo quilibet propriam opinionem, tanquam probabiliorem, jactat. Addit insuper, plures Doctores, qui sustinent, licere quandoque juxta minus probabilem sententiam operari, nullam docere laxam opinionem; è contrà verò gravissimos Doctores prohibẽtes minùs probabilis usum in conspectu probabilioris, multas valdè laxas tradere opiniones, quarũ nonnullas affert. Vera igitur regula moderandi laxitates, est discernere inter verè probabiles, & improbabiles; cæterũ adstringere ad probabiliores inutile, ac improportionatũ est omninò remediũ.

Jam

Jam verò dictum est, non esse primarium finem nostrum, laxitatem opinionũ coërcere, sed regulam statuere certam, quà probabilibus tutò possimus uti, Quod autem, & ad secundarium finem reprimendi nimiam opinandi laxitatem aptissimè; nec parùm quidem conferat sententia nostra, ex duplici capite fit evidens. Primò, namque ex illo Probabilistarũ principio adeò reddebantur incuriosi DD. ad veritatis investigationẽ,ut nihil de sententiæ veritate curarent, sed ferè unicè quærerent an sententia probabilis esset; quo habitò, illam & docere, & consulere tutò, non dubitabant, Sapiens id testatur Eminentissimus de Aguir, qui olim, & ipse Probabilista, re maturiùs inspecta, sana mente probabilismum deseruit, cujus plura per extensum affert Reverendissimus Thyrsus differt. 13. cap. 2. §. 11. num. 78. & seq. Aliqua nos tantùm Cardinalis verba referemus ex ipsius præfatione ad Tomos Conciliorum Hyspaniæ pagina 6. num. 31. Sic enim de se inquit: *Eousquè communi ferè sensu, aut præjudicio abductus in probabilismo, veluti in pulvino, molliter quiescebam, & plerumque studium meum (ità ingenuè fateor) situm erat in examinando potiùs, an aliquid esset probabile, quàm in investigando, an esset verùm; detecta enim probabilitate, nullatenùs dubitabam, mè posse illud in praxi sequi, aut aliis consulere*, Et post pauca, subdit; *De hoc enim nemo tunc Salmanticæ dubitabat, usq; adeò invaluerat probabilismus ibidem, quamvis paulò anteà Magister Joannes Martinez de Prado, & Vincentius Baronius, ambo Dominicani, scriptis editis, impugnassent longè, ac latè Caramuelem, & rejecissent usum opinionis minùs probabilis faventis libertati in concursu probabilioris stantis pro præcepto; nulla enim ferè ratio utriusque laudati Scriptoris, habebatur in ea parte ob multitudinem innumerabilium aliorum liberiùs scribentium, ut possent ji dicere cum Poëta; Obruimur numero*.

Vide igitur in primis, quàm aptum sit remedium ad moderendam DD. libertatem

tatē ſententia noſtra? Quàm perniciosè ipſam laxaverat probabiliſmus? Nec minùs utile quidem ad praxim coërcendam. Sicut enim ex probabiliſmo veritatem ferè contemnentes de ſola probabilitate ſolliciti erant Doctores, ità cæteri Fideles nō curabant, an verè actio liceret, ſed an ſententia ipſam licitam dictans probabilis eſſet, noſtra verò ſententia utroſque ad veritatis indaginem ſtimulat, ſi veritatis amatores ſint, ac de propria ſalute ſolliciti. Si verò perditæ conſcientiæ Doctores adhuc velint probabiliores jactare ſententias, quas verè minùs probabiles aſpiciunt, aliique ipſorum ductū pertinaciter ſequi; quid ad nos? Ipſi viderint: Veritas enim, non probabiliſmus judicabit.

Ad hoc enim nullum ſuppetit remedium; ſicut enim ad extirpandas hæreſes habet quidem Eccleſia divinas paginas, ſacros Canones, Apoſtolicas traditiones, ſanctoſque PP. quibus nititur, falſum, ac diabolicum expurgare fermentum; at nihilominus paſſim novæ pullulant hæreſes, inſurgunt errores, aut veteres novis adinventionibus obtecti renaſcuntur; ità regulas quidem habemus ad probabiles, probabilioreſq; opiniones ab improbabilibus, vel temerariis diſcernendas, quibus Apoſtolica Sedes DD. ac Sapientum conſilio ſententias pernicioſas convellere nititur; quis autem cohibere poterit luxuriantium ingeniorum audaciam, nè paſſim novæ diſſeminentur. Habeamus ergò ad minimum tutam, ac certam regulam, quà Fideles in praxi ab hujuſmodi laqueis liberentur.

Omitto hic, diſcutere, an verum ſit, quod ait Author, benignæ ſententiæ Patronos, & præcipuè ab eo nominatos, nunquam tradere doctrinas latas, cum fortè, nedùm latas, verùm etiam damnatas docuerint; ſicut etiam, an ſententiæ omnes, quas latas, ac proindè improbabiles apud ipſam, refert, verè tales ſint, adminùs in legitimo ſenſu, quo eas tradiderunt Doctores noſtræ ſententiæ faventes; nihil enim hoc ad nos.

Quiſ-

Quisquis sit Doctor, si verè debita ponderatione adhibita, probabilior sibi videtur sententia, tutò illam docet, quamvis fortè fallatur; si verò congruam diligentiam omittat in disquisitione veritatis, vel certè minùs judicet probabilem, peccat utique, & graviter, illam docendo, præcipuè in rebus fidei, ac morum, nec ullam excusationem habebit de peccato suo.

9. Ad secundum principale punctum eruditè progreditur Author n. 30. usque ad 33. Si enim, inquit, ad laxitates corrigendas hoc remedio, prohibendi usum probabilium sententiarum, uti velimus, potiùs, quàm ad rectam, ac tutam viam reducerentur, ad horam certè gentes in deteriora præcipites ruerent; ut enim optimè docet S. Thomas; majus proculdubio peccatum est desperatio, quàm præsumptio; quamvis autem ex benignâ sententiâ possimus; quandòque ad præsumptionem declinare, certè rigida in desperationē projiceret; si non solùm ex consilio, sed ex necessitate ad amplectendum id, quod melius est, cogeremur; multi namque modicæ virtutis non valentes ad melius pertingere, bonum quoque absolutè relinquerent.

En magna quidem vorago desperationis totam illicò absorptura Christianitatē? Undè, quæso, hæc desperatio? Quomodò ad melius cogimus, & simplici bono contenti non sumus? Necessarium præcipimus, quod utique secundùm rationē est; Et homo rationalis non difficilè nimis, non proprias vires excedens judicare debet, quod propria dictat ratio. Cogimus ergò homines, ut humanitùs, non brutaliter vivant, sequendo videlicet rationis, non appetitus, vel passionis ductum. Quomodò autem rationis ductum sequitur, qui benè persentiens rationis ipsius dictamen, quòd actio honesta non sit; quod certè sentit, dùm illud verisimilius judicat, & nihilominùs vult, illam, tanquam honestam, elicere? Non Voluntas, sed ratio sequenda est homini, qui hominis vult ducere vitam.

10. Heù

10. Heù me! subdit Author num. 34. usque ad 38. Undique me tenent angustiæ, nescio planè, quomodò salvari, si mihi ad salutem necessarium est, probabiliorem semper sequi opinionem. Quæro siquidem, an tenear, sequi probabiliorem in se, vel probabiliorem mihi. Si primum, jam perii; Quomodò enim in omnibus, quænam sit probabilior sententia, invenire, ac judicare potero? Si secundùm, ampliùs augetur angustia. Ad hoc enim non sufficit, quòd ego sciam, talem sententiam à gravioribus doceri DD. sed requiritur insuper, quòd judicem ipsos verum docuisse. At quomodò, si ego ignarus sum? Vel si doctus, non doctior ipsis? quorum tamen sententia mihi apparet multoties minùs vera? Quid faciam? studere quòad usq; pertingã ad veritatem, quæ inter homines latet, quasi fera sylvestris, & quàm rarò invenitur? Quid, si necessitas urgeat, nec spatium suppetat, vel commoditas consulendi, aut studendi.

Mirum planè, quòd Author iste aliàs prudens, ac sapiens, trepidare velit, immo in desperationem inducere homines, ubi nullus est timor. Quænam angustiæ? Quæ montium prærupta transilienda? sufficit nobis omninò, quòd operaturus mente sincerà, & puro veritatis amore, ac propriæ salutis zelo eam adhibeat diligentiam prò conditione Personæ, loci, temporis, aliarumque circunstantiarum, quam potest humanitùs, quæque humanæ congrua sit fragilitati; ut sciat, an actio licita sit, nec nè. Et si vel rationum, vel authoritatis pondere, bona fide judicet, licitam esse, ità planè sentiat, formet conscientiam; tutò, & absque formidine, vel timore ullo operetur; ipsique securitatem promittimus, cùm enim fecerit, quod in se est, quamvis errare contingat, penitùs excusabitur, immo benè aget, ut satis in superioribus ostensum est. Hæc firma securitas est, quam Ratio, Scripturæ, Jura, Authoritas, Natura ipsa testatur. Quam verò securitatẽ promittunt Probabilistę, qui

volunt, quemquam tutò agere posse, quod ipse operans, omnibus benè perpensis, illicitum judicat, si prudenter, & secundùm rationem judicare velit, dum sibi verisimiliùs apparet, illicitum esse.

11. Auget angustias Author num. 38. usque ad 39. exaggeratq; incommoda, ex eo, quòd jugum hoc intollerabile præter rationē imponimus: Obligari namque ex certa lege, non valdè juvat bonas Animas; at verò intimè ferit obligatio dubiæ legis, qualis est nostra: Lex enim, lex non est, nisi fuerit sufficienter promulgata. Quomodò autē sufficienter promulgata cēseri potest lex nostra, de quà per tot sæcula inter DD. controvertitur, an ipsa detur? Alii quidem affirmant, alii negant. Non igitur lex est, sed opinio, quòd si opinio, quam vult unusquisque teneat, nam, quantumcunq; probabilis, lex non erit.

Quis non miretur Virum hunc absque dubio mirabilē? Quà libertate jactat, per tot sæcula inter DD. controversam sententiam, quæ per tot sæcula unanimi consensu apud PP. indubitata usque adeò fuit, ut ipsi fateri tenentur Probabilistæ, solumque à modernioribus in dubium revocata, immo jam ferè vi oppressa, cooperantibus certè invisibilibus sæculi hujus Principibus: Cùm enim pro contraria Benigna ex antiquis nullus inveniatur Patronus, quem zelantissimi Defensores in subsidium advocare nullatenùs prætermisissent, brevissimo tempore tam latè subdola potiùs, quàm Benigna sententia ista diffusa est; ut cùm anno 1571. adhuc omnes in nostram convenirent Theologi, ut supra notavimus ex Corduba, anno postea 1592. fateatur Michael Salonius ex S. P. August. familia *de Just. & Jure* ad *quæst.* 63. *art.* 4. 2.2. D. Th. controv. 2. Conc. 4. jam Benignā tenuisse multos, & gravissimos Theologos; Et successivè anno 1593. Gregorius de Valentia tom. 3. disp. 5. quæst. 7. pun. 4. eandem Benignam sententiam, tanquam communem citet: Ac demum anno

anno 1597. Petrus de Navarra in Opere *de Restitutione* lib 3. cap. 1. n. 237. asserat juxta communiorem sententiam Theol. sufficere ad securitatem conscientiæ probabili opinioni se conformare, etiam si sit minùs probabilis: refert sic Thyrsus in Introd.

Ad nostrum igitur fuit, nè per tot Sæcula sufficienter, legitimè per tot Sanctissimos PP. sapientissimos DD. immo, ut suprà innuimus, per Apostolicas traditiones, sacrosque Canones, qui satis illi favent, promulgata sententia nostra, & unanimi totius Christiani Orbis consensu acceptata. Fuit nè vera, & legitima lex per tot sæcula? Quis ergò illam novissimis hisce temporibus abrogavit? Porrò, si unquam lex ea naturalis, ac Divina fuit, naturali dictata ratione, per Apostolicas traditiones ad posteros transmissa. Quis naturalis, aut Divinæ legis abrogator? An moderni Scriptores, qui viam Domini arctam, & angustam, se latam, ac spatiosam reddere posse, ausi sunt, buccis concrepantibus proclamare. Beatos certè, si à veritate non aberrent: Qui æternos Codices altiùs, ac profundiùs, quàm tot Sanctissimi, & Sapientissimi Viri, immo, & ipsi à Deo afflati sacrorum Antistites, ac Petrus suprema, & antiquissima Theologorum summitas, scrutati sunt.

12. Addamus cum Reverendissimo Thyrso diss. 6. §. 8. num. 36. & seq. Si, ut asserit Author iste, ex hoc ipso, quòd inter DD. controvertatur, an actio aliqua licita sit, necnè; censeri debet legem de ea dictantem sufficienter promulgatam non esse; ridiculum omninò foret, quærere, an talem actionem elicere, sit peccatum? Indubitatum est enim apud Authorem n. 42. legem non esse usque dum probabile est, non esse. Cum igitur constet ex DD. controversia, esse probabile, nullam extare legem talem prohibentem actionem; ad quid quærere, an licita sit, necnè? Damnandi sunt meritò quicunque hoc in dubium ampliùs vertunt. Id enim esset planè, semina

peccati spargere. Ubi siquidem certò non est lex, neque prævaricatio. Si ergò certùm est, non esse legem, cur illam quærunt, ut scrupulos, & laqueos parent fidelibus, dùm tuti omninò possunt incedere? Doceant omnes absque ulla dubitatione, licitum esse, nam certi sumus, legem non esse prohibentem. At verò ipsi cæcorum oculi non videant, quæ morum laxitudo, quæ injuria veritatis inquirendę secutura indè sit. In perniciosiorem valdè Author iste incidit scopulum, quàm suis cavillis in nostra fingere conatur sententia. Non intollerabile quidem, sed rationabile omninò ratione utẽtibus, vel uti volentibus, nos jugum imponimus.

13. Sed benigniùs adhuc prædictũ obstruamus effugium. Concedatur modò gratis, quòd possint Probabilistæ, omnibus benè perpensis, ex puro veritatis amore suam probabiliorem nostrà prudenter judicare sententiam. Quod quàm difficile, superiùs ostensum est. Probabilitas hæc tota salvare illos non poterit, dũ hic, & nunc determinatum elicient opus, quod meritis causæ ponderatis, illicitum esse, probabilius apparebit. Ex hoc enim ipso lex prohibens satis, superque illis promulgata est. Promulgatio siquidem legis naturalis, & Divinæ; non positivæ, non scriptæ, alio non intimatur Præcone, quàm rationis dictamine. Quomodò igitur ibi tota, & sufficienter promulgata non est lex prohibens actum, quem ratio sibi dictat prohibitum?

14. Ampliùs autem, aperi oculos, quæsò, & vide, in quæ præcipitia detrudat effugium istud; sequeretur enim indè, quòd non modò minùs probabilem, sed absolutè falsam judicans opinionem asserentem licitum actum, adhuc licitè posset, illum elicere; quia nec dùm illi sufficienter lex prohibens intimata esset: quia videt adhuc, quòd cõtroversia est inter DD. & probabile inter ipsos; non esse talem actum à lege prohibitum; quod enim falsam judicet horum DD. sententiam, non facit, ut nesciat,

illam

illam esse absolutè probabilem. Et ut plura brevitatis gratiâ omittamus.

15. Respondeat Author iste cùm suis Probabilistis. Possit nè dari casus, quòd actio aliqua, de quà inter DD. est controversia, utrùm sit prohibita, verè prohibita sit Divinâ lege? Dent securitatem, si possunt, quòd ista lex non detur, & eos libenter sequemur omnes. Securitatem istam dare quidẽ non audebunt, nè manifestè notã temeritatis incurrant, dùm & ipsi rationibus victi concedunt, probabiliorem esse opinionem asserentem, dari legem talem actionem prohibentem, ut supponimus, aliàs non essemus in casu. Quarè igitur docent, posse nihilominùs tutò quẽpiam, sequi contrariam minùs probabilem; quia si re ipsa detur lex, excusabitur à peccato, nec formaliter, sed materialiter solùm contrà legem ibit, quia illa sufficienter promulgata non est? Bone Deus! Quomodò ut fugiant lucem, palpabiles ingrediuntur tenebras? ac seipsos evidentissimis cõtraditionibus involuunt? Si promulgata sufficienter nõ est, jam utique, tanquam indubium apud ipsos, lex non est; quomodò igitur nec materialiter agere possumus contrà legem, quæ non est? Quid opus excusatione, ubi nulla potest esse prævaricatio? Immo quomodo hic, & nunc possibile est, dari legem, de quà hic, & nunc certum, evidens, ac indubitatum est, non dari? Certum est, inquam, apud ipsos, non dari, quia sufficienter promulgata non est, ac per consequens lex non est? Expungantur itaque à Codicibus omnes regulæ Juris, quibus, quid in dubiis, vel obscur is agendum, præscribitur; & una pro cunctis authenticè stabiliatur. Ubi veritas evidens non est, sed sub dubio, ac probabilitate latet, agat quisque prout vult, & benè faciet. Taceant DD. de re morali disputantes; ac sola de se patentia tradant præcepta; Et inter ipsa unicum hoc Axioma. Ubi evidens non extat præceptum, omnia liceant; De cætero, cum tot immensis, innumeris voluminibus projiciantur in

pro-

profundum maris omnia peccata nostra.

16. Subdit Author n.40. usque ad 46. Si Dominus vellet, exemplum ponit, omnes Fideles teneri ad cõfitendum omnes circunstãtias aggravantes, adhuc speciem non mutantes; modum fortè hucusque non invenisset, id clarè præcipiendi? Si ergò pro legibus habendę sunt omnes probabiliores opiniones, quarum non est numerus, Christianus Populus tot legum onere gravaretur, quot certè non habuerunt Hebræi, à quorum dura servitute per Gratiam libertatis Filiorum Dei liberati sumus. Ex hoc fieret procul dubio, ut minùs probabiles sententiæ brevi omninò probabiliores evaderent. Ut enim ab hac rigida lege DD. ac Populi simul alleviarentur, nemo jam doctrinam suam intra eos limites contineret, ostẽdendi sentẽtiam suam benè fundatam, sed omninò stabiliori fundamento, quàm opposita, fulcitam: Ac proinde, ubi modò pii, ac timorati Fideles nolunt, in praxi minùs probabiles sequi opiniones hoc solo titulo, quòd minùs probabiles audiant; tunc absque ullo timore, illas amplectentur audiendo, tanquàm probabiliores, à DD. evulgari: Quod certè magnum esset lucrum.

Sed & insuper audivi nõ semel, multos quidem sustinentes, non licere juxta minùs probabilem opinionem operari, postmodum in praxi minùs probabiles tutò sequi. Absit autem, illis parùm timoratæ conscientiæ notã impingere: Verùm, quia homines, ubi gravem sentiunt in executione difficultatem, facilè sibi suadere possunt, quòd agunt, esse rectissimum. Unusquisque enim facilè credit, quòd appetit, ait Angel. Doct. 2. 2. *q. 60. art.3.* Ubi ergò hinc, indè rationes ponderant, magnum non est, ad eam partem deflectere, ad quam genius, & voluntas inclinat; Etenim amor meus pondus meum. In summa, quod nunc in paucis accidit, si verum est, quòd dicitur, jam ferè in omnibus contingeret; facillimum esset quippe suadere hominibus, quæ

verè

verè probabilia sunt, probabiliora esse. Ast, heù quàm lata pateret via relaxationibus? Morbo itaque deterius valdè remedium est, quod applicatur. Vera itaque, ac tuta regula esse debet, quam Divina tradit Scriptura Prov.22. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui.*

Optimè satis, ac sapientissimè concludit; At quarè Probabilistæ contineri nolunt, immo contemnunt, ac liberè transgrediuntur antiquos terminos, quos posuerunt PP. nostri? Sed quid mirũ? Si Author iste, Summo ipsi legislatori in legibus promulgandis, vult modũ imponere? Scit quidem Æterna Sapientia modum utique optimum, suas hominibus manifestandi leges: Quia verò attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter; se naturis accommodans rerum, leges quidem naturales, quemadmodum irrationalibus naturali dictat instinctu, ita rationalibus naturalis rationis dictamine intimat. Positivas autem, sive Divinas in sacris paginis, sivè Humanas in Codicibus exaratas, per ipsam rationem interpretatur, explicat, & declarat, ubi obscuritas, dubietas, vel difficultas enascitur; est quippe recta ipsa ratio legum optima interpres; Et ideò, ubi rationis lumen, quid agendum, quid omittendum, ostendit; sufficienter unicuique lex omnis promulgata est; quia ex hoc ipso benè potuit, si voluit, intelligere, ut benè ageret: Quòd si noluit, veniam non habet, inquit Augustinus.

Quid ampliùs vellet Author iste? An fortè, quod Deus Angelos, Principes Præcones perpetuò in capite omnium platearum, immò, & Vicorum deputarent, qui buccinis clangentibus proclamarent continuò. Hæc Dei, hæc Principis lex; Hæc legis intelligentia; Vel certè scribas institueret, Prophetas mitteret Deus, qui omnia in Codicibus adamussim exararent. Id fateor, necessarium foret, dùm passim difficultates de lege, tùm naturali, tùm positiva suboriantur: At verò Sylvæ calamorum,

maria

maria non sufficerent atramenti, mundus totus, qui scribendi essent, capere non posset libros. Quid ampliùs velit, nescio; Benè scio, quod vult, non rationem, sed voluntatem habeamus prò lege, ut statim apertè demonstrat.

17. Interim ruinam magnam, quam certam Ecclesiæ promittit; si nostra firmetur sententia, nullatenus planè motivum ab ipso adductum timere finit? Quid enim graviùs, aut duriùs Christi fidelibus, quàm Hebræis imponitur, si probabilior sententia omninò sequenda proponatur, ut ejus gravamine, ac duritie DD. perverti, necesse sit legibus quippè naturalibus, nedùm Hebræi, sed universæ subduntur Gentes; leges autem positivæ scriptæ jam extant; nec illas igitur, nec istas innovat, minusque multiplicat sententia nostra; sed utrarumque veriorem, ac genuinam tradit intelligentiam.

Levitas porrò, ac suavitas Christianæ legis, libertas Filiorum Dei, non laxitudo Morum, sed jucundissima Gratiæ Charitatisque dulcedo, quà libenter, & asperrima quæque animali homini, sed spirituali facillima, ultrà non dubitamus, aggredi; sed lęti cervicem flectimus, jugo colla submittimus. Sibimet onus aggravat, qui durà cervice obsistere, stimulis recalcitrare, conatur.

Hinc fit, ut veri Christiani DD. non modò ex nostra, ut velint, rigidiori sententia ad falsas, quas minùs probabiles norunt, pro certis disseminandas opiniones non inducantur; quin verò maturiori, ac saniori consilio incuriam, ac libertatem ex benigna contractam corrigentes, ad exactioris veritatis studium inardescant. Cùmque, prima teste ipsa Veritate, in ore duorum, vel trium stet omne verbũ; duplici hoc, sufficiat, irrefragabili, ac omni exceptione majori Eminentissimo cõprobare testimonio: Sfortia videlicet. Card. Pallavicino, & adhuc superstite Card. Aguirre. Qui ambo jam benignæ fuerunt asseclę sententiæ; at dùm zelus veritatis non minùs, quàm Ani-

Animarum calamos acuit ſapientum DD.ad reprimẽdas Probabiliſtarum laxitates; uterque, re maturiùs diſcuſſa, retractare ſententiam, dedignatus non eſt. De quibus per extenſum videri poteſt Thyrſus diſſ. 13. cap. 2. §. 11. Quòd ſi demùm aliqui, proprii amoris pondere, vel appetitus ductu præcipites, velint, ſpontè ruere; ſecùm certè, de propria ſalute ſollicitos trahere, non valebunt.

18. Sed jam Author n.47. limites, quos poſuerunt Patres ſui Probabiliſtarum Anteſignani manifeſtè trãſgreditur. Cùm enim ipſi, velint, nolint, apertè fateantur, omnes antiquos Theol. in noſtra convenire ſententia, ut jam ſuprà monſtravimus, nullumque pro ſua citare, vel audeant, vel queant: hic ſatis ultrà progreditur, aſſerendo: Quidquid aſſerant aliqui Scriptores abſq; probatione ulla, nec per totam æternitatem probaturi: Antiqui hac ſunt uſi regula; Ut ubi certa lex eſſet, illam ſequerentur; ubi dubia, dubietatem deponerent, à Doctoribus conſilia quærendo, aut rationes diſcutiendo, ſi & ipſi de ſe, ut potè docti, ſufficerent. In quo & nos libenter convenimus. At quod ſubdit: Ubi ex utraque parte bonę rationis fundamenta adeſſent, quod cuique magis placeret, amplecti cùm omnimoda non errandi fiducia, liceret. Heù nefas! quòd placitum, & voluntas legem determinet, ac ſtabiliat?

Audiamus verò, quinam ſint antiqui DD. qui regulam iſtam tradidere. Citat Author n. 48. uſque ad 52. S. Antoninum; Vlricum, Humbertum, & Nider; qui tanquam acceptam a Magno Alberto hanc tradunt regulam. *Frater ſimplex, vel quilibet homo cùm ſalute poteſt ſequi in conſiliis quamcunque opinionem voluerit, dummodò alicujus Magni D. opinionem ſequatur.*

Hujuſmodi regulam non videtur S. Doct. à Magiſtro ſuo Alberto accepiſſe; ſub cujus tamen diſciplina fuit per multos annos; nobis enim non tribuit; immo cõtrarium nimis docuit, ut ſatis ex dictis in ſuperioribus manifeſtum eſt. Quidquid

autem sit, an apud citatos DD. extet hæc regula, & fideliter, necnè, fuerit ab Authore desumpta; cum enim determinatũ, ex quo sumpsit, non citet locum, ut debuisset, utpotè robur suum totum, ac fundamentum in illa constituens; ad fontes pro veritate recurrere non voluimus, nec ad ipsam perquirendam temporis angustia, codicumque penuria DD. eorumdem opera omnia percurrere non permittit.

Videamus certè, quomodò in primis regulam ipsam intelligat Archiepiscopus Antoninus: hic siquidem p. 1. tit. 3. cap. 10. §. 10. Regula 6. sic habet explicans quid agendum in dubio, & post cætera concludens: *Sic agendo contrà tale dubium, non peccatur, dùm adhæret opinioni alicujus Doctoris, & habet rationes probabiles pro ipsa magis, quàm pro opposita opinione*. Et insuper addit infrà, quòd necesse est, ut licitè, ac tutò quis operetur, quòd *bonam conscientiam, & credulitatem formet de eò, quod credit, tanquam de probabiliori parte*.

Audiamus & Nider, quẽ videre non possum propter Codicis defectum; sed apud Thyrsum dissert. 13. cap. 2. §. 9. ità refertur ex consolatorio timoratę conscientię 3. p. cap. 11. *Dico cum Altissiodorensi, quòd regula Magistralis, videlicet; dubitans de aliquo, an sit illicitum, & stante dubio, illud agens, peccat; quia discrimini se committit; intelligenda sit de dubio tali, quod est vehemens, & magis, aut æquè inducit mentem, credere illicitum, sicut quod est licitum. Secùs enim est, ubi mens plùs inclinatur, & judicat, quod est licitum, quàm illicitum, quamvis non habeat usquequaque certitudinem evidentem; aut fixam, quia nec hoc ipsum requiritur*. Dum igitur idem cap. 12. ut refert Author, asserit; *Ex quo opiniones sunt inter Magnos, & Ecclesia non determinavit alteram, teneat quis, quam voluerit, dummodò judicium in hoc resideat propter dicta eorum saltèm, quos reputat peritos*, ut consequenter loquatur, ità planè intendit; quòd bona fide peritorum dictis credat; ut tãta sit eorum authoritas; ut me-

meritò mentē ejus inclinet ad credendum, verè ità esse, ut ipsi consulunt. Hoc modo pariter intelligenda est regula, quam Author adducit, quòd simplex cùm salute sequi potest Magni Doctoris opinionem, dùm ejus consilium bona fide suscipit, ac juxta illud prudenter conscientiam format.

Libertas ergò voluntatis, quam dicta regula,& Nider in hujusmodi casibus concedere videntur, non est ad hoc, quòd Voluntas inclinet ad credendum licitum, quod illicitum probabiliùs apparet; verùm ad eligendum, sivè tutiorem partem, sivè minùs tutam, quæ tamen probabilior ex rationum, aut authoritatis pondere prudenter judicatur. En ubi desinit apud Authorem istum antiquitatis totius authoritas.

19. Usque ad num. 53. nil ferè dicendum occurrit, aliquid fortè inferiùs referemus; ibi autem usque ad num. 55. sententiam affert S. P. Augušt. Epist. 19. ad Hier. sic ajentis de Authoribus non Canonicis: *alios autem, ità lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque polleant, non ideò verum putem, quia isti senserunt, sed quia mihi, vel per illos Authores Canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Ex quibus duo infert Author noster. Primò quanti S. Doctor faciat rationem, non probabilissimam, sed purè probabilem, ut illam unicè postponat scripturarū canonicarum, ac infallibilium dictis;& quia talis propria non erat, humiliter fatetur se rationibus probabilibus persuasum. Secundò infert, cùm S. Doctor acquiesceret non rationibus tantùm, quæ ipsum necessariò ad assensum, tanquam ad certò, & absolutè verum, compellerent, sed jis etiam, quæ à vero non abhorrerent, consequens est omninò, ut cuilibet possimus acquiescere sententiæ probabili; nulla enim verè probabilis, à vero abhorrere, dici prudenter potest.

Ædificii magni concepit ideam; at quis non videat? Dum in constructione fortis Columnæ, validæ trabes

desunt, ad structuram, festucas, debilesque paleas nititur compaginare. Et quibus contendit suadere, potuisse unquam Augustini mentem rationi acquiescere, quæ minùs probabilis, ac verisimilis appareret? Mirum si vel simpliciores ipsum audiant homunciones. Probabilem ergò vocat S. Doctor rationem, quia verè talis, dùm non evidens, non de fide; adeò tamen fortis, quàm validum ejus ingenium, ut ipsum persuadere potuerit; ipsique omninò verisimilior, aliàs à vero tantùm abhorrens, ut falsam judicet, qui contradictoriæ prudenter assentitur, de quo satis in superioribus; undè ista hic sufficiant. Afferant, si habent, Probabilistæ, non emendicata, non ficta, sed vera, & dilucida majorum nostrorū testimonia, ut illorum nos obruant pondere, sicut frustra verbosis cavillis, obvolutis sophismatibus, ac moderniorum turba conantur opprimere.

20. Prosequitur hinc Author à num. 56. usque ad 66. Quomodò remedium adhiberi possit multorum laxæ nimis licentiæ, ac libertati opinandi. Prò quo statuit in primis ex mala probabilitatis interpretatione contrà benignam sententiam plures ad arma, & oppugnationes excitatos; putant enim aliqui probabile idem esse, ac verisimile, at quænam allucinatio est ista? Omne quidem probabile est verisimile, nō avtem è contrà; malum enim, quod temerarius de proximo suspicatur, est verisimile, & tamen peccat, quia non tantùm verisimile, sed & probabile vult illud judicare. Probabile itaque est verisimile benè fundatū, verisimile autem præcisè multoties meram habet apparentiam.

Primum ergo probabilis constitutivum est, quòd solidis adeò fulciatur fundamentis, ut meritò classici etiam DD. dignum æstiment, quod in suis operibus inseratur. Hinc fit rursum, non omne, quod in quocūque reperitur Authore, statim probabile censendum esse; ut enim Doctor tantam habeat authoritatē, ut proba-

babi-

babilitatis gradum suis tribuat opinionibus, non ità passim contingit. Requiritur enim in primis, quòd benè sit, non solùm in naturali, sed & in positivo jure versatus; potest enim aliquid absolutè intellectui verisimile apparere, cui tamen obstet Canon, constitutio, aut lex: deindè, quòd non fallacibus, aut sophisticis, & non concludentibus DD. judicio rationibus utatur. Item, nè sit potiùs novitatis, quàm rationis; & rectitudinis consectator: ac demùm nè potiùs recitator, quàm examinator sit alienę doctrinæ; hujusmodi enim potiùs compilatores, quàm Authores, dicendi sunt. Manifesta igitur est calumnia, asserere, quòd idem sit, docere, licitum esse, minùs probabilem sequi opinionē, ac docere, licitum, sequi opinionem quamcunque apud quemlibet Authorem probabilitatis ornatam amictu. secundum igitur constitutivum probabilis opinionis est, quòd, ut talis, à Classicis approbetur Doctoribus.

Satis optimè in his discurrit Author, & ferè in omnibus convenimus libenter; quāvis enim videatur quæstio de nomine, an probabile, & verisimile idem sint, necnè; siquidem verisimilia, quæ dicit, levibus fundata, & merè apparentibus, umbram potiùs veri, quàm verisimilitudinem præseferre dicenda sunt. Quidquid sit de hoc, maturè nos quoque asserimus, ad veram probabilitatem magni ponderis, & momenti requiri, nec levia sufficere fundamenta.

21. Unicè displicet, nè aliqua limitatione moderetur parumper, quod ultimo loco dictum est; ad probabilitatem scilicet opinionis requiri classicorum DD. approbationem. Hoc enim, ut plurimùm, verum est; immo & absolutè, ut communiter, tanquam probabilis, recipiatur, necesse ad minùs est, quòd magnæ nimis authoritatis D. illam doceat, vel à similibus approbetur, omnibus benè perpensis. Cæterum, quanquam non ità facilè à graviorum sententia sit recedendum, cùm ratio, si verè omninò valida sit, ac fortis:

Au-

Authoritati præponderet; quis dubitet, posse quandoque non adeò excellentem D. fundatissimam, gravioribusque occultam rationē adinvenire, quæ sufficiens benè sit ad probabilitatem firmandam? Id §. 4. immediatè præced. cap. ex utroque comprobavimus Jure; Sicut & ipse Author n. 68. de sententia quadam non dubitat affirmare, acutiores, quàm antiqui, habuisse oculos moderniores in ejus investiganda practica veritate, quam, nè in longius debito protrahamur, omittimus consultò referre.

22. Non placet item, quod num. 66. usque ad 85. inquit Author; non omne scilicet, quod est probabile speculativè, ad praxim esse deducibile: Quamvis enim admittamus citato cap. §. 3. contingere posse, quòd speculativè opinio aliqua sit probabilis; & practicè improbabilis; id tamen, ut ibi docuimus, esse non potest, nisi ratione alicujus circunstantiæ, quæ à speculativo judicio non consideretur; Cæterum, omnibus ritè perpensis, & nulla in contrarium superveniente circunstantia, practicum judicium à speculativo discordare nō potest. Undè quod speculativè est probabilius, absolutè practicabile esse debet

23. Cùm enim in moralibus ratio speculativi, & practici vix ullatenus differat; undè & ab aliquibus hujusmodi rejicitur distinctio, quamvis à nobis dicto loco admittatur in legitimo sensu; ipsum speculativum judicium præscindere non debet à lege, immo potissimè ipsam considerare. Opinio igitur, contrà quam extat lex, decretum, vel decisio, nedùm practicè, sed nec speculativè ampliùs cēsenda est probabilis. Quidquid autem sit de hoc, parùm ad nostrum. Nec aliquid notatu dignum occurcurrit usque ad n. 76.

24. Ubi usque ad n. 78. fatetur quidem, si dum inter DD. controvertitur, aliquem contractum, v.g. esse usurarium, pluresque affirmant, pauciores negant, ipseque pro indubitato habeat, hos pauciores falli, quamvis aliàs tot essēt Bartoli, ac lucernæ legis, non habe-

haberet operaturus fundamentum sufficiens ad eorũ sequendam opinionem, si autem probabiliores quidẽ judicet rationes dictantes contractum usurarium, non tamen adeò claras, & convincentes, poterit, judicium suspendere illius rectissimi principii ductu, quòd interdum falsa sunt probabiliora veris, poteritque contractũ celebrare, non conscientia dubia, sed certâ, quia cognitione reflexa scit, in hujusmodi casibus stare posse Personæ gravis authoritatis consilio; si enim aliquod remaneat dubium, illud speculativum erit, non practicum; Aliàs certè impossibile esset, Pacem unquam habere: timoratæ conscientiæ fidelibus, ni semper, quod tutius est, sequerentur; quod in altam ipsos dejiceret desperationem.

Hic nota in primis, quòd fatetur Author, in casu dari posse probabilem, immo probabiliorem, immo indubitatam sententiam nullius gravioris D. authoritate approbatam, immo relictam. In casu enim supponit contrarios DD. tot Bartolos, quibus autẽ consentit operans, Parva lumina vix lucentia, & Doctorculos, ut ait num. præced. Et optimè, ut jam diximus, quandò verè solidis rationibus nititur opinio. Benè item cætera subdit, cùm enim in moralibus magni facienda sit in omnibus DD. authoritas, dùm rationes adeò validæ non sunt, quamvis ex mei debilitate ingenii plenè solvere non possim, tutò, ac prudenter juxta graviorum consilia formare possum conscientiam: At quid indè? Potero nè, dùm & rationum vi, & authoritatis pondere benè perpensis, adhuc probabilior, & verisimilior apparet hæc sententia, prudenter ad contrariã flectere? Et quonam fundamento? quo rationabili motivo? genio, appetitu, ac voluntatis placito, ac perindè imprudenter, immò brutaliter, non humanitùs.

25. Per quæ patet ad ea, quæ num. 79. usque ad 81. subdit Author, ut secundam expellat calumniã, dicit ipse, hoc est operari contrà cõscienriam, qui iuxta id, quod minùs probabile judicat,

opera-

operatur; licet enim talis judicio directo æstimet illicitum id, quod agit, judicio tamen reflexo licitum omninò putat, & hoc sufficit. Sicut infirmus directo judicio credit se obligatum die solemni ad audiendum sacrum; judicio tamen reflexo credit, se non teneri, quia in hujusmodi licet omninò, Medici consilio acquiescere. Sed quæro: Dùm inter DD. est controversia, licitum sit hoc, aut illicitum? Vel ponderasti rationes, & DD. authoritates pro utraque parte, vel non? si non, pondera, quantùm ingenii, loci, temporis, aliarumque circunstantiarum possibilitas admittit. Si ponderasti; Vel rationum, & authoritatis pondus flectit ad asserendũ licitum actum, & sic liberè, ac tutò ages. Vel potiùs ad judicandum illicitũ urgent; Et sic quænam reflexio ad licitum judicandum inducere potest? Respondet Author; quia & ista opinio asserens licitum, est benè fundata; & ego tantam fidem præsto Authoribus illã docentibus, quantam infirmus Medico; At porrò, si jam librasti rationes, librasti DD. authoritates, nec te ad hanc partem flectere potuerunt; immo potiùs præponderans ratio, & authoritas ad oppositũ urgebat; Quod pondus auget reflexio tua, quo nunc ad fidẽ huic magis D. quàm alteri præstandam inclineris? Ingenuè fatearis; Voluntatis pondus. Reflexio ista contradictionem aliàs involuit; Dum absque ullo addito authoritatem eandem sufficientẽ, & insufficientem vellet ad captivandum assensum.

26. Usque ad num. 95. Notatu dignum nihil reperi omninò; Cuncta siquidẽ, quæ verbis multis jactat, ex dictis liquidò satis constant. Ab eo igitur usque ad 101. prosequitur ad ostendendã falsitatẽ alteriùs calumniæ; quòd scilicet asserentes, licitum esse, minùs probabilem sequi opinionem, ex consequenti asserant, id omnibus licere. Non enim licet Judici in sententiis ferendis, non licet Principi in bellis, aut gravaminibus imponendis; Non licet Episcopo in distributione Beneficiorum Curatorum; Non

licet

licet Medico in infirmorum curatione; Et hoc ideò, quia his omnibus indubitata, & specialis lex juste limitat universalem. Cùm igitur, indè concludit n. 101. Casus exceptus firmet regulã in contrarium cap. quoniam *de Conjug. Leprof.* his exceptis, omnibus aliis licitum est; aliàs inutiles forent hujusmodi limitationes.

Quàm validum sit argumentum istud, ex consimili colligamus. In decalogo sola Mulieris, aut rei alienę prohibetur concupiscentia, ergò in ipso permittitur cõcupiscentia liberæ, vel concupiscentia homicidii, vel cujuscumque alterius in ipso prohibiti. Aliàs enim frustrà prohiberetur specialiter concupiscentia rei, & mulieris alienæ; si jam omnis mali cõcupiscentia prohibita est: legitima itaque Can. illius, ac similis regulæ interpretatio est, quam habemus ex l. Quæ dubitationis ff. de seq. juris, ubi dicitur; *Quæ dubitationis tollendæ causà inseruntur, jus commune non lædunt*; ex quibus colligitur, quòd satis est, exceptionem utilem esse ad majorem ipsius regulę declarationem, & expressionem. Quà ratione utilia, non frustranea sunt duo ultima Decalogi Præcepta, ut explicat S. Doct. *p.* 2. *q.* 100. *art.* 5. *ad quintum*, & 2. 2. *q.* 122. *art.* 6. *ad quartum*, quia propter eorum, quæ prohibentur, appetibilitatẽ facilis est valdè concupiscẽtia hominibus, digna perindè, quæ specialiùs prohibeatur.

Ità, & in casibus adductis propter graviora pericula, & incommoda consultissimum fuit, Judicibus, Principibus, Episcopis, ac Medicis eorum obligationem præ oculis ponere, quamvis aliàs communiter omnibus quoque tradita sit regula se in dubiis, & obscuris moderandi; ut satis patet ex sacris Canonibus, regulisque Juris, partim suprà à nobis adductis, & ab aliis Doctoribus fusiùs expensis, præcipuè Fagnano super caput, nè innitaris. Thyrsus item diss. 4. §. 5. Manifestè probat, absurdum esse, Judicem in judicando, Medicum in applicandis medicinis obligari ad sequendam senten-

tiam probabiliorem, & non obligari hominem, quando controversia est, an res licita sit, necnè, ad operandum secundùm sententiam tutiorem, & probabiliorem. Quidquid autem sit de hoc, nè diutiùs immoremur.

27. Possem, inquit Author num. 103. & 104. Et ego plures afferre Canones, & Jura in contrarium, sed quia ex neutra parte claræ sunt leges, nec in propriis terminis; eorum, qui tota laude jura interpretati sunt, consultò standum est judicio. At porrò famosissimus Jurisconsultus à D. Thoma *p. 2. q. 96. art. 6.* Meritò laudatus, ità pro benigna sententia determinat. L.nulla ff. *de legibus*. Nulla juris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ salubriter pro hominum utilitate introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum perducamus ad severitatem.

Sed iste in primis loquitur de legibus tantùm positivis, quæ ab hominibus per authoritatem introducuntur: Admittamus autem, utcumque Jurisconsultum ad omnes leges. Omnis certè lex, non nisi rationis ordinatio est; undè & ipsius interpretatio rationabilis, non voluntaria, esse debet: Aliàs lex non rationis, sed voluntatis esset ordinatio. Si ratio igitur ad benignam traher e possit sententiam; sequamur eam; si autem ad nostrum invitet, ut satis, superque in superioribus probatum est; non resistant, sed libenter veniant Probabilistæ nobiscum.

28. Adde, quòd benigna legis etiam positivæ interpretatio exigitur, ut optimè loco citato explicat S. Doct. quia in singularibus casibus plures occurrunt circunstantiæ, quas omnes in ferenda lege, nec advertere potuit, nec exprimere debuit legislator, nè confusionem potiùs multitudine, quàm directionem pareret; in quibus tamen legis rigor, non utilis, sed perniciosus foret. In casu autem nostro jam supponimus, quòd ratio ipsa legifer, omnibus benè perpensis, intimet, legem juxta id, quod probabilius judicat, nec enim aliter potest; quænam igitur beni-

benigna erit ejus interpretatrix ? Voluntas ? Absit hoc à Viro prudenti: benignitas à prudentis rationis dictamine debet procedere, aliàs non benigna interpretatio, sed legis esset perversio: Et quidem etiam in positivo Jure; quod quidem, non ad severitatem, sed rationabilẽ perducimus æquitatem.

29. A num. 105. usque ad 112. Acriter invehitur contrà quosdam asserentes ab Innoc.XI. hanc damnante propositionem. *Generatim, dùm probabilitate, sivè intrinseca, sivè extrinseca, quantumvis tenui, modo à probabilitatis finibus nõ exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus*: nimis benignæ sententiæ derogatum, sed talis, inquit, non est sententia 60. quos refert nominatim DD. sed ista. In conflictu opinionũ licet non nunquam, adhærere minùs probabili faventi libertati, relicta probabiliori favente præcepto. Quænam hujus sententiæ cùm damnata convenientia est ? Damnata omnem admittit probabilitatẽ, quamvis tenuem, hæc autem, exclusa tenui, solùm admittit minùs probabilem in comparatione, quæ fortè multoties est maxima. Præterea damnata sententia, ut jacet, haud facilè invenietur apud Authorem aliquẽ, nec antiquum, nec modernum; Tamburinus enim, cui præcipuè adscribitur, non ponit illum terminum, *Generatim*, in quo tota ferè sentẽtiæ malignitas residet; ut enim supra dictum est, id Judici, Principi, Episcopo, Medico non licet. Neque item semper aliis, in multis namque casibus, puta in Sacramentorum administratione, tenemur omninò, non solùm probabiliorẽ, sed tutiorem sequi. Quis insuper non videat, probabilitatem, dùm est tenuis, neque ampliùs probabilitatem esse? Quarè damnata sententia, si benè consideretur, se ipsam destruit: Nec igitur in pilo per tale decretum attracta fuit benigna sententia.

Fatetur ad hæc Thyrsus diss. 8. §. 3. non esse quidem per talem decisionem tactã sententiam eorum Probabi-

listarum, qui sententiam suam satis moderaverunt, ut benè dicit Author; Nihilominùs, nedùm in pilo, sed in intimis visceribus penetrata fuit; ut potè cujus præcipuum, immo unicum fundamentum à priori valdè per talem damnationem infirmatur, si non totaliter evertitur; In hoc enim potissimè fundantur etiã strictiores Probabilistæ: Quòd si verè probabilis est opinio, fundata scilicet, valida, & magni momenti ratione, & authoritate; quamvis opposita validior sit; Sufficiens est ad prudens judicium, ac perindè licitè operandum. Est nè iste fortis eorũ Achilles? Alium ego non video, si habent, advocent ad pugnandum. Quarè igitur nõ liceat Generatim, & semper sequi ductum prudentis Judicii? Siquidem Prudens est, recta regula est; Prudentia enim est, ipsissima recta regula agibilium. Quà ergo justitia damnandus, qui rectæ regulæ se conformat.

Non meminit fortè Author, quòd ipse pro stabili fundamẽto suę regulę n. 49. indubitàter hoc statuit. Audiamus illius præcisa Italica verba. *La ragione fondamentale si è, perche ad operar bene in tutta le cose, è di sufficienza, operare prudentemente; E tanto è quello, che fà, che nell' operare si regola dà dottrine veramente probabili ancora in prattica*. Et n. 52. repetit. *Qualunque opinione veramente probabile è sempre tuta, altramente ella non sarebbe probabile, mà improbabile*. Magnum ergò ipsius calamus effudit venenum, & malignitatem; si tota malignitas in ly *Generatim*, & *semper*, ipso Teste, residet; ac non veretur scribere; In omnibus, ac per consequens, *Generatim*, & *semper* tutam esse probabilem sententiam.

Nec aliquid obstat, quòd in damnata sententia ponit ly *Tenui*, cum enim subdatur; *modò à probabilitatis finibus non exeatur*; manifestè declaratur, quòd non est sermo de probabilitate adeò tenui, vel in se, vel in conspectu nimiùm superexcedentis, ut meritò sententia cadat à sua probabilitate, tanquam per oppositã obsorta; sed tenuis dicitur in com-

comparatione validioris; modò tamen ità sit fortis, ut probabilem servet sententiam, quam tuetur. Quod totum optimè Tamburinus ipse novit; dum inquit lib. 1. Dec. cap. 3. §. 3. n. 11. Modò major probabilitas dictæ partis non sit tanta, ut dejiciat à probabilitatè aliam oppositam. Hoc ipsum refert Author num. 111. quarè nescio, quomodò cogitare potuerit, nedùm asserere, Virum hunc acuti aliàs ingenii, sese in contradictionem apertam involuisse, quam optimè norat.

30. Multum quidē, sequitur Author n. 113. usq; ad 116 severæ sententiæ derogavit Alexand. VIII. hanc damnando propositionem: *Non licet, sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimā*. Id enim apertè probant rationes omnes, quibus Probabilioristæ Probabilistas impugnare intendunt. Eorum primum argumentum est, quòd *in dubiis tutior pars est eligenda*. Si enim legem istam, velut sanum consilium acceptent; nihil indè concluditur; Si verò tanquā præceptum, promulgant, jam fateri tenentur per bonam consequentiam; quòd *non licet, sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam*. Tutior enim semper est illa, quæ stat pro lege; ergò, quamvis probabilissima sit opinio favens libertati, non licèt, illam sequi, si tutiorem ex præcepto sequi tenemur.

Heù me! In medio cordis intus jam pereo! Ingenuè fatear; magis ridere, quàm disserere, aut disputare cōpellor; Dùm Author iste potiùs, quàm rationum vi, & armis pugnare; verborum, vult, energia, Oratoriis coloribus, ac vix apparentibus fallaciis, & sophismatibus ludere.

31. Ludamus ergò cùm ipso, dicendo; Regulam illam, & consultivam esse, & præceptivam; Præceptivam quidē in rigorosè dubiis, dùm scilicet ad alteram partem nos determinandi prudenter sufficiens non habemus motivum. Id enim est, verè in dubio versari, ut ipse Author optimè ait numer. 127. Probet ipse modò, rationes, ac fundamenta sententiæ minùs probabilis, posse

posse ad ejus assensum nos prudenter flectere; Sicut nos de probabiliori certi sumus, nemine contradicente Viro prudentia, & sapientia prædito, nec ipsis exceptis Probabilistis: Sicut oppositum de minùs probabili satis, superque ostendimus; & victi cedemus. Dùm igitur ad alteram partẽ possumus nos determinare prudenter; cõsultiva est regula sequendi tutiorem, quia nec propriè in dubio sumus, sed certi, quamvis aliqua remanere possit formido, vel trepidatio, ut suo loco explicuimus.

32. Eodem prosequitur suas Author illusiones n. 117 ad 132. Secundum, inquit, ex illo trahunt Eccl. 3. *Qui amat periculum, in illo peribit*; Vel enim loquitur de periculo peccandi formaliter; & ab hoc liberatur utiq; sciens per attestationem centenorum DD. fide omni dignissimorum, se posse tutò, sequi opinionem adhuc minùs probabilem. Vel de periculo peccandi materialiter, & ab hoc liberari non possumus; nisi tutiorem, & præcepto faventem sequamur sententiam, favens enim libertati, quantumcunq; probabilissima, nisi omninò certa sit, & evidens, intrà probabilitatis terminos cõtingere potest, quòd falsa sit; ac per consequens illam sequens poterit materialiter peccare. Si ergò aliquid ex hoc deducitur, consequens etiam est, ut *non liceat sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam*.

Ex certis argumento deducto ex August. authoritate cap. si quis *de Pœnit.* distinct. 7. *Tene certum, dimitte incertum*. Idem planè convincitur. Si enim dicta verba in puro sensu, in quo ab August. prolata sunt, de pœnitentia non differenda sumantur; nihil ad rem: Si autem ad alium ampliorem extendantur, prout extendũtur à severis DD. en jam optimè concluditur: *Non licet, sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimã*. Nulla etenim probabilissima intrà limites probabilitatis certa est. Debet ergò sufficere, quòd practicè opinio certa sit, qualis est etiã minùs probabilis; nam speculativè, nec probabilior certa

certa est. Vide igitur, quòd fulmen, Apostolicum, si non statuam ipsam, basem certè fortiter percussit severæ sententiæ, falsò applicata principia evertendo, in quibus fundata est.

Et quod probant, subdit, rationes, idē probant exempla theatralia potius; quàm magistralia, contrà Probabilistas à severioribus adducta. Sic, inquit Fagnanus num. 291. *de opinione probabili*; Quænam prudentia esset ejus, qui probabilius credens, adhuc esse latrones in Sylva, eam ingredi vellet pecuniis oneratus? Quænam prudentia, velle in puteum descendere per funē, quem probabilius frangendum citò æstimat? Quænā prudentia, velle plagam curare unguento, quod probabilius putat venenosiorē putredinē illaturum? Quænam prudentia, flumen velle trajicere, quo probabilius judicat, se fore mergendū? At hic non agitur, nisi de corporali periculo; Quid ergo ubi agitur de spirituali, ac tremendo nimis? Justissimæ subdit Author, admirationes? at verò, quia nimis probant, nihil probant, probarent enim, si probarent, quòd *non licet, sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimā*; Quis enim cum auri pondere sylvam unquam ingrederetur, etiam cùm probabilissima opinione, ampliùs non esse latrones? Nunquam porrò transibit, ni certus omninò sit, exemplo Noë usque tertiò exploratores mittens, ut columbam ille, ut certioraretur, an cessassent aquæ super terram: Idem prorsus de reliquis exemplis est dicendum. Hoc autem ideò, quia omnes isti dubitant; quarè stulti essent valdè; si usque dū perfectè dubium non deponant; alia regula ducerentur, quàm tutissimo illo principio. *In dubiis tutior pars est eligenda.*

Non sic est in casu nostro nisi fortè apud illos, qui probabilem à dubia conscientia non distinguunt. Si quis enim, libratis ex utraq; parte rationibus, videt utrāque benè fundatam, jam dubius non est, sed certus, posse licitè se operari juxta quamlibet illarum. Cùm enim à DD. asseratur, suffice-

ficere ad non peccandum, quòd operans juxta probilem opinionem, suam formet conscientiam; si adhuc dubium aliquod in eo remaneat, dubium erit speculativum; hoc est de opere nudè sumpto; non autem dubium practicum, de opere scilicet omnibus circunstantiis vestito; puta authoritate, reflexionibus, regulis, & motivis ultimum practicũ judicium constituentibus.

Denique, nè ab initio proposita argumenta insoluta remaneant; primum solvitur juxta jam dicta. Ad secundum dicitur peccata materialia communia esse quoque Sanctis propter invincibilem ignorantiam, undè oriuntur. Ad tertium denique, ad rectè operandum, non physicam requiri, sed moralem sufficere certitudinem, quam utique habet, qui bonæ rationis ductu opinionem sequitur etiam libertati faventem; *Qui enim certus est, non debet ampliùs certiorari*. l. si res. §. & generaliter ff. de act. empt. & vend. cap. eum, qui de Reg. Jur. in 6.

33. Lepidè quidem ludit, ac illudit Author, aërem verberans, verbis pugnans, impugnans non oppugnantes, aggressoribus terga vertens. At verò, dùm nos adeò suaviter calumniatur, absque calumniæ censum, eadem quà nos ab onere longiùs proposita, & opposita sibi declarandi eximit, permittere dignetur, ut vel summis labiis ipsius eludamus illusiones. Ut igitur à periculo formaliter peccandi liberemur, probabiliori volumus conformari sententiæ; ad nos itaque non dirigitur, nec ullatenus ferit, vel tangit fulmen Apostolicæ damnationis: non nimis igitur probat hæc ratio.

34. Nimis valdè, ac perindè nihil pœnitùs probat ratio, & effugium, quo ipse cùm suis Probabilistis utitur, ut se à jugo exoneret præcepti, ut jam suprà tetigimus, quòd scilicet *lex non est, dùm sufficienter promulgata non est*; *nec sufficienter est promulgata*, *dùm adhuc inter DD. controvertitur, an verè detur*; ergò in hujusmodi controversiis, quamcun-

cunque sequamur opinionem, tuti omninò sumus à periculo, nedùm formaliter, sed nec materialiter quidem peccandi. Quomodò enim periculum, vel materialiter peccandi, aut legem transgrediendi esse potest, ubi certò lex non est? indubitanter autem apud ipsum num. 42. & alibi; *Lex non est, quousque probabile est, non esse, quia sufficienter adhuc promulgata non est.* At nos jam suprà ostendimus, utique sufficiẽtissimè promulgatam unicuique, dùm rationis dictamine, quo naturalia intimantur, & positiva congruè declarantur, videt verisimilius esse, non licere, quod agit. Probet, si potest, legem non esse, & nimium valdè probabit.

35. Hoc autem omisso, probet ad minùs, quomodò per minùs probabilem liberari quis possit à periculo peccandi formaliter, quod satis optimè in sententia nostra probamus, quia totum fecit, quod in se est, ad veritatẽ investigandam; Undè si ad ipsam pervenire non potuit, invincibiliter ignorat, ac per consequens à formali culpâ excusatur, & est immunis, si fortè errare contingat; Probet ipse, quomodò invincibiliter ignorare sit dicendus veritatem, quam ratio solidior, gravior authoritas ipsi antè oculos porrigit? Claudat oculos, & voluntariè non videbit illam; Et de hoc item jam suprà dictum est; neque hic ampliùs inutiliter immorãdum.

36. Certitudo pariter, quam exigimus ad rectè operandum, non logica, non metaphysica, vel speculativa, sed moralis est; quarè neque ex hac parte ad nos Apostolicum fulmen ingreditur. Probet ipse, quòd minùs probabilis opinio moralem certitudinem dare sufficiat: Nos quidem latè insufficientiam ipsius demonstravimus §. 3. hujus cap. Hæc solida, & inconcussa statuæ nostræ fundamenta, & bases evertat Author, & habebit intentum; super has, non super jocosa stabiliat suam, & non corruet.

37. Accedamus ad exẽpla. Justissimæ, inquit, admirationes, sed qnia nimis

probant, nihil probant; At porrò quis non obstupeat? Quis non irrideat? Immo saniùs defleat Viri aliàs prudentissimi obcæcationem? Justissimè admiramur, quod velint Probabilistæ anxiores, & sollicitiores homines in vitandis corporalibus, quàm spiritualibus periculis; Illud igitur admirabile, portentosum est; immo valdè monstruosum, utpotè, quòd rationalem naturam in brutalem ferè convertat. Omni planè commiseratione dignissimi, qui seculi voluptatibus involuti; propriisque passionibus excæcati monstra hujusmodi, ac probra factis utique venerantur. Quòd verò Filii hujus seculi prudentiores Filiis lucis in generatione sua sint? Proh Deus! Et non veretur Author iste alioquin Religiosissimus, asserere; non debere Viatorem, v. gr. ut aurum, vel corporis vitam servet, acquiescere probabili, nec probabiliori, neque archiprobabilissimæ, ut ipse ait, credulitati; sed omnimodam exigere certitudinem, ut autem Dei Gratiam super aurum, & lapidem pretiosum multum longè pretiosissimam, ut Animæ Vitam à periculo tutã reddamus, sufficere, ut minùs etiam probabili adhæreamus opinioni.

Sed fateor, ut in cæteris, ità in his allucinatur. Quis enim Viatori, vulnerato, vel in puteum descendenti omnimodam præbeat certitudinem? An non omnis, quam habere potest, vel humanæ fidei, vel experimento nixa est? ergò fallibilis utique absolutè, solumque certa moraliter: Eandem igitur ad conscientiæ tutamen exigere nos justissimè adducta exempla convincunt. Non ergò nimis, sed justè probant. Remanet solùm ipsi probandum; hanc moralem certitudinem dare posse minùs probabilẽ opinionem. Quod, heù quàm difficilè! Ni lux vertatur in tenebras, & Dies in noctem.

38. Relinquamus verò theatralia, in scenam prodeant Magistralia, quæ adducit ipse. De Magnete nudo, & armato, jam suprà vidimus, quod contra ipsum pugnat. Exemplum

plum de Vino debili, ac generoso planè ipsum jrridet. Debile Vinum est minùs probabilis, generosum probabilior sententia ipse fatetur, dùm Vini affert exemplum. Quisnam autem ità demens, ac tardus; ut feculento velit inebriari, dùm optimi, ac purissimi copiam habet? Dignum non est, ait ipse, ut vulgare Vinum in mensa Principis apponatur, non tamen ejici debet, utile siquidem est popularibus. Ità planè verè probabilis opinio ejicienda non est, nec damnanda; quia utilis est non habenti meliorem. Indigna tamen penitùs, ut in conspectu Principis; Intellectus videlicet generosiori solidioris rationis Vino jam inebriati, cōpareat, nisi, ut veluti feculentum Vinum reprobetur.

Quid dicam de aureo nummo Italico, vel Hispanico? De Virgilii carminibus pulchrioribus, & minùs pulchris? Omnia quidem æstimabilia sunt. Ità nè igitur minùs probabilis opinio in conspectu probabilioris? Absit, absit; Elegantiùs etenim carmen inferioris pulchritudinem nullatenus deturpat, nec Valor Hispanici minuit Italici nummi valorem; nec enim ad invicem pugnat, immo juvantur. At probabilior absorbet, enervat, comminuit, ac ferè ad nihilum redigit efficiam minùs probabilis opinionis, cui contrariatur; trahit siquidem ad se intellectum adeò, ut non possit ampliùs à probabili trahi, nisi vis naturæ inferatur, ut in superioribus demonstravimus. Demus autem ipsi optionem. En Italicus, En Hispanicus nummus, eligas, quem vis; ast verò unum habens, alterum perdas. An nè prudenter Italicum eligeres? Hispanicus est nummus probabilior sententia, Italicus minùs probabilis, quò negotiaturus es thesaurum non deficientē in Cœlis. Nos quidem Hispanicum, tibi sumas Italicum, & quàm prudenter feceris, ipse videris.

Hæc dixisse, sufficiat, ut tot verborum ornatu, artisque ingeniosæ fucata coloribus, nuda veritas, ut decet, appareat: Quæ enim pauca subnectit Author, vel

nihil reflexione dignum afferunt, vel ex dictis liquidò constant; Cæterum injustè satis concludit, nos arguendo, quòd more Judæorum, qui Prophetas exaltabant veteres, coætaneos lapidabant. Nos itidem antiquos veneremur Doctores, Modernos contemnamus: Ipse quidem neminem, præter socios Probabilistas, in pretio habet; Antiquos nos veneramur; Modernos honoramus; in quibus tamen à veritate conspicimus aberrantes, ut possumus, ad rectam semitam reducere cogimur: At si fortè nos fallimur; en libenter correctioni subjicimur: Afferant ipsi melius, & statim acquiescemus; etenim ratione duci cupimus, non placito, & Voluntate.

§. 1. *De formanda conscientia in particulari juxta diversitatem Statuum.*

SUMMARIUM.
De Principe, vel Superiore.

1. *Quinque in Principe attendenda sunt.*
2. *Inferenda lege, aut præcepto, debet Princeps moralem certitudinem habere de ejus Justitia.*
3. *Bellum specialissimã exigit justificationem, nec nisi pro ultimo remedio, adhibendum est.*
4. *Ad bellum offensivum debet omninò Princeps probabilioribus duci rationibus.*
5. *Non excusatur per hoc quòd utatur jure suo.*
6. *Per se loquendo, non potest dari bellum justum ex utraque parte.*
7. *Ubi non apparet ex una parte saltèm probabiliùs justitia, committi debet causa Judicibus Arbitris.*
8. *Ad bellum defensivum sufficit etiam probabilis ratio, modò aggressionem patiens in causa non sit belli, nec ipsi constet de probabiliori contrariæ partis Jure.*
9. *Ad tributa imponenda sola, certa, & evidenti necessitate moveri debet Princeps; & curare, nè subditi plùs justo graventur.*
10. *Sufficit gravis, nec exigitur extrema necessitas.*
11. *Cessante necessitate, cessare*

sare debet Tributum.

12. *Consideranda est necessitas, insufficientia Ærarii, & ipsa tributorū exactio, & effectus indè sequentes.*

13. *Tenentur subditi, solvere, dùm non constat de injustitia, & admonere Principem, ubi fraudem adverterint.*

14. *Potest Princeps, mutare pecuniam ex justa causa; tutiusque in hoc erit, audire Populum.*

15. *Nec licet ad libitum, sed solùm ex gravi boni communis necessitate.*

16. *Debet esse causa moraliter certa, quæque, ut plurimùm esse possit:*

17. *Debet fieri cùm minori subditorum damno, quo fieri potest.*

18. *Si legitimus adest superior, ad ipsum pertinet sententia determinans, quinam Jure debeat in Regno succedere.*

19. *Etiam si superior ipse sit ex una parte prætensor, potest enim, ad hoc Judices delegare.*

20. *Si Regnum legitimum non habeat superiorem, decedens absque certo successore debet, antè obitum Judices designare.*

21. *Aliàs designandi sunt à Regno ipso secundùm statuta, & consuetudines illius.*

22. *Prætensor certum habens Jus, timensque injustitiam, non tenetur, expectare sententiam; potestque armis etiam possessionem invadere.*

23. *Potest rationabiliter Prętensor, Judices allegare suspectos, ac petere, ut alii deputentur, vel etiam ad Judices Arbitros causa remittatur.*

24. *Judices non possunt, Regnum adjudicare, nisi parti ad ipsum Jus practicè probabile habenti.*

25. *Ad bonum commune titulo Justitiæ legalis favere possunt parti minùs etiam in se probabili cùm debita limitatione.*

26. *Diligentia Principis inquirendi Consiliarios, non solùm doctos, ac peritos, verùm timentes Deum.*

27. *Non debet, ipsis propriā voluntatem, seù inclinationem detegere, sed consulendum cùm omni indifferentia proponere.*

28. *Non solùm Vota Consultorum, sed rationes audiat*

audiat , & motiva .

29. *Dùm congruos habet in propria Ditione; potest illos in Consiliarios assumere , aliàs aduocare debet aliundè .*

1. AD majorem dictorum explicationẽ, & doctrinæ complementũ , aliqua hic breviter addenda sunt speciali digna consideratione, ut juxtà diversitatem statuum, & conditionum,possit quis, rectè suam formare conscientiam . Et primò à capitè, Principe scilicet, Prælato, vel Superiore incipiendum . Quinque autem in Principe sunt potissimùm attendenda;scilicet institutio legum, indictio belli, impositio tributi, mutatio monetæ,Jus,& successio ad Regnum .

2. Quõad primum ; & si certum sit ,quàm dici non constat de injustitia legis,& præcepti , subditos omninò teneri ad obediendum; quia Princeps, & Superior est in possessione legitimà præcipiendi; attamen ipse Princeps, & Superior in ferenda lege, aut præcepto certus debet esse moraliter, quòd lex justa sit, suamque jurisdictionem , ac potestatem non excedat ; Quæ certitudo pensanda erit juxtà regulas generales, jam superiùs traditas, habita materiæ proportione .

3. Quòad secundum notandum ex Jo. à S. Thom. *p.* 2. *q.* 18. *disput.* 12. *art.* 5. Quòd bellum est actus Justitiæ vindicativæ,quo Princeps, vel Respublica vindicat suum Jus, & satisfacit læsioni, sivè in rebus, sivè in injuriis . Quia tamen Justitiæ hujus executio difficilis est valdè, plurimorumque Innocentium damnificativa, specialissimam exigit justificationem, ac ultimum esse debet remedium, & medium, quod eligatur pro Jure tuendo, vel acquirendo, scilicèt quando aliter fieri non potest. Undò nõ videntur excusandi Principes, dùm ex levi motivo, aut certè alia faciliori, ac tutiori via satisfactionem procurare negligentes Bellum indicunt .

4. Deindè notandum ex eodem, Bellum duplex esse, offensivum scilicet, & Defensivum,quamvis enim de-

defensio proprii Juris finis esse debeat universalis cujuscumq; belli justi: dicitur nihilominùs Bellum offensivum, dùm quis ad proprium Jus, aut satisfactionem petendam, ipsum indicit; Defensivum autem cùm ab alio indictum sustinet, vel repellit.

Ad Bellum igitur offensivum, seù ad Bellum intimandum alteri, omninò requiritur in Principe, quòd habeat pro se probabiliores rationes, ac solidiora fundamenta, nec sufficiunt probabilia, sivè minùs, sivè æqualiter. Hoc autem præterquàm quòd ex dictis in superioribus deducitur, probatur speciali ratione. Quia nullus, tueri, potest, suum Jus incertũ cùm certo damno Innocentis. In casu autem Princeps non habet certum Jus, neque morali certitudine, ut ex dictis constat; damna verò Innocentum, sine quibus Bella non dantur, certa sunt; ac per consequens Innocentes ipsi sunt in legitima possessione, à quà turbari non debent ad tuendum, vel acquirendum Jus incertum.

5. Nec poterit excusari Princeps ex hoc, quòd utatur Jure suo, undè per accidens est, quòd damna indè sequantur. Uti enim Jure suo certo, & securo, licitum est, at si damna sequantur, per accidens sunt, nec imputantur jure suo utenti; Secùs autem, quandò Jus incertum, ac dubium est; non enim spoliari debet Proximus Jure suo certo ad vindicandum, tuendum, seù acquirendum Jus proprium incertum.

6. Undè subdit, & benè Jo. à S. Thom. quòd per se loquendo, non potest dari Bellum ex utraque parte justum, sed tantùm per accidens, ex ignorantia scilicet injustitiæ; Cùm autem ignorantia, ut ex dictis constat, invincibilis, & inculpabilis esse non possit, nisi ferendo judiciũ secundùm id, quod probabiliùs, & verisimilius apparet; hinc est, quòd Bellum indicens cùm probabili tantùm opinione, periculo se exponit injustè bellandi, nec ignorantiâ excusari potest.

7. In casu igitur, quo probabiliùs adeò non appareat

reat Justitia ex una parte; Causa Judicibus Arbitris committenda est, qui sinè medio ità damnoso pro una parte judicent, aut dividant, attentis ex utraque parte meritis.

8. Quòad Bellum verò defensivum, dùm scilicet quis ab alio patitur aggressionem; modò ipsi non constet, aggredientem probabiliori fultum ratione bellũ indicere; nec ipse in causa sit, ut per bellum ad litis decisionem deveniatur; sed quantùm est in se, absque bello, sit paratus, causam Judicibus decidendã committere; justè quidem probabili tantùm ratione fultus per defensivum bellũ tueri poterit, suum Jus, etsi non ità certum; ac damna belli, non ipsi, sed aggredienti erunt imputanda; Et ratio est; quia in casu iste verè patitur injuriam ab aggressore, qui contrà Justitiæ ordinem absque suâ culpâ illum à prætenso Jure, vult, repellere; Undè jure quoque se defendere potest, & belli damna, non ab ejus defensione justà, sed ab alterius injustà dimanant aggressione,

9. Pariter quòad Tributorum impositionem, non nisi certa, & evidenti necessitate moveri debet Princeps; ita ut ordinarii non suppetant redditus. Ratio est, quia per hujusmodi impositiones re sua subditi spoliantur, quam justè possident, quarè non debent ex dubiâ tantùm, vel probabili necessitate gravari. Non est enim Princeps Dominus facultatum subditorum, sed pro bono tantùm communi, cujus est administrator, & conservator, jus habet in subditorum bona. Maxima item cura Principi habenda est, ut in tributorum exactione subditi plùs justo nõ graventur, quod sæpè contingit, dùm potiùs exactores, indè impinguantur, quàm commune bonum juvetur.

10. Ad justam nihilominùs Tributi, seù Gabellæ impositionem extrema necessitas expetenda non est, sed gravis omninò sufficit; modò consuetæ contributiones, aliæque Principis facultates non suppetant; ut colligitur ex D. Thom. 2.2. *q*. 32. *art*. 6. ubi gravem

Rei-

Reipublicæ necessitatem æquiparat extremæ necessitati proximi. Idque consonum satis rationi videtur; dùm enim Respublica extremè laborat, vix, aut nullatenus à subditis posset sublevari, qui certè nō possunt, commune damnum nō sentire, utpotè membra illius.

11. Justà igitur urgente necessitate, poterit, congruum, Princeps, imponere tributum secundùm necessitatis exigentiam, quà cessante, cessare quoque debet gravamen; immo addit, & benè Jo.à S.Thom.quòd si aliàs Principis facultates ad omnia suppeterent, & ex ejus incuria, vel à Ministris dilapidentur, vel ab aliis usurpentur, curare debet, pro viribus earundem recuperationem, & conservationem, nè subditos gravare, cogatur, aliàs mortaliter peccat alieni usurpatione.

12. Tria igitur in hujusmodi impositione consideranda sunt. Primò. Necessitas Reipublicæ, cui proportionari debet gravamen subditorum, & non excedere. Secundò, quòd verè propria bona Principis non suppetant, neque id eveniat ex Ministrorum dilapidatione. Tertiò consideranda est ipsa Tributorum exactio, & effectus indè secuti; quòd scilicet fiat sine violentia, & oppressione pauperum, quòd revera hujusmodi tributa pro necessitate applicentur, nec aliò distrahantur, & rectè, ac fideliter administrentur. Quibus omnibus maturè debet Princeps invigilare, aliàs graviter peccabit, injustè populum gravans, & opprimens.

13. Undè, quamvis teneantur subditi obedire, ac tributa solvere, dùm non constat de injustà impositione, ubi tamen advertentur, vel Principem sinistrè fuisse informatum, vel malè facultates ejus, vel hujusmodi tributa exigi, seù administrari, aut quid simile, debent Principi cùm debita reverentia exponere, isque tenetur, audire, & pro viribus consulere, ut colligitur ex cap. Si quando de rescriptis, & cap. Cùm teneamur de præbendis; tolerat enim ipse Pontifex, dùm

pro veritate informãda ejus mandatum prætermittitur.

14. Quòad monetæ mutationem, supponimus, tanquam certum, posse quidem supremos Principes, mutare monetam, sivè propriâ authoritate, populi nullo requisito consensu, ut communior fert sententia, vel etiam audito populo, ut aliqui malunt, quod certè omninò tutius est, non quòd populi consensus ad hoc per se requiratur, verùm, quia, cùm ipsa moneta sit regula, & mensura omnium commutationum in his, quę pretio æstimantur, ut ait ex Philosopho S. Doct. lib. 2. *de Regimine Principũ* cap. 13 Ex ejus mutatione plurima sequi solent damna, incommoda, & populi turbationes.

15. Non licet ergò Principi, ad libitum variare monetam, sed solùm ex gravi, ac urgente necessitate pro communi bono; hoc enim jus Principi non competit, nisi ex dominativâ, & gubernativâ potestate, quà legitimam statuere, potest, ac debet, mensuram in commutationibus, & proindè legitimâ, & justâ semel statuta mensurâ, non potest, illam absque urgentissima causa mutare cùm gravi populi damno, quod ex hujusmodi sequitur mutationibus.

16. Non est autem hujus loci, singulas examinare causas, quibus licet, monetæ valorem augere, vel minuere, sufficiat advertisse; non sufficere ad id probabilem solùm, & dubiam, sed moraliter certam, & urgentissimam causam requiri. Puto nihilominùs, quòd ut plurimùm causa minutionis sit, dùm legitimus valor à lege constitutus excedit intrinsecum ipsius monetæ valorem; idque accidere potest, vel ex vitio materiæ, quia non pura, sed admixta, vel ex minori pondere; & hoc quidem, vel in seipsa, vel quia moneta iniquitate utentium attonsa, seù limata fuerit. Alia causa esse potest minuendi valorem exteræ monetæ, dùm scilicet ipsi extranei, ut bonam à regno extrahant, propriam introducunt minoris æstimationis, ut si deferant æreas, ut argẽteas asportent.

Idem

Idem proportionabiliter dicendum erit de augmento, si enim ab exteris moneta optima excedéter asportetur à Regno, ad hujusmodi occurrendum incommodo; poterit ejus pretium augeri, præcipuè, si valor intrinsecus ipsius id justè patiatur. Alia quoque potest esse justa augmenti ratio, inopia scilicet, seù defectus monetæ, ut indè faciliùs ad Regnum confluat.

17. Illud præ oculis habendum est, ut non solùm urgens adsit Causa, sed minore, quò potest, subditorum damno, & incommodò fiant hujusmodi mutationes: & quidem si regium suppetat ærarium, providere, debet Princeps, ut ex ipso eorundem subditorum damna reparentur, puta, recipiendo ab ipsis limatas, attonsas, aut aliter vitiatas, & bonas totidem reddendo, præcipuè, si vitium ex ejus, vel Ministrorum irrepserit incuriâ, vel malitiâ: Quæ omnia secundùm accidentes circunstantias pensanda sunt.

18. Quòad Regni successionem difficultas esse potest, dùm Rex, vel Princeps absque certo legitimo successore decedit. Videndum est autem, an Regnum seù Principatus absolutum, & supremum habeat dominium, vel potiùs alteri de Jure subdatur, ut feudataria. Si adsit legitimus superior, ad ipsum omninò pertinebit judicium, & sententia determinans, quisnam, jure succedere, debeat, cùm ipse sit legitimus Judex; quod præstare, poterit, sivè per se immediatè, sivè per deputatos Judices, ut videbitur expedire.

19. Et hoc quidem verum est, etiam si prætensor ex una parte sit ipse Rex, vel Princeps supremus, qui poterit optimè, judices delegare ad judicandum inter se, aliumque prætensorem, ut passim contingit in aliis causis civilibus, tales enim Judices potiùs Regni sunt Judices, quàm Regis, qui in hac parte non propriè, ut Rex, sed ut privata persona se gerit, licet in deligendo Judices ipse quoque vices Regni gerat, quod limita, ut infrà num. 22. & seq.

20. Si autem Regnum legitimum non habeat Superiorem, Rex absque certo legitimo successore decedens, poterit, immo ad vitãdas lites debebit, antẽ mortem designare Judices, qui post ejus obitum causam ritè discutiant, ac de legitimo successore determinent; dùm enim vivit, legitimam habet potestatem decernendi, quidquid ad commune bonum fuerit expediens.

21. Quòd si absque Judicum designatione Rex decedat, eorum designatio ad Regnum pertinebit, & quidem juxtà Regni statuta, seù approbatas consuetudines; hoc est, vel ab Optimatibus facienda, vel Generalibus Comitiis, aut supremo Consilio, & ut plurimùm ab jis, ad quos spectat, nomine totius Regni Regem eligere, seù illi obedientiam juramento præstare.

22. Quæ autem hucusque dicta sunt, absolutè, ac per se loquendo, valent omninò; Cæterum per accidens duplici limitatione indigent. Ac primò, si quis Prætensor certum, & evidens habeat Jus, timeatque probabilitèr injuriam, seù injustam à supremo Principe, vel Judicibus sentẽtiam. Ex hoc ipso non tenetur, sententiam expectare, sed statim possessionem Regni accipere; ac si fortè impediatur, armis quoque invadere; id enim est justissima sui Juris defensio, nec expectare tenetur, ut alius contrà proprium Jus in possessionem mittatur: Dùm enim Jus certum est, jam quasi quodammodo possidet, neque est, aggressorem prævenire, immo injustè se impedientem, vel aggredientem repellere. Ubi tamen adverte, quod hoc non licet, nisi dum verè Jus certum est, nec sufficit, quod sit probabile tantùm, vel etiã probabilius; aliàs enim tenetur, expectare sententiam, & alio congruenti occurrere sequente remedio.

23. Limitatur ergò secundò tradita doctrina: Si Judices à Principe Supremo vel Regno designati suspecti fuerint; debet Prætensor, ipsos tanquam suspectos, allegare, ac petere; ut alii non suspecti designentur,

vel etiam, ut ad Judices Arbitros causa remittatur; & Princeps, vel Regnum tenebitur, satisfacere; aliàs Prætensor Jus habebit, se armorum vi defendendi; Cùm jam ex hoc ipso injuriam patiatur, eique justa denegetur petitio; nec alia remaneat via proprii Juris defensioni.

24. Quæres modo. An Judices, Ordinarii sint, vel Arbitri, parti favere, teneantur, probabiliori suffultæ ratione? Pro quo in primis certum est, non posse Regnum adjudicare, nisi parti verè ad Regnum practicè probabile Jus habenti; hæc enim tota est eorum sphæra potestatis, ut inter justè prætendentes promulgent sententiam; quarè, si ex prætensoribus leves quasdã, & frivolas in sui favorem aliquis haberet rationes, nullatenus pro illo determinare justè, possent; quia nec propriè Jus ullum haberet.

25. Supposita ergò verâ, & fundatâ probabilitate, quamvis attento præcisè commutativæ Justitiæ rigore, parti probabiliori per decisivam sententiam favere, teneantur. Nihilominùs, gravi quodam boni communis ex altera parte, adhuc in se minùs probabili, commodo præponderante; poterunt, immo debebunt, huic potiùs, quàm probabiliori, ex legalis Justitiæ titulo favere. Ut enim optimè notat Jo. à S. Thoma: Non sunt hujusmodi Judices præcisè Judices, verùm quasi Regni Electores. Ubi tamen adverterem, ut verè magni momenti sit publicũ Bonum, & quòd insuper major probabilitas unius partis aliam non adeò excedat, ut ferè ad certam accedat, & à probabilitate altera cadat.

26. Deniquè non modici est momenti ad Principis, vel Superioris formandam conscientiam, Prudentum Consilia diligenter exquirere, quibus in gravioribus pertractandis, & resolvendis negotiis utatur. Prava quippè consilia, nedum Principes, ac Superiores ad tartara miserabiliter deducunt; sed & Regna, Communitates lachrymabili fatis devastant ruinâ. Oculatâ

latâ igitur nimis, debet Superior, diligentia Consiliarios perquirere; qui & scientiæ, ac peritiæ Theologicæ, vel Jurisprudentiæ nomine tantùm non gaudeant; sed qui Dei timorẽ præferẽtes, non ad quærendas excusationes in peccatis, & laxiora dictamina, at sinceram proponendam veritatẽ intenti sint; nec hominibus placere, quærant, vel humanam captare Gloriam, sed magis Dei dilectionem, & animarum, communisq; Boni salutem, & incolumitatem.

27. Pro quibus duo potissima tradit optimè Jo. à S. Thom. Principibus documenta. Primum, supposito, ut prænotatum est, quòd Consiliarios eligat sapientes, ac timoratę cõscientiæ, non sibi magis notos, familiares, aut beneficiatos; Quantùm fieri potest, nec per se, nec per alios propriam ipsis Voluntatem innuat, neque propensionem, sed cùm omnimoda proponat indifferentia, seque omninò puram cùm tota libertate proponi veritatem, desiderare, declaret.

28. Secundum; Ut non solùm Consultorum audiat Vota, sed motiva, & rationes, quibus propriam confirmant sententiam. Non enim sola ipsorum Authoritate duci, sed pro viribus ponderare, debet rationes. Ex his enim facilè veritas innotescit; vel adminùs, ubi ejus major lux effulgeat.

29. Tandem ultimò addendum est; Quòd, si in proprio Regno, vel jurisdictione Sapientes Viros habeat, Probos, ac timoratos; Ex ipsis tutò, poterit Princeps; vel Prælatus, sibi Consultores deligere; præcipuè, cùm varia passim occurrant decernenda, quæ à propriis Regni, vel Curiæ statutis dependent, & consuetudinibus, sine quarum notitia rectum dari, non potest Judicium. Aliàs tenebitur, ab extrà quærere, & advocare. Immo, & cùm aliquod gravissimum resolvendum occurret negotium, nec propriorum contentus consiliis famosos aliquot extrà consulere, debebit. Ut multoties timoratæ conscientiæ Principes, in arduis ipsarum Universitatũ consilia quærere

rere, non erubescunt. Et hæc de Principe, Prælato, vel Superiore quolibet proportionabiliter.

Sequitur Summarium de Subditis.

30. *Si dubium sit de legitima potestate Superioris, post sufficientem diligentiam, non tenetur Subditus, obedire, nisi aliter scandalum, vel gravis turbatio suadeat, vel nisi Prælatus possideat.*

31. *In dubio purè negativo, an materia præcepta licita sit, obedire tenetur Subditus.*

32. *In dubio autem positivo monere, debet, Superiorem, qui si persistat in præcepto, Subditus, obedire, tenetur.*

33. *Tenetur etiam, obedire, quamvis ipse probabiliùs judicet, rem præceptam esse peccatum, modò Superior probabiliùs judicet oppositum.*

34. *Non liceret, obedire, si constaret, Superiorem sponte, relicta probabiliori sententia dictante illicitum, aliquid præciperet ex minùs probabili.*

30. Quòad Subditos duo præcipuè consideranda sunt; Primum quid agendũ, quandò Subditus dubitat, an Prælatus licitè, ac validè præcipiat? Secundum; quandò Superior juxtà probabilem sententiam præcipit, relicta probabiliori.

Et quòad primum, licèt Adrianus quodlib. 2. punct. 2. apud Jo. à S. Thom. loco suprà citato *art.* 6. existimet, in tali casu non teneri Subditum, obedire; Alii verò è contrà putent, absolutè Subditum obligari ad obediendum: Cùm eodem Jo. à S. Thom. saniùs distinguendum est. Vel enim est dubium circà Superioris jurisdictionem, vel circà materiam præceptam.

Et quidem, si dubium sit de legitima potestate Prælati, debet Subditus, adhibere sibi possibilem diligentiam, ut de illius legitima jurisdictione certioretur; quod si adhuc dubium remaneat, per se loquendo, non tenetur, obedire, nisi Prælatus possideat. Quia possessio stat pro Subditi libertate; quà in dubiis juvatur;

tur; ut ex dictis constat. Dixi, per se loquendo; nam si ex inobedientia scandalum, vel gravis turbatio Communitatis oriretur, deberet obedire; in similibus enim tenetur quilibet, etiam proprio juri cedere, ut docet S. Doctor. *pri. 2. q. 96. art. 4.*

Quarè, nec facilè admitterem limitationem, quam in hac parte concedit Jo. à S. Thom. scilicet non teneri Subditum, nec etiam ad vitandum scandalum, obedire, dùm ex tali obedientia ipsi, aut aliis damnum immineret; quia tunc scandalum esset passivum: In primis enim scandalũ activum est, nõ solùm ex actione de se mala, sed etiam, dùm aliquam habet mali speciem, licet in se mala non sit, ut docet ipse D.Th. 2. 2. *q.* 43. *art.* 1. *ad quartum*, & alibi. Non obedire autem Prælato, de se mali speciem refert, nisi fortè de injustitia præcepti, vel præcipientis constaret. Deindè quia tenemur, proprio juri cedere, vel temporale damnum pati ad vitandum scãdalum quoque passivum, si ex infirmitate procedat, non ex malitia scandalum patientis, ut docet idem S. Doctor ibi *art.* 8. Ac demùm tenemur proprio juri cedere ad commune bonum, quando particulari prçponderat. Si ergò ex inobedientia magna esset cõmunis boni turbatio, teneretur Subditus, obedire, juri suo cedendo.

31. Si autem dubium sit de materia præcepta; An scilicet id, quod Superior præcepit, licitum sit, nec nè? Distinguendum est adhuc. Si enim dubium purè sit negativum, quia nempè non constat, quarè præceptum licitum sit, ac justum; v. gr. Bellum quomodò justum sit, vel Tributum? In hoc nõ debet Subditus, examinare causam, sed obedire, tenetur; præsertim dùm constat aliàs, Principem in timore Domini gubernare.

32. Si verò dubium sit positivum, quia scilicet rationes dubitandi se offerunt, an licitum sit, quod præcipitur; tunc debet Subditus, per se, vel per DD. consilia dubium examinare; ac si facta sufficienti diligentia, dubium

bium examinare; at si facta sufficienti diligentia, dubium adhuc perseveret, deponendum erit, & Superiori obediendum; quia possessio stat pro ipso, qui certum jus possidet præcipiendi, quô propter dubium spoliari non debet. Nec indè Subditus, obediendo, exponitur periculo peccandi; quia si contingat, peccatum esse, quod præcipitur, ab ipsa obedientia excusabitur; ut colligitur ex cap. Quid culpatur 23. *q.* 1.

Et hoc præcipuè verum est, quandò Princeps, aut Superior cùm dubii cognitione præcipit, debet enim subditus, etiam si aliàs sit Vir doctus, supponere, quod à superiore dubium benè fuerit examinatum, & resolutum, aliàs enim cùm damno gravissimo Communitatis in multis regimē suspenderetur.

Si autem dubium, non facilè Superiori, potuit innotescere, tenebitur Subditus, illum admonere, ac interim obedientiam suspendere, animo tamen ad obediendum parato; quia tunc per Epykejam censetur, nolle in casu Superiorem, præcepto subditum adstringi; Quòd si admonitus adhuc superior in præcepto persistat, obedire tenebitur Subditus, propter allatam rationem.

33. Quòad secundum, Si Prælatus, tanquam probabiliùs licitum aliquid præcipiat, quamvis probabiliùs appareat Subdito, id illicitum esse, tenebitur, conscientiam deponere ex authoritate ipsius Prælati, ac obedire: Et ratio est, quia in casu Prælatus jure, ac legitimè omninò præcipit ex prudenti cōsilio secundùm id, quod omnibus ritè perpensis, probabiliùs judicat; ergò tenetur Subditus obedire; sunt enim correlativa, jure præcipere, & Subditū ad obedientiam obligari: ad hoc enim ordinatur præceptum, & frustrà Superior præciperet, si non teneretur Subditus obedire: Quamvis ergò Subdito probabiliús appareat absolutè illicitum, quod præcipitur; huic tamen majori probabilitati derogatur per adveniens præceptum, quô prudenter conscientiam deponere

potest,ac debet,& juxtà præceptum formare.

34. Non debet autem Subditus, aliter suspicari de Superiore, nisi certò constet ipsum spontè, relicta probabiliori, minùs probabili adhærere opinioni. In quo casu non liceret Subdito obedire; quia & injustè Superior præciperet; nec ejus injustitia, Subdito, posset suffragari ad illum à peccato excusandum, immo formaliter contrà Dei legem faceret, obediendo; cùm tamen sit magis Deo, quàm hominibus obediendum; Deberet ergò tunc Subditus quantùm cautè posset, se à præcepto subducere, vel ad Superiorem, si adsit, recurrere, vel in extremo casu poenam potiùs injustam sustinere patienter, quàm evidenti periculo peccandi se committere, obediendo.

Sequitur Summarium
De Judice, Advocato, & Medico.

35. *Judex tenetur ad maximam diligentiam pro veritatis investigatione.*

36. *Tam inferior, quàm supremus tenetur, sequi probabiliorem sententiam.*

37. *Et hoc, sivè dubium sit de jure, sivè de facto.*

38. *Quid agendum, quandò ex utraq; parte sunt æqualis ponderis fundamenta.*

39. *In causa sanguinis exigere debet, sole clariores probationes.*

40. *Non debet procedere ex scientia, quam habet, ut privata Persona, eà tamen benè uti ad districtiùs inquirendum.*

41. *Quid facere, debeat, cùm scit aliquem innocentem, qui falsis Testibus reus cõvincitur?*

41. *Quò Judicis Arbitrium se extendat.*

43. *Advocatus, patrocinari, non potest, causam, quam scit injustam, aliàs tenetur ad damna.*

44. *Neque, si pro contraria videt probabiliora fundamenta.*

45. *Potest autem, si major probabilitas non adeò clarè pateat:*

46. *Si appareat inter actionem partis adversæ major probabilitas, desistere, tenetur.*

47. *Quomodò communiter plu-*

plura petantur, quæ, justè peti, non possunt.

48. *Nec Duci, nec Advocato licet uti falsitate, benè verò occultare veritatem.*

49. *Moderatam, potest, exigere mercedem, nec semper tenetur causas pauperum gratis patrocinari.*

50. *Medicus ex charitate, & justitia tenetur ad congruã diligentiam in cura infirmorum.*

51. *Non potest, relicto tutiori, uti medicamento dubio, an possit nocere, immò nec deficiente meliori.*

52. *Benè tamen posset, ubi certiùs non esset, ac infirmi salus jam desperata; sed Infirmum, ac hæredes monere, deberet.*

53. *Non tenemur, extraordinarias, pretiosissimas, vel nimis difficiles adhibere medicinas.*

54. *Quomodò liceat, uti medicamento, de quo solùm dubitatur, an juvare possit.*

55. *Potest Medicus, singulare remedium apud se tenere, nec aliis communicare.*

56. *Teneretur tamen efficere, nè simul cùm ipso remedium interiret.*

57. *Gratis curare tenetur, Pauperes, & admonere infirmos de Sacramentali Cõfessione.*

35. CIRCA Judicem certum est in primis, teneri ad maximam diligentiam in veritatis investigatione juxtà viam juridicam, & servato juris ordine; hoc enim proprium ejus est officium, & ad hoc Judices instituuntur. Difficultas est, quando cùm tota diligentia Veritas adhuc non plenè innotescit.

36. Et quidem optimè à Jo. à S. Thom. rejicitur sententia Vasquez p. 2. disput. 64 cap. 2. quòd scilicet inferior Judex possit absolutè, in ferenda sententia minùs probabilem sequi opinionem, relicta probabiliori; Supremus verò teneatur, sequi tutiùs, ac probabiliùs, eò quia sententia inferioris Judicis per Superiorem corrigi potest, hujus autem sententia inemendabilis est. Vel enim sententia ista inferioris justa est, vel injusta; si justa, quarè à Superiori quoq; approbari

non poteſt? Si verò injuſta quomodò citrà injuſtitiam ferri poteſt ab Inferiori, qui Miniſter utique Juſtitię eſt, ac ſecundùm juſtitiam judicare tenetur?

37. Non item placet diſtinctio, quam cum aliis adhibet idem Jo. à S. Thom. quòd ſi dubium ſit facti, omninò tenetur Judex, ferre ſententiã ſecundùm probabiliorem partem; pro quà ſcilicet probationes, & fundamenta ſunt majoris momenti, ac ponderis: Si autem dubium ſit de jure, poterit, etiam juxtà minùs probabilem ſententiam ferre judicium. Sed ex dictis omninò clarè conſtat, quòd non poteſt quiſquam, prudenter judicare legem, v.g. præcipere aliquid, vel prohibere, quandò urgentiora motiva, ſolidioreſque habet rationes, quibus ipſi apparet, legem contrarium dictare; imprudenter igitur, ac per conſequens injuſtè ſententiam ferret Judex ſecundùm partem minùs probabilem, relicta probabiliori; Cùm prudentia ipſa ſit recta ratio agibilium, omnibuſque Virtutibus modũ imponens. Undè S. Doct. 2. 2. *q.* 60. *art.* 2. ait vitioſum, & illicitum omne Judicium, niſi præter alia proferatur ſecundùm rectam rationem prudentiæ. Quarè indubitanter tenendum eſt, debere Judicem, ſequi ſemper probabiliorem ſententiam, quodcunque dubium ſit, ſivè facti, ſivè juris; præcipuè cum Innoc. XI. in Dec. 2. Martii 1679. indiſtinctè ſequentem damnaverit propoſitionem. *Probabiliter exiſtimo, Judicem poſſe judicare juxtà opinionẽ etiam minùs probabilem.*

38. Quòd ſi pro utraq; parte ſint æqualis ponderis fundamenta, & ſit lis de re diviſibili, dividenda eſt in partes æquales; Si verò diviſibilis non ſit, uni adjudicari, & alteri in pretio, aut alio æqualis æſtimationis compenſari; poteritque ad concordiam partes cogere. Immo, etiam ſi partes æqualia omninò fundamenta nó habeant, ſed altera præponderet aliqualiter, non autem notabiliter; Æquitas ipſa expoſcit, ut res dividatur, nec totaliter alteri adjudicetur; non quidem æquali divi-

divisione, sed proportione servata juxtà probabilitatis excessum. Recolenda est insuper generalis Regula, quòd in dubiis favendum est reo; Quæ non ità intelligenda est, ut in Rei favorem absolutè promulgetur sententia; sed quòd hæc favorabilis ratio habeatur, dùm plenè contrà illum nõ constat. Ex hoc enim ipso, quòd Reus est, non Actor; dùm ex utraque parte rationes ponderant, in ejus favorem debet Judex aliqualiter inclinare.

39. Nota demùm, quòd in Criminalibus, præcipuè in causa sanguinis, exigere debet judex Sole ipso clariores probationes, aliàs pœna moderanda est, attentâ qualitate delicti, ac probationum pondere, semper enim Reo favendum est.

40. Addendum insuper est, ut Judex non procedat ex scientia, quam habet, ut privata Persona, sed secundùm id, quod sibi, aut publicæ Personæ, innotescit; per leges videlicet, contrà quas nullas admittere debet probationes, vel per instrumenta, testes, & alia legitima documenta: Poterit tamen privata scientiâ uti ad probationes inductas districtiùs discutiendas, quas nihilominùs, tenetur, sequi inferenda sententia, non privatam scientiam, ut S. Doct. docet 2. 2. *q.* 67. *art.* 2. Quarè idem S. Doct. præced. *q.* 64. *art.* 6. *ad tertium* fatetur:

41. *Quòd si Judex scit aliquem Innocentem, qui falsis Testibus convincitur, debet diligentiùs examinare Testes, ut inveniat occasionem liberandi innoxium, sicut Daniel fecit: Si autem hoc non potest, debet eum superiori relinquere judicandum. Si autem hoc non potest, non peccat, secundùm allegata, sententiam ferens*; Et idem dic de quocunque alio judicio, etiam in Civilibus. Debet enim quantùm legitimè potest, Innocentes ab injuria tueri.

42. Præ oculis deniqùe Judex habere debet, quod S. Ambros. admonet in Psal. 118. & Augúst. lib. *de vera Rel.* cap. 31. apud D. Thom. 2. 2. *quæst.* 67. *art.* 2. *Bonus Judex nihil ex arbitrio suo facit, sed secundùm leges, & jura pronunciat.*

Qua-

Quarè cavendum eſt ipſi, nè in pluribus iniquè arbitrium uſurpet. Ut enim docet S. Thom. *p. 2. q. 96. art. 1. ad tertium*. Solùm arbitrio Judicis cōmittuntur quædam ſingularia, quę non poſſunt lege comprehendi; in quibus tamē æquitate, ac recta ratione, non libito, arbitrari debet. Judex enim ponitur, ut, quod æquius eſt, determinet.

43. De Advocato certum eſt pariter, nullo modo poſſe ad patrocinandū aſſumere cauſam, quam certò ſcit injuſtam, ſolùmque frivolis, apparentibus, aut doloſis nixam fundamentis; nec etiam ad ipſius cauſæ prolongationem: facit enim injuriam parti, ac tenetur ad reſtitutionem, & recompenſationē omnium damnorum indè ſecutorum. Sola difficultas eſt: An poſſit, cauſam patrocinari, dùm pars, quam tuendam aſſumit, minori fundamento, ac ratione fulcitur, quàm adverſa.

44. Et in hoc diſtinguendum puto. Si enim Advocato clarè pateat ex una parte major probabilitas notabilis, non poterit, juſtè contrariam patrocinandam aſſumere; quòd ſi fecerit, ad omnia damna tenebitur. Patet hoc, nam ex hoc ipſo videt injuſtitiā cauſæ, petitque, quod jure petere, non poteſt, ac per conſequens injuriam facit parti contrariæ; immo, & parti, quam tuetur, illam expenſis gravando, vel abſque ſpe, vel, ſi cùm aliqua ſpe, injuſtæ tamen acquiſitionis. Idque ex dictis ſatis, ſuperque conſtat. Nec enim poteſt Judex, pro iſtà parte juſtè ſententiam ferre, ſi debitæ rationes exponantur, ac per conſequens, nec pars juſtè petere.

45. Si autem non ità clarè appareat major probabilitas partis adverſæ, habeatque ſpem, ut per ſtudium, & meritorum cauſæ diſcuſſionē poſſint ex parte quam tuetur, probabiliora, vel ſaltèm æquè probabilia fundamenta apparere; poterit, omninò licitè, ac juſtè cauſam patrocinari: ad hoc enim Tribunalia, & judicia inſtituta ſunt; ut obſcura, per cauſarum diſcuſſionem liquidentur, &

Ve-

Veritas clarè pateat.

46. Verum tamen est, quòd, si inter actionem de majori probabilitate partis adversæ certioretur moraliter, desistere debebit; ac monere partem, ut spontè cedat actis, nec ulteriùs litē prosequatur; Jam enim ampliùs dubium formale non remanet; sed certitudo moralis ex altera parte. Ità ex D. Thom. 2. 2 q. 71. *artic.* 3. *ad secundum*.

47. Nec aliquid obstat, quòd communiter Advocati petere soleant plura, quæ justè prætendere non possunt: Id enim, ex quò jam consuetudo invaluit: permittitur quidē per modum exaggerationis, ut scilicet Judex ad justa concedenda moveatur; & hoc animo, & intentione possunt excedentia peti. Cæterum, si petantur ex animo, ut ad concedendum Judex inducatur, pænitùs injusta esset petitio. Unico verbo. Non potest Advocatus, justè petere, ac patrocinari, nisi, quod Judex potest, justè parti adjudicare; aliàs cooperaretur manifestè injustitiæ, & ad restitutionem teneretur, ut docet S. Th. 2. 2. *q.* 71. *art.* 3. *in Corpore*.

48. Nota insuper ex eodem S. Doct. *ibidem ad tertium*, quòd sicut *Militi, vel Duci exercitus licet, in bello justo, ex insidiis agere ea, quæ facere debet, prudenter occultando, non autem falsitatem fraudulenter faciendo, quia etiam hosti fidem servare oportet; Sicut Tullius dicit in pri. de Off.* Ità *& Advocato defendenti causam justam licet, prudenter occultare ea, quibus impediri posset processus ejus, non autem licet ei, aliqua falsitate uti*. Quod certè notandum, ut abstineant à fraudibus, mendaciis, falsisque juramentis in Judiciis.

49. Demùm ex eodem S. Doct. 2. 2. *q.* 71. *art.* 1. *& quarto*; Quòd licet Advocatus possit, justam sui patrocinii mercedem exposcere, id tamen moderatè, considerata conditione Personarum, negotiorum, laboris, & consuetudine Patriæ. Non enim semper tenetur ex necessitate, omnium pauperum causas patrocinandas suscipere gratis,

tis, alioquin oporteret, eum omnia alia negotia prætermittere, & solis causis pauperum juvandis intendere. Tunc ergò solùm ex præcepto tenetur, cùm non apparet in promptu, quomodò possit aliter pauperi subveniri. Cæterum, subdit optimè S. Doct. *Si per improbitatem aliquid immoderatè extorqueant, peccant contrà Justitiam*; Undè August. dicit ad Maced. *quòd ab his extorta per immoderatam improbitatem repeti solent; data per tolerabilem consuetudinem non solent*.

50. De Medico aliquid obiter suprà dictum est capit. 7. §. 3. num. 63. Pauca hic breviter, ac summatim diluenda sunt. Et primò supponendum, si Medicus non ex charitate, & gratis, infirmum suscipiat curandum, sed cùm debita mercede; nedùm ex charitate, sed ex justitia teneri ad congruam diligentiam adhibendam pro salute Infirmi; ità ut, si ex ejus incuria damnum aliquod sequatur, præter peccatum, ad restitutionem sit adstrictus. Ad hoc enim stipendio conducitur, sicut Advocatus ad patrocinium causæ. Hoc supposito.

51. Si dubium sit de medicamento, an possit esse noxium Infirmo, non potest, relicto tutiori, adhibere cùm periculo vitæ, vel salutis infirmi; etiam si gratis curam ejus agat; etsi aliquod infirmo, vel hæredibus damnum indè sequatur ad restitutionem tenebitur, quia ex hoc ipso, non solùm contrà charitatem, sed contrà justitiam agit, gravemque infert injuriam. Ità Jo. à S. Thom. loco suprà citato cùm aliis apud ipsum. Undè tenetur Medicus, in dubiis aliorum quoque Peritorum consilia quærere, ubi proprium non sufficit studium. Immo etiam alio deficiente remedio, adhibere dubium non licet, de quo scilicet prudenter dubitatur, quòd nocere possit potiùs quàm juvare; non enim licet, vitam, vel salutem proximi periculo exponere, sed magis in tali casu totum ipsi naturæ dimittendum est.

52. Excipitur, & benè contrà Montesinū casus, in

quo jam infirmi desperata esset salus, nec aliud certiùs adesset remediũ; tunc enim remedium dubium nõ esset propriè in damnum, sed potiùs in utilitatem infirmi; quia dari posset casus, quòd illi prodesset; ac ex alia parte spes nulla salutis esset moraliter, ac humano modo. Ad summum enim, vel dolorem augere, vel mortẽ aliquantò accelerare posset remedium illud, & hoc non per se, sed per accidens; per se namque daretur cùm spe salutis, quamvis dubia, quæ in casu debet sufficere, cùm certior haberi non possit. Puto nihilominùs, quòd tunc Medicus monere deberet infirmum, ac hæredes præcipuè si remedium valdè posset augere dolorem, vel notabilis esset dispendii.

53. Ut enim cùm pluribus docet Layman lib. 3. tract. 3. p. 3. cap. 1. quibus addi potest Soto de Just. lib. 5. *q. 1. art. 6. ad primum*, non tenemur, ad vitam conservandam, extraordinarias, pretiosissimas, vel nimis difficiles adhibere medicinas; Multò ergò minùs tenemur, uti quandò dubium est, quòd possint potiùs obesse. Undè Medicus, injuriam, potest inferre, & infirmo, & hæredibus absque illorum consensu hujusmodi adhibendo remedia.

54. Si verò certum sit, remedium nocere nõ posse, at solùm dubium, an possit juvare, tunc præcipuè ad illud experiendum pro publica utilitate, adhibere liceret; salva tamen Infirmi, vel hæredum indemnitate, puta expensis, aut quid tale nisi parvitas materiæ pro nihilo meritò habenda esset, maximè cùm ordine ad cõmune bonum, cavendum idcircò ab hujusmodi experimentis cùm pauperibus, qui proprio labore necessarium victum comparare debent: his namque sola infirmitatis prolongatio, in maximum cedere solet, damnum. Quarè consulerem, hujusmodi experimenta nõ sumenda, nisi ex consensu ipsius infirmi, & aliorum, qui damnificari possunt. Ac potissimum sumi poterunt circà infirmos publici Xenodochii, qui cùm ex communibus curentur bo-

nis, gravari censendi non sunt; si ad ipsum commune bonũ per aliquos dies absq; alio periculo, vel damno prolongetur infirmitas.

55. Alia est difficultas. An Medicus aliquod sciens singulare pharmacum, vel remedium, teneatur ad cõmune bonum alios docere? S. Doct. quodlibeto 12. *art.* 21. docet, quòd, si talis alteri communicaret secretũ sub juramento nõ communicandi, hic malè faceret, jurando; & simpliciter loquendo, non teneretur, servare juramentum; quia *juramentum contrà omne id, quod est de genere bonorum, est illicitum, & non servandum; tamen in casu servare tenetur; puta si ille, vel alius sufficiens Medicus præsens esset, & paratus esset, curare, & uti illo experimento in salutem corporalem aliorum.* Ex quibus, ni fallor, deduci potest, quòd tenere quidem apud se, potest Medicus secretum suum, nè illius communicatione lucri detrimentum patiatur, modò tamen sit paratus, illud quotiescunque occurrerit, adhibere; vel etiam alteri committere, dùm ipse, curare, non potest; Sic enim proximorum saluti satis cõsultum videtur, nec tenetur ipse, proprio juri, ac licitæ utilitati cedere.

56. Nihilominùs, puto, quòd teneretur, efficere, & curare, nè simul cùm ipso remedium interiret, vel alteri scilicet communicando, vel scriptis relinquendo; Et hoc quidem ex charitate non solùm, sed ex legali justitia, quà bono communi cooperari, tenemur, dùm commodè possumus: Sicut enim ex S. Doct. dùm iste, vel alius, curare potest; qui juravit, secretum non communicare, servare, debet juramentum. Ità dùm ipse curare potest, non tenetur, alteri communicare; quia per hoc neque charitas, neque commune bonum lęditur in necessariis. Cæterum sicut omni alio deficiente, juramentum non communicandi non teneret: Ità per oppositũ videtur, quòd contrà Proximi charitatem, & commune bonum ageret si, deficiente ipso, remedium valdè utile, sineret, interire.

57. Me-

57. Meminerit deniquè Medicus obligationis curādi gratis pauperes, quandò ipsis aliter ſubveniri, non poteſt; & admonendi infirmos de Sacramentali Confeſſione juxtà Bullam B. Pii V.

Sequitur Summarium.
De Miniſtro Sacramentorum.

58. *Nullatenus licet in Sacramentorum adminiſtratione præſcriptum ab Eccleſia modum prætertire.*

59. *Non eſſe illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de Valore Sacramenti, relicta tutiori, damnatur ab Innoc. XI.*

60. *Si tantùm ſit ſpeculativa probabilitas, neque probabiliſſimā ſequi licet; niſi ſecundùm Eccleſiæ conſuetudines, & leges.*

61. *Licet benè, ſequi probabiliorem probabilitate practica, quamvis fortè ſit minùs tuta.*

62. *Ubi moralis eſt certitudo de valore Sacramenti, non debet ſub conditione adminiſtrari.*

63. *Licitè, etiam extrà caſum neceſſitatis, quis adminiſtrat Sacramentum, ſi probabilior ſententia ſit, illum habere miniſtrandi authoritatem.*

64. *Confeſſarius, etiam ex commiſſione, injuſtè negaret abſolutionem abſque legitimâ causâ.*

65. *Dùm pœnitens bona fide propriam opinionem probabiliorem putat, Confeſſarius tenetur, etiam contrà ſuam propriam illum abſolvere; Secùs autem, ſi in bona fide non eſſet.*

66. *Tenetur Confeſſarius, de verè probabiliori ſententia inſtruere pœnitentem; ſi profutura ſperetur inſtructio, aliàs non debet; ſi pœnitens bona fide propriā ſequitur opinionem.*

67. *Non tenetur, quandò prudenter judicat, pœnitentem doctum aliàs benè omnia diſcuſſiſſe.*

68. *Neque tenetur, ſi pœnitens etiam indoctus bona fide probabiliorem putat opinionem; nec facilè ſperatur, quòd conſiliis acquieſcet.*

69. *Item, ſi pœnitens in errore ſit invincibili; Secùs vincibili.*

70. *Debet Confessarius, vel Doctor, veritatem aperire consulenti de verè dubio.*

71. *Etiam absque spe moneri debet, si ex monitione communis boni damnum posset vitari.*

72. *Graves Doctores in prædictis contraria senserunt, quia procedebant in sententia, quòd liceat, sequi opinionem minùs probabilem.*

58. RESTANT aliqua specialiter de Sacerdotibus, præcipuè quòad Sacramentorũ administrationem. Et in primis; cùm jam in Ecclesia approbata sit consuetudo, & lex, certò, ac determinato modo Sacramenta omnia administrandi, ut satis constat ex Missalis, ac Ritualis rubricis; nullatenùs licet, aliter administrare; & quidem non solùm circa essentialia, sed etiam reliqua ad decentiam apposita, præscriptum omittere modum, vel mutare, culpa non caret; gravi certè, si sit in materia gravi, & notabili, gravissima verò circa essentialia.

59. Undè meritò à Santissimo D. N. Innoc. XI. die 2. Martii 1679. damnata fuit sequens propositio. *Non est illicitum, in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de Valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, vel periculum gravis damni incurrendi &c.* Hoc autem ideò, quia Sacramentorum Sanctitas ex natura sua exigit, ut persanctè administrentur; Ac per consequens cùm omni meliori modo, ac reverentia.

60. Ex hujus tamen propositionis damnatione oritur dubium. An ità in Sacramentis administrandis tutiorem semper sequi, teneamur sententiam, ut nec probabiliorem quidem sequi, licitum sit? Pro quo videndum est; An sententiæ probabilitas tantùm sit speculativa, hoc est præcisè de re, Sacramento, ejusque valore secundùm se, & pręscindendo ab usu; vel sit probabilitas practica ipsum usum respiciens; puta, quòd liceat, sic, vel sic administrare.

Si tantùm sit speculativa probabilitas, nedùm probabiliorem, sed nec probabilis-

bilissimam, immo certam, sequi, licet, nisi ea sit secundùm Ecclesiæ consuetudinem, ac leges; quas utique in materia tàm gravi, quàm est concernens Sacramenti essentiam, & valorem; absque mortali culpa transgredi posse, nescio, quis asserat. Undè quamvis probabilissima, & certa sententia sit: Panem v. gr. ex Siligine sufficientem esse materiam Sacramenti Eucharistiæ, ipso tamen uti, non licet, in consecratione; Nisi fortè in aliquo casu necessitatis, ut notat Jo. à S. Thom. loco sæpè citato, & novissimè Thyrsus diss. 10. cap. 1. §. 1. n. 19.

61. Si verò probabilitas, nedùm speculativa sit, ac præcisè de Sacramenti valore, sed practica de licita ejus administratione; tunc licitè omninò probabiliorē sequi possumus, quamvis fortè tutior non sit. Hæc enim probabilior esse non potest, immo nec probabilis, nisi juxtà Ecclesiæ consuetudinem, & statuta, vel ad minimùm permissionē; Quarè probabilior sententia non solùm tuta censenda est, sed contraria neque tutior unquam propriè dicenda est formaliter, sed scrupulosa magis, & laqueos parans timoratis conscientiis; ac proindè cavendum omninò, nè juxtà illam cōscientia formetur, ut in superioribus generaliter dictū est. V. G. Tutius est ad Pœnitentiæ Sacramentum accedere cùm contritione, quàm attritione, pro tali cognita. Quis autem dicet, peccare Sacerdotem, absolvendo pœnitentem cùm tali attritione confessum? Itē tutius est omninò, actualem intentionem habere in Sacramentorum confectione, illamque, ut possumus curare, debemus; Quis autem damnabit Sacerdotem, si cùm sola virtuali conficiat, nisi propria culpa, & negligentia fuerit ad alia distractus? Denique tutius est, & sanum consilium, circunstantias etiam notabiliter non aggravantes explicare in Sacramentali Confessione: at quis mè damnabit, si pœnitentem absolvam hujusmodi circunstantias omittentem; Dùm certus sum moraliter, ad illas de-

declarandas non teneri ?

62. Ex quibus collige in primis: Quòd, quandò est moralis certitudo de valore Sacramenti, neque debet, sub conditione administrari, sed absolutè; Puta, si certus est moraliter Confessarius de contritione, vel sufficienti attritione pœnitentis, in quò Ecclesia ipsi credit, ut ait Cajet. V. Absolutio: Nisi fortè alicui fides præstanda non esset ex prudenti conjectura; quòd non sincero animo ad Sacramẽtum accederet, quod tamen cùm grano salis pensandum est: Debet, inquam, Confessarius, absolutè impendere absolutionem, & non sub conditione: V. G. Si es contritus, vel capax, ego absolvo te. Hujusmodi enim conditionibus, tantùm in rationabili, ac prudenti dubio utendum est; aliàs magis, quàm cautelæ, superstitiones sunt, ut ibi ait Cajet. Et tamen absque dubio tutius esset, conditionem apponere; tunc enim certũ esset omninò, quòd Sacramentum non frustraretur; Cùm non verificata conditione, illud conficere, non intenderet; Et ex alia parte contingere possit, frustraneam fore absolutionẽ absque conditione prolatam; quod utinam, sæpè non accideret. Ratio autem est; quia hujusmodi conditionibus fit potiùs injuria Sacramento, quod sub certa, & non dubia forma, Christus, ministrari, mandavit; Cùm aliàs indemnitati ejus morali certitudine satis provisum sit. Non enim exigit à nobis Deus plùs quàm humana conditio patiatur.

63. Collige secundò. Quòd, si de valore Sacramenti dubitetur, non ratione congruæ materiæ, vel formæ, sed ratione jurisdictionis Ministri, puta, an talis Sacerdos authoritatem habeat super hunc, vel illum casum; Et probabilior sit sententia, illum authoritatẽ habere; tunc licitè, etiam extrà casum necessitatis absolvere potest, quia tunc præsupponitur, illi Ecclesiam tribuere jurisdictionẽ, ut communiter docent DD. ex leg. Barbarus ff. de Officio Prætoris; Quia nempè tenent facta per Judicem, etiam non legitimum, ubi

hæc

hæc duo ſimul concurrunt, ſcilicet communis error facti, & titulus.

64. Alia eſt gravis difficultas; An teneatur Confeſſarius, conformare ſe, ac ſtare probabili opinioni pœnitentis contrà ſuam probabiliorem? A quà tamen breviter nos expediemus, relinquendo plura, quæ circa hoc dicunt Authores. Sivè ergò Confeſſarius proprius ſit Parochus, qui tenetur, confeſſionem audire; ſivè ſolùm audiat ex commiſſione: licèt enim, audire, non teneatur, ſuppoſitò, quòd audierit, injuſtè abſolutionem denegaret abſque legitima cauſa.

65. Dico, quòd reſolutio difficultatis tota pendet ex hoc: An pœnitens licitè talem ſuam opinionem ſequatur? Si non licitè, certum eſt, quòd incapax eſt abſolutionis, niſi opinionẽ deponat: ſi verò licitè, certum pariter eſſe debet, quòd tenetur, juxtà illam; confeſſarius, abſolvere. Non enim poteſt, ab illo exigere id, ad quod non tenetur: nõ tenetur autem pœnitens deponere ſententiam, quàm ſequi licitè, poteſt. Quandò autem licitè opinionem ſequi poſſit, ex dictis conſtat: quandò ſcilicet illam bona fide probabiliorem judicat, & in ſe verè probabilis eſt, licèt minùs. Ex quo patet, quòd tunc non ageret Confeſſarius contrà propriam opinionem, & multò minùs contrà conſcientiam. Hæc enim, ſi recta ſit, dictat, poſſe quemlibet ſequi licitè opinionẽ, quam probabiliorem judicat. Debet igitur Confeſſarius, inquirere; An verè pœnitens, facta ſufficienti diligentia, ſecundùm qualitatem, & conditionem Perſonæ, illam ſententiam bona fide probabiliorem putet.

66. Sed hic alia inſurgit difficultas; An teneatur Confeſſarius, illum de probabiliori ſententia inſtruere, & ad illam trahere? Ad quam videtur dicendum, quòd ſic, cùm aliquibus tamen limitationibus. Confeſſarius namque ſpiritualis Medicus eſt, ac proindè tenetur, omni meliori modo, quo poteſt, Animarum ſaluti conſulere. Si ergò ex inſtructione iſtà fructus aliquis

quis non speraretur; tunc non deberet, & multò minùs, dùm potiùs pœnitens rueret in pejora; sed relinquendus esset in sua bona fide.

67. Itaque non tenetur in primis, quandò pœnitens est Vir doctus, & in moralibus satis instructus, ità ut prudenter judicare posset, illum optimè discussisse utriusque partis rationes, & Confessario constat, quòd ipsi pœnitenti probabilior apparet sententia, quã sequitur; aliàs enim de hoc saltèm interrogare debet, quia non esset aliter in bona fide, juxtà dicta.

68. Secundò non tenetur, nec debet, quandò pœnitens, licèt indoctus, verè bona fide probabiliorem putat opinionem, quam sequitur, vel dicamus, veriorem, seù absolutè veram, quia scilicet, vel rationis, vel gravis Doctoris authoritate ad taliter judicandũ inducitur; prudenterque judicat Confessarius, quòd non de facili suis acquiescet consiliis. Id enim esset, illum in dubietatem, & peccandi periculum inducere, cùm anteà bona fide securus incederet. Quarè hac in re cauti nimis debent esse Confessarii, nè potiùs illaqueare, quàm solvere, contingat, pœnitentes. Poterit nihilominùs, probabiliorem sententiam proponere, sed protestando, seipsum ad opinionem sequendam non adstringere, at solùm, tanquam tutiorem, consulere; cùm omni tamen benignitate, & cautela, consideratis circunstantiis negotii, temporis, ac Personæ, aliisque occurrentibus. Quam regulam omninò, puto, sequendam etiam in consiliis extrà Sacramentum.

69. Idem prorsus dicendum est, quandò pœnitens est in errore invincibili, nec spes adest, ut per admonitionem, ac doctrinam fructus aliquis habeatur; Secùs autem si error vincibilis esset, nam tunc admonere teneretur Confessarius, quãvis profutura non speraretur monitio: posset enim forte, aliquandò resipiscere. Sed nota duo.

70. Primùm. Quòd, si pœnitens dubius de re Confessa-

fessarium, vel Doctorem consuleret, deberet uterque veritatem aperire; quamvis id profuturum non credatur; Quia jam tunc poenitentis conscientia læsa est tali dubio; ac per cōsequens non bona fide incederet, nec error invincibilis redderetur. Quod intelligendum est de vero dubio, licèt enim aliquam haberet levem dubietatem, vel formidinem, re tamen in bona esset fide, monendus non esset absque spe; Ut enim ex dictis constat, levis trepidatio, formido, vel scrupulus bonam fidem non aufert, nec ignorantiam vincibilem reddit, cùm sit compatibilis cùm certa conscientia.

71. Secundū. Quòd, licèt non speretur fructus poenitentis ex admonitione, si tamen aliquod notabile damnum communis boni timeretur; quod per monitionem vitari posset, fieri omninò deberet; præferendum est namque commune bonum bono privato, præsertim quandò malum privatum ex ipsius propria malitia eveniret. De quibus optimè discurrit Sanchez lib. 2. *de Matrim.* disput. 38. apud quem cætera fusiùs videnda relinquimus.

72. Advertite solùm, quòd licèt passim apud ipsum Sanchez Sayrum, Jo. à S. Thom. aliosque graviores DD. circà prædicta contrariæ valdè reperiantur resolutiones, id est, quia ipsi in ea fuere sententia, quòd liceat, minùs probabilem sequi opinionem, relicta probabiliori, ac tutiori, quā stante, optimè discurrunt, sed ea corruente, omnia ruere, necesse est, quæ ipsi nitebantur.

CAPUT VIII.

De Legibus.

§. I. *Quid, & Quotuplex sit lex.*

SUMMARIUM.

1. *Differentia inter Jus, & legem.*
2. *Non est idem Lex, & Ars boni, & æqui.*
3. *Legis definitio, ac Etymologia.*
4. *Omnis lex ad commune Bonum ultimatè ordinatur.*
5. *Præceptum, non habet veram legis rationem in purâ vi præcepti.*
6. *Neque Sententia.*
7. *Neque Privilegium.*
8. *Lex debet esse à potestatem habente.*
9. *Hæc potestas per se primò est in Deo, deindè in quacunque Republica, & cui ab illa committitur.*
10. *In Christiana Republica Potestas immediatè à Christo collata est Roman. Pont. Conciliisque legitimè congregatis.*
11. *Lex humanorum actuum debet esse directiva.*
12. *Promulgatio, licèt non sit de essentiâ, necessaria est, ut lex in actu secundo obliget.*
13. *Legis Divinæ determinatus nō est modus promulgandæ.*
14. *Lex humana non promulgatur absque solemnitate aliquâ.*
15. *Congruum est, licèt non necessarium, quòd leges scribantur.*
16. *Legis officium, effectus, & Actus.*
17. *Lex generaliter dividitur in Divinam, & Humanam.*
18. *Divina in Æternam, Naturalem, & Positivā. Æterna quid sit?*
19. *Naturalis propriè in rationalibus tantùm est.*
20. *Legis naturalis definitio.*
21. *Lex Divina Positiva dividitur in Veterem, & Novam.*
22. *Lex Divina, & Humana contrariari non possunt naturali.*

23. Lex vetus, bona, sed imperfecta fuit comparativè ad novam.
24. Triplicis generis Vetus lex continebat præcepta.
25. Cæremonialia ita sunt abrogata, ut non liceat Christianis eorum usus.
26. Moralia sunt in suo robore, non tamen, quia Veteri lege præcepta.
27. Judicialia nullam habent vim in Ecclesia; observanda tamen, si legitimè præcipiantur à Superiore.
28. Lex nova continet præcepta moralia, Fidei, & Sacramentorum.
29. Lex humana dividitur in jus scriptum, & solo usu firmatum, hocque in Jus Gentium, & Consuetudinem.
30. Jus Gentium explicatur.
31. Consuetudo propriè dicta explicatur.
32. Lex humana scripta dividitur in Ecclesiasticam, & Civilem: Quid Ecclesiastica contineat?
33. Declarationes Eminentissimorum Card. Sac. Cong. An vim legis obtineant cũ quibusdam conditionibus?
34. Ordinaria facultate potiùs, quàm leges, legum sunt interpretationes; ex speciali tamen facultate veræ leges esse possunt.
35. Non licet, ab eis convincenter arguere in simili casu.
36. Plurimi omninò faciendæ sunt.
37. Aliqui asserunt, absolutè doctrinales esse, non decisivas.
38. Lex Civilis per Excellentiam Jus Romanũ, quid contineat?
39. In rigore tantùm in Dominio Imperatoris obligat; Quomodò ultrà extendatur?

1. QUamvis pro eodẽ communiter, ac permixtè sumantur lex, & jus: in re tamen aliqualiter differunt; Jus enim propriè dicitur Justum; Lex verò est ipsa regula dictans, quod justum est. Similiter Jus aliquando sumitur pro legitima facultate aliquid faciendi, acquirendi, utendi, & similium, secundùm quod Justitia dicitur Virtus unicuique tribuens Jus suum, quod pariter legi propriè non convenit, licèt hujus directiva sit. Item Jus ge-

neraliter ſumitur, lex verò ſtrictè pro Jure ſcripto.

2. Nota inſuper, non eſſe idem Legem, & Artem boni, & æqui; hoc enim eſt potiùs ſcientia ad inveſtigandum, quid æquum ſit, lege ſancire. Lex verò eſt ipſa Regula jam conſtituta dictans, quod æquum eſt; ut advertit Soto de Juſt. lib. 3. *q.* 1. *art.* 1. Quidquid autem ſit, hæc parùm conferunt ad noſtrum. Pro eodem communiter, ac indifferenter ſumamus Legem, & Jus.

3. Omiſſis autem reliquis definitionibus, vel deſcriptionibus. *Lex eſt quædam rationis ordinatio ad cõmune bonum ab eo, qui Communitatis curam habet, promulgata*. Cui definitioni, quæ eſt D.Thom. *p.*2.*q.*90. *art.* 4. addit Mag. Soto de Juſt. lib. 1.*q.*1. *art.*1. aliam particulam ſcilicet Præceptio; undè ait. *Lex nihil aliud eſt, quàm quædã rationis ordinatio, & præceptio in Commune bonum ab eo, qui curam Reip. gerit, promulgata*. Et hoc ideò, quia lex à legendò dicitur, ut ait Tullius p. de legibus, apud Soto ibi; Eſt enim eligendi regula: Vel etiam, ut cùm D. Th. communiter Theologi à ligando, habet enim vim obligandi; quarè lex non ſimpliciter ordinat, ſed ordinando præcipit.

4. Hic ſolùm notandum eſt, dictam definitionem communem eſſe omni legi, tàm humanæ, quàm Divinæ, ſivè naturali, ſivè poſitivæ, ut facilè conſtat. Etſi enim aliquæ videantur leges non reſpicere commune bonum, ſed particulare; puta lex naturalis de tuenda Vita, ultimatè nihilominùs ad commune bonum ordinantur, cùm quælibet pars ordinetur per ſe ad totum, tanquam imperfectũ ad perfectum. Undè ipſe naturæ Author, & Conſervator juſtè præcipit, ut quilibet propriam conſervet vitam, ut bonum totius naturæ ſervetur, quod, niſi in individuis, ſubſiſtere, non poteſt.

5. Hæc igitur eſt prima legis conditio, quòd ſit ad Commune bonum ordinata, illique utilis: Undè Iſid. 5. Etym. cap. 21. ait, quòd lex eſt, *nullo privato commodo*,

do, sed pro communi Civium utilitate conscripta. Ex quò infert Gonet: man. tract. *de legibus* cap. 1. §. 1. Præceptum, Sententiam, & Privilegium non habere veram rationem legis; Præceptum quidem, quia licèt imponi possit toti Communitati, non tamen id exigit præcisa natura præcepti; sed uni particulari Personæ potest imponi. Deindè quia Præceptum expirat de se per mortem, vel amotionem imponentis; at verò lex de se, ac ex natura sua perpetua est, ut notavit Abbas cap. Irrefragabili §. Cæterum de Offic. Jud. ord. Leges namque debent esse firmæ, ac stabiles; ut enim ait S. Doct. *p.* 2. *q.* 97. *art.* 2. *Habet ipsa legis mutatio, quãtùm in se est, detrimentum quoddam communis salutis; quia ad observantiam legum plurimùm valet cõsuetudo &c. Undè dicitur à Jurisperito, quòd in rebus novis cõstituendis evidens debet esse utilitas, ut rectè recedatur ab eo Jure, quod dici æquum visum est*. Ac demùm, quia præceptum imponi potest à quocũque Superiore, lex verò non, nisi ab eo, qui à Deo, vel Repub. potestatem habet legislativam.

6. Sententia item non est propriè lex, quæ ordinatio ipsa est Superioris, at verò sententia est potiùs applicatio, & executio ipsius legis, & ordinationis circa particularem Personam, vel Causam.

7. Privilegium deniquè potest respicere particularẽ Personam, ejusque privatũ bonum; Undè ab Isid. lib. 5. Etym. cap. 18. dicitur, quasi privata lex; seù lex privatorum; Lex autem semper Communitatem, & bonum commune respicit; ad quod nihilominùs ipsum quoquè Privilegium ultimatè ordinatur, quamvis proximè, & immediatè privatum respiciat bonum. Cedit enim in bonum commune, expeditque Reipub. quòd aliqui propter strenuè gesta Privilegiati sint, ut indè cæteri accendantur ad commune bonum promovendum.

8. Secunda conditio legis est; quòd à potestatem habente instituatur; Quæ quidem Potestas, ut S. Doctor ait. *p.* 2. *q.* 90. *art.* 3.

vel

vel pertinet ad totam multitudinem, vel ad Personam publicam, quæ totius multitudinis curam habet; quia in omnibus, ordinare in finem, est ejus, cujus est propriùs ille finis; bonum autem commune finis est totius multitudinis, vel ejus, qui totius multitudinis vices, & curam gerit.

9. Hinc est, quòd primò, & per se, leges condere, pertinet ad ipsum Deum Summum, & absolutum Universi Rectorem, & Conservatorem; deindè ad quãcunque Rempub. cujus est, proprio cõmuni bono providere, ex ipso naturæ Jure. Quia verò non ità commodè id præstari potest à multitudine, ab ipsa Communitate hoc jus in Regem, vel Principem Supremum, & morale Caput Reip. transferri solet.

10. Quod tamen fallit in Christiana Repub. Potestas namque condendi Canones, & Ecclesiasticas leges, non ab Ecclesia, sed ab ipso Capite Sũmo Christo Domino: Vicariis suis Rom. Pontif. Conciliisque legitimè congregatis collata est. Undè cap. Novit. de Judiciis, dicitur de Pontificia Potestate: *Cum non humanæ constitutioni, sed Divinæ potiùs innitamur, quia Potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo.*

11. Tertia conditio legis est, quòd humanorum actuum sit directiva; per hos enim rationales homines, quibus lex imponitur, ad commune bonum ordinantur, qui proprius finis est legis. Hæc tria sunt legis essentialia.

12. Cæterùm, ut lex in actu secundo obliget, suumque præstet effectum, dirigendi, necessaria omninò est ipsius promulgatio; nisi enim innotescat, illi conformari, non possunt homines. Non est tamen promulgatio de essentia, quia, ut ait D. Thom. *p.* 2. *q.* 90. *art.* 4. Promulgatio est quædam applicatio legis ad illos, qui per eam obligantur; Applicatio autem rei supponit ipsam jam in se constitutam.

13. Promulgatio autem ista; si sit legis Divinæ, determinatum non habet modum, sed fieri potest, quocunque ipsi beneplacito;

Cùm

Cùm enim sit supremus, ac omnibus modis omnium Dominus, potest eò, quò voluerit modô, suam intimare legem, & ad eam obligare; sivè per naturalem instinctum, vel rationis dictamen, sivè per Angelorum, vel hominum ministerium, sivè per internas revelationes, ut contigit multis Prophetis.

14. Lex verò humana exigit quandam solemnitatem; Cùm legislator duplicem gerat Personam, publicam scilicet, & Privatam, legemque non condat, nisi, ut Persona publica, necesse est, ut innotescat, legem ferre, ut publica Persona est; quòd certè non fit, nisi per aliquam solemnitatem.

15. An autem leges ex necessitate scriptis mandari debeant? Dicendum, id omninò congruum esse, cùm enim de natura sua firma, stabilis, & quodammodò perpetua lex debeat esse, cõnaturaliter modum petit, quo ejus perpetuitas, vel stabilitas conservetur, qui modus, ipsa scriptura est, ut patet: Undè S. Doct. loco supra citato ad tertium ait, *quòd Promulgatio præsens in futurum extenditur per firmitatem scripturæ*.

Non est autem de legis essentia; quòd scripta sit; quia ut ait Philos. 10. *Ethicor.* cap. ultimo, *scriptæ sint, an non scriptæ leges, interesse nihil videtur*. Gonet Clyp. de leg. disp. 4. art. 1. Etinst. de Jure naturali, Gentium, & civili §. sed, & quod Principi, sic dicitur. *Quodcunque Imperator per epistolam constituit, vel cognoscens decrevit, vel Edicto præcepit, legem esse, constat*; ubi dividitur Decretum à scriptura, & ex ipsa legis ratione satis patet.

16. Ex his colligitur in primis; quòd legis Officium est, dirigere homines, tanquam humanorum actuum mensuram, & regulam ostendens quid agere, quid omittere debeant; & insuper habet, obligare, cùm à superiore, & potestatem habente dimanet. Effectus ipsius præcipuus est, homines reddere bonos, vel simpliciter, ut facit lex Divina, præsertim Evangelica; vel saltèm secundùm quid. Lex enim

na-

naturalis ordinatur, ut homo fiat bonus per virtutes morales, quæ naturæ commensuratæ sunt. Lex Civilis, ut fiat bonus civis secundùm ea, quæ ad Reipub. pacem necessaria sunt. Et lex Ecclesiastica, ut fiat bonus Clericus juxtà munus suum. Deniquè actus legis quatuor sunt, Cùm enim actus humani, quorum est regula; quidam boni sint, quidã mali, quidã indifferẽtes. Primos, habet Lex, præcipere; secundos prohibere; Tertios permittere. Cùm autem efficaciter malos actus prohibere, non possit, nisi metu pœnarum coercendo, hinc quartum habet actum, scilicet Punire.

17. Variæ quoque hinc legis divisiones eruuntur. Generaliter siquidem Lex dividi potest in Divinam, & Humanam. Divina est, quę immediatè ab ipso Deo vim habet, licèt ejus promulgatio non immediatè à Deo fiat, sed Angeli, vel Hominis ministerio. Humana verò è contrà, quæ fertur immediatè authoritate humana, licèt hæc à Deo ipso accepta sit, ac derivata.

18. Lex Divina subdividitur in Æternam Naturalem, & Positivam. Lex æterna est ipsa *ratio Divinæ Sapientiæ, secundùm quod est directiva omnium actuum, & motionum*, ut docet S. Doct. *p.* 2. *q.* 93. *art.* 1. cum autem subdit Angel. *art.* 2. Nullus possit legem æternam cognoscere, secundùm quod in seipsa est; nisi solus Deus, & Beati, qui Deum per essentiam vident, sed omnis Creatura rationalis ipsam cognoscit, secundùm aliquam eius irradiationem, quæ quidem irradiatio primò effulget in ipsa lege naturali juxtà illud Psalm. 4. Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Quasi lumen rationis naturalis, quo discernimus, quid sit bonum, & quid malum, ut notat idem Angel. *q.* 91. *art.* 2. Quod lumen item ex lege naturali ad legem diffunditur humanam; & perfectiori modo in legem Divinam positivam ab ipso Deo. Hinc est, quòd de ipsa æterna lege aliud notandum nõ occurrit. Hoc unum breviter advertamus, quòd

quòd cùm omnes cæteræ leges ab Æterna deriventur, illiusque dimanationes quædam sint, ex hoc ipso, quòd quamlibet particularem legem transgrediamur, contrà ipsam æternam legem, operamur. Est enim ipsa generalis quædam regula, & mensura, omnes eminentiori modo comprehendens. Undè optimè August. Peccatum universaliter definivit per oppositionem ad legem æternam.

19. Lex Naturalis, inquit S.Doct.citata quæst.91. art. 2. *Nihil aliud est, quàm participatio legis æternæ in rationali Creatura.* Nam licèt omnia creata legem æternam aliqualiter participent,quatenus ex ejus impressione habent inclinationes in proprios actus, & fines. Rationalis tamen creatura specialiter, & magis propriè dicitur ipsam participare; quia particeps est Divinæ rationis, quà dirigimur propriè, & in finem ordinamur activè. Undè benè ait Gonet loco suprà citato, cap. 3. §. 1. In irrationabilibus, non propriè lex, sed naturalis instinctus, appellari debet hujusmodi participatio; quia solùm per modum cujusdam impressionis est in illis, & non per modum directionis, & præcepti, quod est de ratione legis; Sicut est in rationabilibus; Undè in ipsis propriè dicitur lex naturalis.

20. Quam consequenter ad dicta, & S. Thomæ doctrinam ipse Gonet: sic definit cap. 3. §. 1. Lex naturalis est dictamen quoddam rationis naturalis, à natura, vel ab Authore naturæ nobis inditum, non solùm ostensivum boni, & mali, sed etiam præceptivum. Vel breviùs, & fortè formaliùs conformiter ad allatam definitionem legis in communi,definiri potest, quòd sit naturalis rationis ordinatio, & præceptio in commune bonum ab ipso Authore naturæ impressa rationali Creaturæ.

21. Positiva denique lex, ità dicta, quasi in tempore posita, non innata;est, quæ publicâ promulgatione manifestata est. Eaque in legem Veterem, & Novam subdividitur. Vetus

est, quam Deus Moysi dedit in Monte Sinai per Angelorũ ministerium, & per Moysen Israëlitico Populo. Nova verò, quam tulit Christus novi Testamenti Author, & partim per seipsum, partim per Apostolos promulgavit.

22. Ubi advertite, quòd nihil prohibet, aliquid lege positiva, ne dùm Divinâ, sed etiam Humanâ, præcipi, vel prohiberi, quod jam sit lege ipsa naturali præceptum, vel prohibitum; tunc enim ex utroque Jure vim habebit. Licèt enim positiva lex contraria esse non possit naturali, benè tamen etiam ipsa præcipere, vel prohibere potest, quæ naturali præcepta, vel prohibita sunt. Neque id frustrà, sed ad majorem explicationem, vel excitationem populi ad observantiam, aut quid tale.

23. Quamvis autem lex Vetus in se bona fuerit, utpotè à Deo Summo bonorum omnium largitore; imperfecta nihilominùs fuit comparativè ad Novam, & Evangelicam, cujus extitit Umbra, & figura; Sic optimè disponente suprema Providentiâ, quæ attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. Undè per novæ promulgationem abrogata fuit: *Quia veritate apparente, figura pertransiit*, inquit Bernard. hom. 1. super missus est; & Hieronym. in 4. ad Galat. *Postquam majus Evangelicæ Gratiæ lumen effulsit, & sol Justitiæ toti Mundo se prodidit, Stellarum lumen absconditum est, & earum radii caligaverunt*.

24. Ubi tamen advertendum, quòd, cùm triplicis generis præcepta lex Vetus contineret; Moralia scilicet, quæ ad ordinandum Populum secundùm naturalem rectitudinem statuta erant; Cæremonialia circa Divinum Cultum, & Judicialia pro justæ Politicæ gubernatione.

25. Cæremonialia ità quidem abrogata sunt, ut nullatenùs eorũ usus Christianis liceat; fuerunt enim instituta ad ipsum Christum, & Christianæ Religionis mysteria figuranda; Undè gravis esset error in Divino Cultu, & fide, hujusmodi cæremonias exercere,

cere, Christum enim futurum præsignabant, quem jam Redemptorem adoramus in Cœlis.

26. Moralia verò in suo robore permanent, quia, ut discurrit S. D. *quæst.* 100. *art.* 11. naturalia præcepta sunt, licèt quædam non omnibus adeò manifesta, sed solùm sapientibus. Non tamen, ideò servanda sunt, quia per veterem legem tradita; ut sic enim perniciosa esset illorũ observantia; totus enim status Judaici Populi figuralis erat: secundùm illud 1.Corint. 10.*Omnia in figura contingebant illis* ait S. Thom. *q.* 104. *art.* 2. Sed quia sunt rectæ rationi conformia.

27. Ità pariter Judicialia,quamvis nullã ampliùs habeant vim obligatoriam, cùm lex præcipiens cessaverit, ac mortua sit. Adhuc tamen, quia non sunt primò, & per se figuralia, instituta scilicet ad Christi mysteria, ut futura, præfiguranda, sed tantùm ex cõsequenti, ratione status illius Populi; ideò, si Princeps ista præciperet, secundùm æquitatem, observanda essent; modò tamen eorum observantia, non præciperetur, quasi ab ipsa veteri lege vim haberent; id enim veritati fidei præjudicaret, quia per hoc haberetur, quòd status prioris Populi,adhuc duraret,& quòd Christus nondum venisset; inquit S. D. *art.* 3. *ejusdem q.* 104.

28. Triplicis generis lex nova pariter continet præcepta, Moralia, quæ potiùs, quam instituta, explicata fuerunt à Christo Domino, & ab erroribus vindicata, quibus ex hominum malitia fuerant involuta. Fidei verò præcepta in lucẽ edita, cùm priùs in Veteri lege obscurè, figuraliter, & implicitè solùm continerentur, præcipuè quæ Trinitatis, Nativitatis, Passionis, Mortis, & Resurrectionis Christi Domini continent mysteria. Sacramentalia demũ, quæ verè; & simpliciter ab ipso Christo instituta sunt; De quibus, Deo dante,post excursum Decalogum in tractatu de Sacramentis fusiùs agere, in votis est.

29. Lex humana est rationis ordinatio,& præscrip-

tio in commune bonum immediatè humanâ authoritate lata, quamvis à Deo accepta, & derivata. Dividitur autẽ primò in Jus scriptum, & solo usu, vel consuetudine firmatum: Hæcque subdividitur in Jus Gẽtium, & consuetudinem propriè dictam.

30. Jus Gentium est, quòd communi consensu omnium Gentium receptũ est absque legis determinatione. Est autem ferè quid medium inter legem naturalem, & propriè humanã. Ea enim sunt de Jure Gentium, quæ ratio naturalis omnes Gentes docet, & ut ait S. D. *p. 2. q. 95. art. 4. ad primũ. Jus Gentium est quidẽ aliquo modo naturale homini, secundùm quod est rationalis, in quantùm derivatur à lege naturali per modum Conclusionis, quæ non est multùm remota à principiis, undè defacili in hujusmodi homines cõsenserunt. Distinguitur tamen à lege naturali, maximè ab eo, quod est omnibus Animalibus commune*. Quarè Azor. p. 1. lib. 5. cap. 1. benè ait, quòd lex naturalis est id, quod ratio hominis naturaliter præscribit, cujus tamen, quasi vestigium, est etiam in cæteris Animalibus, ut seipsum tueri, vim vi repellere, prolem generare, educere &c. Jus autem Gentium, quod ratio omnes Gentes docet, cujus tamen in Brutis nullum est vestigium, ut Dei cultus, leges depositi, fidelitatis, & hujusmodi.

31. Consuetudo propriè dicta est Jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex, quam definitionẽ tradit Gonet man. tract. *de legibus* cap. 5. §. 2. & infrà nos explicabimus. Pro nunc advertere sufficiat, quòd consuetudo à Jure Gentium differt per hoc, quòd Jus Gentium, ut diximus, est de naturali lumine notis, adminùs per modum Conclusionis evidenter ex principiis naturalibus deductæ; Undè, & apud omnes Gentes idem est. Consuetudo verò propriè dicta, ut in plurimùm, non est eadem apud omnes, nec de per se notis, at de his, quæ alias determinatione legis egerent, cujus vices consuetudo supplet. Quæ pe-

perindè à lege non solùm differt, quia lex plerumque in scripto consistit, & consuetudo per se non est Jus scriptum, ut notat Azor. Verùm, & essentialiter, meo videri, quia consuetudo solo usu firmatur factisque promulgatur: Lex verò cōsilio, ac decreto statuitur, promulgaturque scripto, vel saltèm Verbo; Quidquid sit an de substantia legis sit, quòd scripto mandetur; licèt non de Essentia, ut suprà diximus, de quo vide, si vis, Azor. loco citato, & alibi; Cæterùm scripta dicitur ad minùs, quòd ut plurimùm scribi soleat.

32. Lex ergò humana scripta, subdividitur in Ecclesiasticam, seù Canonicam, & Civilem. Canonicæ legis, & Juris corpus continet decretum à Gratiano Monacho ex Sum. Pont. decretis, Conciliorum Canonibus, dictisque, ac sententiis SS. PP. collectum, & Gregor. XIII. authoritate correctum, & editum. Item decretales Greg. IX. authoritate, à S.Raymundo Præd. Ord. in quinque libris ordinatæ, quibus à Bonif. VIII. additus est sextus in quinque pariter libros partitus, quem item sextum nuncupari voluit. Adduntur prætereà Clementinæ constitutiones à Clem. V. in [illegible] XXII. publicatæ, quæ pariter in quinque libros divisæ sunt; Ipsis etiam subnectuntur viginti constitutiones ejusdem Joan. quæ Extravagantes appellantur. Ac demùm aliæ diversorū Pontif. constitutiones in quinque libros digestæ, quę Extravagantes communiter appellantur. Sunt adhuc præter ista, multa quoque Sum. Pont. decreta, & constitutiones, sivè pro tota Ecclesia, sivè pro aliqua speciali Communitate edita; quæ Magno Bullario potissimùm comprehenduntur. Sunt, & particularia statuta Ecclesiarum in Provincialibus, vel Diœcesanis Conciliis, & Synodis edita: sunt, & proprię cujusq; Religionis constitutiones, & Regulæ. Quæ omnia vim legis obtinere, nemini dubium sit.

33. Dubitari solet. An declarationes, & Decreta Sac. Congr. Eminentissimorum Card. vim legis obtineant

neant? Quà in re, cæteris omiſſis, placet ſatis reſolutio Cabrini p. p. Eluc. Caſuum Reſerv. Reſol. 113. Illas videlicet vim legis obtinere, [illegible] quatuor habeant conditiones, quarum prima eſt, ut certum, & indubitatum ſit, eſſe verè Eminentiſſimorum Declarationes, quod conſtabit, ſi in authentica ſint forma, ſolito ſigillo, & ſubſcriptione Eminentiſſimi Præfecti, & Secret. ejuſdem S. Cong. munitæ. Secunda, ut in ipſa declaratione exprimatur, eam conſultò à Sum. Pont. conditam, & pronunciatam fuiſſe, quam conditionem, teſte Joſepho de Januario apud eundem Cabrin. appoſuit Sixtus V. cùm S. Cong. facultatem conceſſit interpretandi Concilium. Tertia, ut Eminentiſſimi declarent ſolùm, non autem diſpenſent, vel amplient ultrà Juris regulas, quam formã præſcripſit Greg. XIII. teſte Diana apud eundem. Quarta, ut hæ declarationes conſtent publicâ notitiâ, quod fit, ſi tranſmittantur ad Epiſcopos, ipſiſque mandetur, ut eas juridicè in Diœceſi promulgare, in uſumque ducere curent; Quod limita, ut infrà §. 3. n. 16.

34. Hæc, inquam reſolutio inter omnes, quas viderim, placet magis. Ali[illegible] nihilominùs [illegible], puto: Ac primò, quòd cùm ex hac doctrina conſtet, Sac. Cong. aliam non habere authoritatem, quàm declarandi, non autem legem condendi, & hoc quidem non, niſi conſulto Sum. Pont. abſolutè dicendum videtur, nullatenùs ejus declarationes ad vim legis pertingere, niſi à Pont. ſpecialiter ipſi facultas conferatur decreta ſtatuendi, conſtitutioneſq; condendi, ut de facto in multis ejuſdem Sac. Cong. decretis apparet. Quà facultate habita, non ſolùm declarandi, ſed & diſpenſandi, vel ampliandi, etiam ultrà Juris regulas, authoritatem habebit. Stando autem in ordinaria facultate potiùs, quàm propriè leges, legum interpretationes, vel ſententiæ ſunt, ſeù legum executiones, & applicationes ad Perſonas, & caſus particulares; Undè nec purè doctrinales, ut quidam vo-

volunt, sed verè decisivæ sunt; quamvis non per modum legis, sed sententiæ, aut interpretationis, nec ab ipsis ullatenùs recedendùm.

35. Secundò etiam addo, quòd, si hujusmodi declarationes, aut sententiæ particulares sint, non generales; non licet, ab ipsis convincenter arguere, nec in simili casu. Et hoc ideò, quia casus particulares qualibet circunstantiâ variantur. Undè, & ipsi Eminentissimi non semel in similibus casibus contraria senserunt; non quidem ex inconstantia, ut quidam audacter asserunt; sed quia prudenter judicarunt, in uno casu ex Personarum circunstantia, vel alio urgente motivo, sic dicendum, & aliter in alio ex diversis motivis, & circunstantiis.

36. Si autem casus omninò similis, & cùm eisdem circunstantiis occurreret, quod non ità facilè, judicare. Standum omninò esset ejusdem S. Cong. declarationi, modò de illa constaret. Non dixi autem absolutè, quòd non liceat, arguere, sed convincenter; nam aliàs in universum hujusmodi sententiæ; ac declarationes plurimi sunt faciendæ; ità ut probabilior semper censenda sit opinio, pro quâ stare videntur, nisi alia magno, ac firmissimo nitatur fundamēto, & ratione; Quod multò magis erit, si declarationes fuerint generales, ut solent Eminentissimi, dùm similes multi casus ad eorum perveniunt aures.

37. Hæc mihi, salvo meliori judicio, probabiliora sunt. Alii siquidem, ut videre est apud Bonac. de leg. disp. 1. quæst. 1. pun. 8. & Dian. p.p. tract. *de leg. resol.* 29. volunt generaliter hujusmodi declarationes doctrinales esse, non decisivas; licèt enim Eminētissimi jus habeant à Pont. interpretandi Concilium, & respondendi in dubiis, non indè colligi videtur, per tale Jus aliud ipsis concedi, quàm simplicis interpretationis facultatem, quam cæteris quibuscunque Pius IV. interdixit. Hoc igitur in eorum sententiâ est Jus, quod habent Eminentissimi, ordinaria scilicet facultas interpre-

tan-

tandi, ac declarandi Concilium, quæ cæteris interdicitur, non autem, quòd eorum declarationibus taliter standum sit, ut ab ipsis recedere, nemini liceat.

38. Lex deniquè civilis per excellentiam vocatur Jus Romanum continens Digestum, leges videlicet, ac statuta Romanorum, & antiquorum Jurisconf. doctrinam; Codicem Justiniani, quô comprehenduntur statuta, sanctiones, & diversa Imperatorum præcepta; Addidit quoque ipse Justin. librum authenticorum, seù novellarum, quæ sunt speciales constitutiones ab ipso promulgatæ. Et demùm librum, qui institutа, seù institutiones inscribitur, ejusdem Justiniani authoritate compositum, & evulgatum. Hoc est corpus communi Juris Civilis, præter alias Constitutiones diversorum Imperat. extrà Corpus. Sunt autem, & aliæ leges, ac statuta particularia cujuscunque Regni, Principatus, & Reipub. immo, & speciales Civitatum, aliarumque Communitatū constitutiones, quæ leges Municipales vocari solent.

39. Hic tantùm advertite, quòd licèt lex vim suam extendere non possit ultrà legislatoris authoritatem, ac per consequens in rigore prædictum Jus commune, utpotè Imperatoriū intrà ipsius Imperatoris jurisdictionem restringi debeat, nec obligare possit in Regnis, & Dominiis omninò ab ipso Imperatore independentibus, illique nullo modo subjectis. Attamen, vel quia Imperium ipsum Romanum jam per totum ferè Orbem extendebatur; Vel ex ipsius Juris excellentiâ, & æquitate, ubique, ut plurimùm, usu receptum est, ac secundùm illud judicandum, ubi propriæ Regni, vel Reipub. leges aliter non disponunt.

§. II. *De Lege Naturali specialiter.*

SUMMARIUM.

1. *Non est idem lex naturalis, & synderesis, & conscientia.*
2. *Legis naturalis præcepta triplicis generis.*

3. *Lex*

3. *Lex naturalis impropriè mutationem, vel dispensationem recipit ex mutatione materiæ.*

4. *Variatio materiæ ex alia naturali lege oritur; undè videndum, quodnam præceptum urgeat magis?*

5. *Neque propriè de lege naturali est Epykeja.*

6. *In jurè naturali non est propriè dispensatio, sed potiùs variatio materiæ.*

7. *Dispensatio fieri debet, dùm observantia legis intentioni legislatoris contrarietur.*

8. *Etiam in manifestis petenda est Superioris dispensatio, vel declaratio, ubi jure, vel consuetudine id statutum est.*

9. *In dubiis omninò consulendus est Superior, aliàs servanda lex.*

10. *Periculosum esset, ut hoc judicio cujuslibet committeretur,*

11. *In quibus lex naturalis, utcunque, dispensationem admittat, in quibus non?*

12. *Ad quem pertineat dispensatio, vel declaratio Juris Naturalis?*

13. *Explicantur aliqui casus, in quibus Divinâ, vel humanâ authoritate derogatum, vel dispensatum videtur in Jure naturali.*

14. *Pariformiter discurrendum est de Jure Divino Positivo, cujus tamen declaratio Ecclesiasticæ tantùm convenit Potestati.*

15. *Peccat dispensans absque justa causa in Divino, vel naturali Jure, & invalida est dispensatio.*

16 *Excusat autem dispensantem, & dispensatum bona fides.*

17. *De præceptis naturalibus primi, & secundi generis non datur ignorantia invincibilis.*

18. *Tripliciter dici possunt prima præcepta, de quibus nõ datur invincibilis ignorantia.*

19. *De præceptis tertii generis ignorantia invincibilis dari potest.*

1. PLURA sunt hìc breviter de hac lege notanda, quæ dilucidè satis tradit Gonet citato tract. *de legibus* cap. 3. Cùm quo notandum in primis, non esse idem legem naturalem, synderesim, & Conscientiã. Lex enim est ipsa ordinatio ratio-

tionis à Deo nobis impressa, synderesis verò naturale lumen, quô hanc ordinationem cognoscimus, Cōscientia demùm actus ipsius synderesis, quô practicè judicamus in particulari, quid bonum sit, quidvè malum.

2. Secundò notandum, quòd legis naturalis præcepta sunt triplicis generis. Prima universalissima, quæ potiùs præceptorum omnium principia, quàm præcepta, vocanda sunt. Puta bonum est sequendum, malum fugiendum; Deus colendus. Quod tibi non vis fieri, alteri nè feceris, & si quæ sunt alia. Secunda, quæ per facilem discursum ex his deducuntur; ut non esse furandum, non fornicandum, non mentiendum, & similia. Tertia, quæ à primis derivari, non ità facilè cognoscitur; puta, non accipiendum ex mutuò usurā, non authoritate propria de injuriis ulciscendū &c. Ubi nota, quòd absolutè omnium virtutum moralium actus ad legem naturæ pertinent; *Dictat enim naturalis unicuique propria ratio, ut virtuosè agat*, ait S. Doct. *p. 2. q. 94. a. 3.* Sed ut ibidem subdit, *Multa secundùm Virtutem fiunt, ad quæ natura non primò inclinat; sed per rationis inquisitionem ea homines adinvenerunt*, quarè ad legē naturæ pertinent actus Virtutum secundùm rationem genericam tantùm, nō autem specialem; V.G. præcipit lex naturæ temperantiam, non autem jejunium, seù abstinentiam à carnibus benè quippè, temperatè vivere, possum, absque jejunio, & abstinentia à carnibus.

3. Tertiò notandum, quòd, licèt lex naturæ per participationem legis Æternæ, cujus est veluti quædam pars, ait Gonet. §. 1. nedùm firmitatem, ac stabilitatem, quæ omnibus legibus communis est; sed specialiùs perpetuitatem, & immutabilitatem habeat; Undè propriè, & in rigore mutationi, ac dispensationi subjecta non est: Quia tamen variabilis est materia, circà quam lex ipsa naturalis versatur, ad materiæ variationem lex ipsa quoque mutari quodammodò potest, ac dispensationem recipere

cipere, licèt impropriè. V.G. depositum reddere, de Jure naturæ est, attamen reddi non debet, si quis depositum petat, ut eo ad Patriam perdendam utatur. Hic non propriè lex depositi reddendi mutatur, sed ipsa materia depositi, quæ priùs naturali subdebatur legi, per talis circunstantiæ variationem ampliùs legi non subditur: quia ipsa naturæ lex dictat, in tali casu depositũ non esse reddendum.

4. Ubi notarem insuper, quòd in hujusmodi casibus variatio materiæ non aliundè, quàm ex altera item naturali lege, ortum habet. In casu enim posito, ideò depositũ à lege ipsum reddendi extrahitur; quia lex alia naturæ præcipit Patriæ tutelam, ac defensionem ab insidiis, & proditionibus. Videndum igitur est, quod nam ex duobus naturalibus præceptis magis urgeat, ut secundùm alterius præponderationem ipsius naturæ dictamine, unum servandũ sit, omittendum aliud: puta in casu commune bonum Patriæ magis obligat, quàm Jus particularis depositi.

5. Undè benè docet Gonet §. 3. licèt in multis declaratione, & interpretatione lex naturalis indigeat, cùm plura non adeò liquidò constent, in ipsa tamen propriè locum non habet Epykeja; cùm ipsa legislatrix ratio dictet legis interpretationem, ut patet: Epykeja verò est propriè interpretatio legis, seù mentis legislatoris, quandò ab eo expressè haberi non potest.

6. Quòad dispensationem aliqua major est difficultas. Etenim Voti, & Jurisjurandi observantia est de Jure naturæ, & in ipsâ Ecclesiâ dispensat; immo, & Princeps in ultimis Voluntatibus, quæ sunt pariter juris naturalis, vel Gentium adminùs. At verò S. Doct. 2. 2. *q.* 88. *art.* 10. *ad secundum*: ait, quòd Voti dispensatio; & idem intellige de reliquis; In hoc stat, quòd *authoritate Superioris dispensantis fit, ut hoc, quod continebatur sub Voto, non contineatur; in quantùm determinatur in hoc casu, hoc non esse congruam materiam Voti*. Undè absolutè asserit Gonet, nullo modo in Jure naturæ

non solùm ab Ecclesia, vel Principe, sed neque ab ipso Deo propriè dispensari posse; benè tamen variari materiam, ut quæ subjecta priùs erat legi naturę, nunc subjecta non sit. Quidquid autē sit, ut à speculabilibus ad practica descendamus.

7. Advertendum ex D. Thom. *p.* 2. *q.* 100. *art.* 8. Quòd dispensatio fieri debet, *quandò occurrit aliquis casus particularis, in quo, si verbum legis observaretur, cōtrariaretur intentioni legislatoris*, quæ quidē est principaliter ordo ad bonum commune, deindè ordo Justitiæ, & Virtutis. Quotiescunque igitur in his, quæ sunt de Jure naturæ, manifestè apparet defectus à bono communi, vel ab ordine Justitiæ, & Virtutis, jam lex in tali casu cessat, quia congruam non habet materiam. Cessat v. gr. lex depositi, si redditum in damnum vergeret Reipub. Cessat Votum, si materia ex aliqua circunstantia effecta sit mala, inutilis, vel impeditiva majoris boni, quod est contrà Voti rationem, & ordinem Virtutis.

8. Nec in hujusmodi casibus, regulariter loquendò aliqua superioris dispensatione, seù declaratione opus est, ut enim ex D. Thom. notat Cajet. *p.* 2. *q.* 96. *art.* 6. *in manifestis opus nō est interpretatione*. Dixi regulariter, quia potest ex consuetudine, vel etiam Jure, in aliquibus requiri Superioris dispensatio, vel declaratio, adhuc in casibus manifestis, & tunc petenda erit; aliàs peccabit quis contrà obedientiam, & legem illam, quæ talem Superioris declarationem, aut licentiam exigit, licèt non contrà legem, suprà quam cadit dispensatio. V. G. si quis novit jejunium, & ex infirmitate jejunare non possit, lege autem, vel consuetudine approbatâ cautum sit, ut nihilominùs pro talis voti relaxatione Superioris licētia petatur; talis non jejunans absque licentia reus non esset fracti voti, sed inobedientiæ; Si tamen potuit, licentiam petere; aliàs necessitas ipsa dispensationem habet annexam, *quia necessitas non subditur legi*, ait S. Doct. ibidem,

9. Si

9. Si verò incertus, & ambiguus sit defectus à bono communi, vel ordine Virtutis, omninò consulendus est Superior, quòd si casus moræ sit impatiens, erit servanda lex juxtà regulas juris; *In dubiis tutior pars est eligenda, & melior est conditio possidentis*; Cùm in casu possessio stat pro lege.

10. In his autem, & similibus, in quibus adhuc viget lex, & ligat, ni Superior dispenset, neque propriè dispensatio est, sed mutatio materiæ, quam Superior potest, vigore authoritatis, quam habet ex hoc ipso, quòd curam habet boni cōmunis, & directionis ipsius Communitatis; ad quem proindè Jure ipso naturæ spectat, providere in his, quę ad commune bonum, & Communitatis regimē sunt necessaria; non ad particulares Personas; ac per consequens, declarare, interpretari, & suo modo in lege quoque naturæ dispensare, ubi necessitas exigit. *Periculosum* enim *esset*, ait S. Doctor *p. 2. q. 97. art. 4. ut hoc judicio cujuslibet committeretur*.

11. Advertendum verò ex eodem S. Doct. ibidem ad tertium. *Quòd lex naturalis, inquantùm continet præcepta communia, quæ nunquam fallunt, dispensationem recipere, non potest; in aliis verò præceptis, quæ sunt, quasi conclusiones præceptorum communium, quandoquè per hominem dispensatur; puta, quòd mutuum non reddatur Proditori Patriæ, vel aliquid hujusmodi*. Et quæst. 100. art. 8. & alibi. *Quòd, si quæ præcepta dentur, quæ contineant ipsam conservationem boni communis, vel ipsum ordinem Justitiæ, & Virtutis, hujusmodi præcepta continent intentionem legislatoris, & ideò indispensabilia sunt; putà si poneretur hoc præceptum in aliqua Communitate, quòd nullus destrueret Rempub. neque proderet Civitatem hostibus; sivè quòd nullus faceret aliquid injustè, vel malè; hujusmodi præcepta essent indispensabilia. Sed si aliqua alia præcepta traderentur ordinata ad ista præcepta, quibus determinantur aliqui speciales modi; in talibus præceptis dispensatio posset fieri, inquantùm per omissionem hujusmodi*

præ-

præceptorum in aliquibus casibus non fieret præjudicium primis præceptis, quæ continent intentionem legislatoris; puta si ad conservationem Reipub. statueretur in aliqua Civitate, quòd de singulis vicis aliqui vigilarent ad custodiam Civitatis obsessæ, posset cum aliquibus dispensari propter aliquam majorem utilitatem. Præcepta autem Decalogi continent ipsam intentionem legislatoris, scilicet Dei, nam præcepta primæ tabulæ, quæ ordinant ad Deum, continent ipsũ ordinẽ ad bonum cõmune, & finale, quod Deus est; Præcepta autem secundæ tabulæ continent ordinem Justitiæ inter homines observandæ, ut scilicet nulli fiat indebitum, & cuilibet reddatur debitum; secundùm hanc enim rationem sunt intelligenda præcepta Decalogi, & ideò præcepta Decalogi sunt omninò indispensabilia.

Ex his colligitur, quòd, si lex naturalis propriè, & strictè sumatur, ut contradistinguitur à Jure gentium, nullã admittit dispensationem, immò, nec declarationem, vel interpretationem; de se namque satis est clara, & manifesta. Nec etiam prout continet generalia præcepta, quæ facillimè ex universalissimis innotescunt, si accipiantur in sua generalitate, prout accipienda sunt Decalogi præcepta, ut ibi notat Cajet. Benè tamen, suo modo, potest, dispensationem, declarationem, & interpretationem admittere, quòad reliqua, quæ nec ità immediatè ex primis inferuntur, & in quibus non expressa continetur ratio ordinis boni communis, Justitiæ, & Virtutis, sed sunt potiùs particulares quædam applicationes, & determinationes ipsorum generalium principiorum, in quibus potest aliquandò contingere defectus.

12. Ad quem autem pertineat, in his dispensare, vel declarare? Dicendum videtur, pertinere quidem primariò ad Sum. Pont. & ab eò in quibusdam etiam Episcopis, aliisque Prælatis secundùm eorum authoritatem, & privilegia; Sed etiam ad sæculares Potestates; in iis verò tantùm, quæ præcisè humanæ conviventiæ

tiæ

tiæ Pacem, bonumque concernunt, quod ipsis commissum est: Secùs autem in his, quæ ad Sacramenta, vel Religionem pertinent, ut de Voto, ac Juramento notat Azor. p.1.lib.6.cap.1. in his enim Principes ipsi, Reges, & Monarchæ subditi sunt Ecclesiasticæ Potestati; non Superiores. Idque, & comprobat Usus in multis jam ab Ecclesia ipsa, nedùm permissis, verùm, & approbatis; ut statim videbimus, Cùm autem Jus naturæ tanti sit momenti, non videtur facultas ista inferioribus concedenda, sed sublimioribus tantùm potestatibus reservanda; ipsis videlicet supremis Principibus; alios non habentibus Superiores; nisi fortè in quibusdam ex speciali concessione, aut privilegio ipsis quoque inferioribus committatur.

13. Ex his ergò intelliges plures casus; in quibus Divina, vel humana authoritate legi videtur naturali derogatum. Puta, dùm jussù Dei, Abraham, innocentem, voluit interficere Filium; Deus enim ipse, qui supremus est Vitæ, ac mortis Dominus, dedit Abrahę jus in vita Filii; aut eo, tanquam Ministro, & Executore, uti voluit; Non autem prohibet lex naturalis innocentis etiam necem ex imperio Supremi Dominii Dei.

Similiter, dùm Jsraëlitis permisit, ac jussit, ut spoliarent Ægyptios, non dispensavit in lege furti, sed ut supremus Dominus ex Ægyptiis ad Hebræos transtulit dominium illarum rerũ; Vel ipsis reddere voluit mercedem laborum suorum, quà fuerant ab Ægyptiis fraudati.

In casu de Oséa ad Mulierem fornicariam accedẽte, aliqui non improbabiliter asserunt, antè accessum fuisse inter ipsos verum cõsensum legitimi conjugii; Undè fornicaria mulier appellatur ex antecedentibus fornicationibus, non quòd tunc fornicaria esset; quod insolitum non est in Scripturis. Vel etiam admisso, quòd verum non intercesserit matrimonium. Deus ipse, ut Supremus Corporum Dominus, dedit hanc Meretricem Oséæ in Uxorem antè

antè ejus acceſſum, efficiendo per ſe, quod per propriũ conſenſum faciunt mas, & fœmina; idque propter myſticam ſignificationem, quà deſignabatur Deus ipſe in Sponſam aſſumpturus humanam naturam tot peccatorum fornicationibus deturpatam.

Deniquè de Polygamia, & libello repudii Hebręis quoque conceſſo dicitur pariter, Deum naturæ Authorem optimè potuiſſe, ad commune bonum, ac naturæ ipſius propagationem, Dominiũ Corporis ab una in plures dividere Uxores in primo caſu Polygamiæ; In ſecundo verò de repudio irritare prioris matrimonii vinculum. Hoc autem non eſt, propriè in lege diſpenſare, ſed mutare materiam, ut non ſit legi ſubjecta. Nec enim lex naturalis prohibet uxorum pluralitatem, dùm aliter Deus ipſe diſponit, ſed ordinario curſu, & naturali ſervato, quem ipſa natura non excedit. Prohibet ſimiliter uxoris repudium, inſoluto Matrimonio, quod quidem ſecundùm ſe fieri, non poteſt; ſoluto autem vinculo, non prohibet ſecundas nuptias.

Jura item humana legem naturalem neque propriè diſpenſant, nec mutant; variant benè materiam, ubi commune bonum exigit. V. G. leges Uſucapionis, vel Præſcriptionis, quibus à vero Domino in alium rei dominium transfertur, nullatenùs derogant legi naturæ præcipienti, neminem propriis bonis ſpoliandum. Hoc enim lex naturæ prohibet, vero Domino rationabiliter invito, non autem rationabiliter eſt invitus Dominus, quandò commune bonum aliter exigit. Et ſic de ſimilibus.

14. Quæ dicta ſunt de Jure naturali, ferè de Jure quoque divino poſitivo dicenda videntur, cùm hac tamen limitatione, quòd, ut ait S. Doct. *p. 2. q. 97. art. 4. ad tertium. In præceptis Juris Divini, quæ ſunt à Deo, nullus poteſt, diſpenſare, niſi Deus, vel his, cui ipſe ſpecialiter committeret*, Cùm autem Divina Authoritas non, niſi Eccleſiaſticis poteſtatibus à Deo collata ſit, plenaria quidem ſupremo totius

Chri-

Christianæ Reipub. Moderatori Romano Pont. aliis verò pro modo propriæ cujuscunq; jurisdictionis: Hinc est, quòd in iis, quæ Divini sunt Juris, nulla secularis potestas dispensandi, vel interpretandi habet facultatem. De quibus omnibus videri possunt Canonistæ, & Summistæ, præcipuè Sylv. V. Casus, Dispensatio, & aliis titulis. Nos, Deo dante, ubi materiæ necessitas exiget, accuratiùs discurrere, non prætermittemus. Hæc sufficiant, pro nunc generaliter prælibasse.

15. Hoc unum specialiter addo, quòd Superior, quicunque ille sit, Ecclesiasticus, vel Secularis, dispensans in Jure naturali, vel Divino, absque justa, vel legitima causa, peccat omninò, quia, ut ait S. Doctor *p. 2. q. 97. art. 4. Infidelis est, si non habet intentionem ad bonum commune*, cujus curam gerit, vel *imprudens, si rationem dispensandi ignoret*: Undè Cajet. ibi: *Pro sola voluntate non fit dispensatio, sed dissipatio*. Quamvis autem in jure humano positivo, etiam illicita dispensatio, & sine causa valida sit, & dispensatum in conscientia solvat à lege, ut §. 5. In lege tamen Divina, vel naturali, valida non est illegitima dispensatio; Undè nec dispensatus; illa uti licitè potest. Et ratio est, quia sicut solus Deus Conditor est Divinæ, ac naturalis legis, ità solus ipse dominium super illas habet; hominibus autē commissa tantùm est facultas declarandi potiùs, vel interpretandi, quàm in rigore dispensandi, ubi casus occurrit; in quo ad commune bonum, quod est finis utriusque legis, aliter judicatur expedire; leges autem humanæ, sicut ab homine ponuntur, ità possunt per hominem abrogari, nedùm propriè dispensari; Undè, quamvis malè faciat Superior, dispensando sinè causâ, dispensatio tamen valet, quia potest absolutè, non solùm particularem Personam, sed totam Communitatem solvere à jure legis; ità Sylv. V. Dispensatio: quæst. 3. Bonac. de legibus disp. 1. q. 2. punct. 3. & plures apud ipsum.

16. Potest nihilominùs,

& Dispensator excusari, si bona fide dispensavit, putans rationabilẽ habere causam; & dispensatus item licitè uti si bona fide putat, superiorem legitimè dispensasse. Et quidem usque dùm in bona fide manet; Si enim successu temporis de invalida cognosceret dispensatione, ampliùs uti ea, non posset.

17. Circa ignorantiam Juris naturalis aliquid jam tetigimus suprà cap. 2. §. 6. in fine. Constans autem est DD. sententia, de præceptis primi, & secundi generis dari nõ, posse invincibilem, & inculpabilem ignorantiam. Et de primis quidem non videtur difficultas; De secundis verò ex eo patet, quòd cùm evidenter, ac facili discursu ex primis deducantur, & quilibet sufficiens lumen à natura sortiatur, ut discurrere possit, ac judicare: Quòd aliquis licitum judicet id, quod apertè illicitum convincitur ex primis principiis, non nisi ex propria culpa oriri posse videtur, prava scilicet consuetudine, aut pessimis inclinationibus, quibus mens, & ratio obtenebratur, ne videat, quod manifestè cõspiceret, ni pravorum affectuum tenebris Divinæ illuminationi, & naturalibus radiis obstaculum poneret.

18. Adde insuper ex Cajet. *p. 2. quæst. 94.* Quòd prima præcepta dupliciter dici possunt; uno modo absolutè, prout stant pro communissimis, ut bonum est faciendum, malum fugiendum. Alio modo in tali ordine; Qui ordo triplex est in homine; primus ad esse, & vivere; secundus ad generationem: Tertius ad rationabiliter se habendum ad se, & ad alios. Primum ergò præceptum absolutè est, quod immediatè ordinatur ad ultimum, & communem finem, qui est bonum perfectum, puta. Bonum est prosequendum, malum fugiendum. Primũ verò in tali ordine erit, quod immediatè ordinatur ad primarium finem talis ordinis. V. G. ad Vitam, est comedendum. Præceptum verò, quod ordinatur ad secundarium finem ejusdem ordinis, vel ad benè esse talis finis, erit absolutè secundum; v. g. tali cibò utendũ.

Cùm

Cùm ergò dicitur, quòd ignorantia invincibilis dari nõ potest de primis præceptis, non solùm intelligitur de primis absolutè, sed etiam de primis in tali ordine; & pariter de præceptis, quæ facili discursu ex istis deducũtur.

19. Quòad præcepta demùm tertii generis dari posse ignorantiam invincibilem, non est minùs certum apud Authores; modò tamen ignorantia sit verè antecedens juxtà dicta in citato §. 6. ad quem remittimus cætera, & videri potest de his fusè Gonet tract. *de legibus* cap. 3. §. 4. & Thyrsus dissert. 11.

§. III. *De Lege humana scripta.*

SUMMARIUM.

1. *Humana Lex à recta ratione recedens, iniqua est.*
2. *Conditiones ad justam legẽ requisitæ, ut obligent in conscientia injustæ violentiæ magis, quàm leges sunt.*
3. *Tripliciter lex injusta esse potest.*
4. *Lex justa, etiam civilis, per se loquendo, pro sui observatione ad mortem obligat, licèt ex legum benignitate in casu non obliget.*
5. *Regula ad cognoscendum, quandò lex obliget cum vitæ dispendio?*
6. *Quomodò humana lex præcipere possit, actus internos?*
7. *Quòad vim coactivam soli subditi legislatoris legĩ subduntur, quòad directivam verò etiam ipse Princeps, & legislator.*
8. *Etiam Clerici, quòad vim directivam ex naturali æquitate sæcularibus subduntur legibus.*
9. *Non tenetur quis legibus proprii Territorii extrà illud, sed tenentur Advenæ, & peregrini legibus Territorii, per quod transeunt.*
10. *Quid requiratur, ut lex promulgata sufficienter censeatur?*
11. *Privata scientia legis, antè ipsius legitimam promulgationem nõ sufficit ad obligandum scientem.*
12. *Licèt in promulgatione legis ponatur, quòd statim ubique obliget, requiritur, quòd ad sufficientem subditorum perveniat notitiam.*
13. *Quæ notitia publica esse debet, nec sufficit privata.*
14. *Promulgatio in Curia quid operetur? & quomodò*

omnes afficiat subditos?

15. *Quænam esse debeat hæc publica notitia?*

16. *Æquitati consonum est, ut Pontificiæ Constit: ad Episcopos, vel Gubernatores, per ipsos promulgãdæ transmittantur.*

1. JAM suprà generaliter dictum est, ad legem tria essentialiter pertinere, videlicet, quòd sit ad bonum commune, ab habente potestatẽ, & quòd humanorum actuum sit directiva. Hæc autem primò, & originativè sunt in ipsa Æterna lege, à quà in legem naturalem derivantur; & ab hac in legem humanam; Undè humana lex, in quantum à recta ratione recedit, iniqua est, ut ait S. Doctor *p.2. q.93. art.3. ad secundum.*

2. Ut igitur æqua sit humana lex, aliquæ speciales assignantur conditiones ex D. Isid. lib. 5. *Etym.* c. 3. & 21. apud D. Thom. *p. 2. q. 95. art.* 3. quòd scilicet sit *Honesta, Justa, Possibilis, Secundùm naturam. Secundùm consuetudinem Patriæ, Loco, Temporique conveniens, Necessaria, Utilis, Manifesta quoque, nè aliquid per obscuritatem in captione contineat; Nullo privato commodo, sed prò communi utilitate Civium scripta.* Debet enim lex, inquit S. Doct. Religioni congruere; undè honesta esse debet; Item disciplinæ conveniens esse; ut sit directiva, & ideò Justa, Possibilis, secundùm naturam, secundùm consuetudinẽ Patriæ, loco, temporique conveniens. Ac demùm ad commune bonum, quod est finis ipsius legis; undè addit, Necessaria, Utilis, Manifesta &c.

Quotiescunque igitur humana lex, sivè Canonica, sivè Civilis, justa fuerit, servans prædictas conditiones, vim habet obligandi etiam in foro cõscientię; ità ut proculdubio illius transgressores peccent; Si autem justæ non fuerint, inquit S. Doct. *p. 2. q. 96. art. 4.* magis sunt violentiæ, quàm leges, undè nõ obligant in foro conscientiæ; nisi fortè propter vitandum scandalũ, vel turbationem, propter quod etiam homo, juri suo, debet cedere.

3. Tripliciter autem potissimũ leges injustę possunt esse, ut ait ibi S.Thom. Vel

ex

ex fine, sicut cùm aliquis præsides leges imponit onerosas subditis, non pertinentes ad utilitatem communē, sed magis ad propriam cupiditatem, vel gloriam. Vel etiam ex Actore, sicut cùm aliquis legem fert ultrà sibi commissam potestatem. Vel etiam ex forma, putà cùm inæqualiter onera multitudini dispensantur: etiam si ordinentur ad bonum commune. Quandò verò dubium est, an lex justa sit, recole, quæ diximus cap. precedēn: §. 5. n. 3. & seq.

4. Tanta porrò est vis obligatoria humanæ legis, etiam Civilis, ut per se loquendo, ad mortem quoque obliget pro sui observatione, ut notavimus ex Cajet. cap. 2. §. 4. n. 14. licèt ex benignitate legum in casu non obligent.

5. In quo tamen regulam dat optimam Gonet man. *de legibus* cap. 4. §. 2. Quotiescunque id, quod præcipitur, ità conducit ad bonum commune, ut majus commune bonum sit, legem observare, quàm propriam servare vitam, tunc lex obligat etiam cùm Vitæ dispendio: Si autem sit majus bonum commune, propriam vitam conservare, quàm legem observare, tunc lex humana cùm dispendio Vitæ non obligat. Ratio igitur boni cōmunis præ oculis habenda est, ut discernere possimus, quandò nam leges humanæ cùm tantò incommodò obligent, vel non? Multæ siquidem ex benignitate non obligant, non solùm cùm vitæ periculo, sed nec etiam cùm alio gravi incommodo.

6. Observandum quoque cùm eodem Gonet ibi: Quòd licet humana lex, præcipere non possit, actus purè internos, nec etiam illos, qui tantùm per accidens cùm externis connectuntur: Undè communiter dicitur, quòd Ecclesia non judicat de internis: Actus verò internos, qui per se ad integritatem exteriorum in genere moris requiruntur; bènè utique lex humana, præcipere potest: quidquid aliqui contrà sentiant. Habens enim potestatem præcipiendi aliquid, ex consequenti potestatem habet præcipiendi, quod cùm illo ne-

necessariam habet connexionem, aliàs frustranea esset potestas. Puta cùm oratio vocalis, vera non sit oratio, nisi ex aliqua interiori attentione procedat; præcipiens orationem vocalem, puta Horas Canonicas, ex consequenti præcipit attentionem, sinè quâ Oratio vocalis nõ consistit. Undè fusè idem Gonet in Clypeo diss. de probabilitate *art.* 3. §. 1. impugnat Caramuelis sententiam docentis. *In audiendo Missam de præcepto, vel recitandis horis ex obligatione, satis est attentio externa; Undè potest quilibet, voluntariè distrahi.*

7. Notandum insuper ex D. Thom. *p.* 2. *quæst.* 96. *art.* 5. *ad tertium*. Quòd licèt Princeps, quòad vim coactivam, propriis legibus non subdatur, nemo enim cogitur à se ipso; *Sed quantùm ad vim directivam Princeps subditur legi propria voluntate, secundùm quod dicitur extrà: de Constit. cap. Cum omnes. Quòd quisquis jus in alterum statuit, ipse eodem jure uti debet; Undè quantùm ad Dei judicium. Princeps non est solutus à lege, quantùm ad vim directivam ejus*. Et hoc quidem, ait Gonet §. 3. Ex ipsa lege naturali, quæ dictat, non minùs contrà rationem esse, caput discordare à membris, quàm membra à capite: Undè leg. Digna vox cap. de legibus. *Digna vox est Majestate Regnantis, legibus alligatum tè Principem, profiteri*. Et cap. Justum est dissert. 9. *Principes legibus teneri suis, nec in se posse damnare jura, quæ subjectis constituunt, justa est enim vocis authoritas eorum, si quod Populis prohibent*, sibi licere, nõ patiantur. Quòad vim autem coactivam, soli subditi legislatori subduntur; & Princeps quoque legibus Superioris, si quem habeat.

8. Cùm autem Clerici non, nisi Ecclesiasticæ potestati, subditi sint, in rigore, & quòad vim coactivam, non subduntur legibus civilibus; Sunt enim exempti à jurisdictione Principum sæcularium. Cap. Decernimus de Judiciis cap. Sçculares de foro competenti in 6. Subduntur benè, quòad vim directivã ex naturali æquitate.

tate. Cùm enim ſint Reipub. membra, ut per uniformitatem corpori congruant, ad Pacem, & tranquillitatem Reipub. ſervare omninò, debent leges Principum, quæ Privilegiis non derogant Clericorum.

9. Addit item Gonet. non teneri quempiam legibus proprii Territorii, dùm extrà illud, etiam tranſeunter, immoratur, quia talium legum conditoris authoritas non extenditur ultrà proprium Territorium, vel dominium, ut habetur c. 2. de Conſtit. in 6. & leg. ultima ff. de Juriſdictione omnium Judicum. E contrà Peregrini, & Advenæ tenentur legibus Territorii, per quod tranſeunt; Par enim eſt, ut ſentiat onus, qui ſentit commodum, ut dicitur de Reg. Juris in 6. reg. 55.

10. Deindè, cùm ſuprà dixerimus, promulgationem neceſſariam eſſe, ut lex in actu ſecundo obliget; videndum eſt breviter; quid requiratur, ut humana lex ſufficienter promulgata cēſeatur? Et quidem, quòad leges Imperiales habetur expreſsè Authent. ut factæ novæ Conſtitutiones: Quòd non obligant, niſi facta in ſingulis Provinciis promulgatione in cujuslibet Metropoli, & hoc non, niſi poſt duos menſes, Ubi licèt Imperator loquatur ſolùm expreſsè de legibus Teſtamentorum; Gloſſa tamē ad omnes leges extendit, per hanc Juriſperitorum regulam. Quotieſcunque Verba Rubricę faciunt perfectum ſenſum, & non repugnant corpori legis nigris literis exarato, & ſub rubris contento. Rubrica habenda eſt pro ſenſu. Cùm igitur, infert Gonet citato cap. 4. §. 1. Rubrica illius Auth. loquatur univerſaliter de omnibus legibus, conſtitutio illa ad omnes extendenda eſt. Undè Pius IV. in quadam Bulla ſuper declaratione tēporis obſervationis Conc. Trid. ſic ait. *Jure communi ſancitum eſt, ut conſtitutiones novæ vim non, niſi poſt certū tempus, obtineant.* Non autem alibi reperitur in jure communi, quam in dicta Authent. determinatū tempus, quo novæ Conſtitutiones obligent.

Licèt autem ipſe Gonet abſo-

absolutè asserat, prædictas constitutiones extrà Imperii jurisdictionem, necessarias non esse pro legibus supremorum Principum, qui Imperatoriæ non subduntur potestati: Verum id puto, per se loquendo; Cæterùm cùm Imperiale Jus ubique videatur usu receptum in iis, de quibus propriæ cujuscunq; Regni leges aliter non disponunt; ut suprà notavimus; videtur, quòd etiã in hoc, nisi aliter à Principibus disponatur, ipsi standum sit præcipuè cùm rectę rationi satis consonet, humanoque usui plurimùm sit accomodatum.

11. Ubi nota, quòd stante hac lege, scientes alicujus novi statuti, vel Constitutionis dispositionem antè ipsius legitimam promulgationem, & antè duos menses, non obligantur ad ejus observantiam; Quamvis enim promulgatio prædicta, & tempus præscribatur, ut ad omnes commodè legis notitia perveniat; illa tamen particularis notitia non supplet legitimæ promulgationis defectum: ut benè advertit Cabrinus Elucid. Cas. reserv. p.2. casu 1. annotat. 6. Nec ullam confert legi obligandi vim præter illam, quam de se habet ex Jure.

12. Verùm tamen est, quòd si non solùm cæteri supremi Principes, sed ipsæ quoque Imperator in promulgatione alicujus legis in Curiâ clausulam apponat, ut statim ubique obliget, ità planè obligabit. Potest enim Imperator, in Imperatoria lege dispensare, vel etiam in totò, vel in parte rationabiliter abrogare. Nihilominùs in tali quoque casu æquitas ipsa postulat, ut nõ æqualiter ubique statim obliget; sed in unaquaque Provincia, vel Civitate post sufficientem ejusdem publicationem: Æquum enim non est, obligare ad observantiam legis eos, ad quos legis notitia non pervenit. Hoc ergò faciet similis clausula, quòd lex facta promulgatione in Curiâ, ut ubique obliget, nullam requirat aliam in singulis Provinciis juridicam promulgationẽ, sed sufficiat, quòd utcunq; ad subditorum perveniat notitiam.

13. Quæ

13. Quæ nihilominùs notitia communis esse debet, nec sufficit privata; ità nempè, ut adeò per Provinciam, & Civitatem sit evulgata legis promulgatio, ut facilè, ad cujuslibet notitiã, possit devenire. Hoc autem ideò, quia cùm lex multidini, & Communitati observanda proponatur, non privatis Personis, nisi inquantùm partes, & membra sunt ejusdem Communitatis, ut vim habeat obligandi in actu secundo, ipsi Cõmunitati debet intimari, non censetur autem intimata Communitati per hoc quòd uni, vel alteri privatim innotescat; Undè puto, quòd privata illa notitia nõ sufficeret ad obligandum unum, vel alterum, ad quem pervenit.

14. Nec aliquid facit, quòd promulgatio in Curia omnes afficit Subditos, nec tenetur legislator, per singulas Communitates juridicas facere promulgationes, sed ad omnes obligandos, sufficit, quòd ad ipsos notitia perveniat ex juridica promulgatione Curiæ. Quanquam enim verum sit: nihilominùs notitia ista Communitatem debet afficere, non solùm privatam Personam, undè quòad usque Communitati non innotescit lex, omninò per accidens est, quòd alicui privatæ Personæ innotescat. Non enim æquum est ut Communitas ista non obligetur ad legem, & pars adstricta remaneat ex privata notitia. Sicut è contrà dùm lex Communitati jam innotescit, per accidens est, quòd aliqui de Cõmunitate ignorent; etsi ex eorum culpa, & negligentia procedat ignorantia, non excusantur.

15. Quænam autem esse debeat notitia ista? Discurrendum pariformiter ad cæteras novitates, quæ dùm per plurium ora vagantur, communes jam dicuntur in Civitate: ex hoc enim ipso, facilè ad cujuslibet notitiã pervenire, possunt. Quod, Prudentum erit, judicare in singulis casibus.

16. Ex his inferes, quòd licèt Pontificiæ leges, & constitutiones, vel immediatè ab ipso Pont. vel ejusdem authoritate à Sac Cardinal Cong. statim atque in

Curia legitimè promulgantur, omnes ubique afficiant: consonum satis est æquitati, ut ad Episcopos, vel respectivè Gubernatores in Ditione Ecclesiastica, & quòad leges temporale concernentes regimen, transmittantur per ipsos publicandæ, ut optimè fieri solet. Nihilominùs etiam sola Curiæ promulgatione vim habent ubiquè obligandi post sufficientem earundē notitiam: & secundùm hoc limitandum est, quod suprà diximus §. 1. num. 33.

Sequitur Summarium.

17. *Generaliter lex non obligat, nisi à Populo recipiatur, ubi hoc ex lege, consuetudine, vel Privilegio habetur.*

18. *Non alia videtur acceptatio requiri, quàm usus, & obedientia subditorum.*

19. *Subditi etiam aliàs privilegiati peccant, absque rationabili causa legem non acceptantes.*

20. *Ex utroque Jure lex usu non recepta non obligat.*

21. *Acceptatio, non ex Jure Populi, sed ex tacita Superioris conditione requiritur.*

22. *Lex expressè lata, ut quocunque non usu non obstante, obliget; adhuc non obligat, nisi usu recipiatur.*

23. *Peccant usu non recipientes justam legem; cæteri autem post non usum introductum non peccant.*

24. *Ex rationabili causa non recipientes non peccant.*

25. *Quid requiratur, ut non usus censeatur sufficienter introductus?*

26. *Sufficit, quòd major pars, quæcunque illa sit; legem non servet, licèt aliqui servent; immo, & major pars cujuslibet particularis Cōmunitatis.*

27. *In dubio, an lex usu recepta sit; Recepta censetur?*

28. *Aliud est, legem usu non receptam nō obligare, aliud abrogari, vel desinere.*

29. *Per duos, vel tres actus in contrarium, Principe sciente, & non reclamante, lex pro abrogata censetur.*

30. *Reclamatio Principis, etiam absque punitione, est quasi nova legis promulgatio.*

31. *Licet Populo, super lege supplicationē Superiori porrigere, & interim obligationem suspendere.*

32. *Quid*

32. *Quid agendum, si Populus nunquam legem observet, ac Princeps, quantùm potest, puniat, vel reclamet?*

33. *Quomodocunq; sivè spontè, sivè metu lex observetur, obligat in Conscientia.*

17. ALIA est gravis difficultas. An ut lex vim habeat, & obliget, requiratur Populi, vel Subditorum acceptatio? Et licèt aliqui distinguant inter leges Pontificias, & aliorum Principum, generaliter, & indistinctè resolvenda est quæstio: Cùm eadem ut constabit, sit ratio de omnibus. Et quidem in primis certum videtur, nullas obligare leges, nisi recipiantur, ubi hoc ex Principis, vel Pont. concessione, privilegio, vel approbata consuetudine invaluerit.

18. Deindè quoque certum videtur, non aliam Populi acceptationẽ requiri, ut lex vim habeat obligandi, quàm usum, & obedientiam ipsius Populi, ità ut non acceptatio idem sit, ac non usus.

19. Tertiò demùm certissimum est, quòd Populus, vel Subditi graviter peccant, absque legitima, & rationabili causa non recipientes legem justè à Superiore promulgatam: Undè Alexand. VII. 24. Septembris 1665. meritò hanc dãnavit sententiam. *Populus non peccat, etiam si absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.* Quod extenderẽ ad omnes, quantumcunque Privilegiatos, non solùm, quia Pont. indistinctè, ac generaliter dictam sententiam damnat: Verùm, quia irrationabiliter agere de se peccatum est, utpotè rectæ rationi repugnans, irrationabile autem nimis videtur, absque legitima causa legem justam ob commune bonum latam rejicere.

Neque dicas, Privilegiatos uti jure suo, hoc enim esset, abuti, non uti Privilegio; in quo aliàs mandantis, seù concedentis intentio cõsideranda est. Inverisimile autem est omninò, quòd Privilegium concedens alicui Communitati; ut in ea leges non obligent, nisi ab eàdem recipiantur, voluisse

omnimodam concedere libertatem, ut pro libito leges rejiciant. Hujusmodi ergò Privilegiis nil videtur ampliùs concedi, quàm facultas non acceptandi leges, illisque non subjici, dùm re maturè discussâ, tali Communitati nō judicantur expedientes. Rejicientes ergò leges absque causa, privilegio abutuntur, ac meritò privandi sunt. His prænotatis.

20. Dicendum universaliter, Legem usu non receptam vi obligandi carere: Nam L. de quibus ff. de legibus dicitur. *Leges nulla alia ex causa nos tenent, quàm quòd judicio populi receptæ sunt*. Et paulò inferiùs. *Illud receptum est, quòd leges, non solùm suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu hominum per desuetudinem abrogentur*.

In jure quoq; Cano. cap. In istis d. 4. *Leges instituuntur, cùm promulgantur, firmantur, cùm moribus utentium approbantur*. Et cap. ult. de Consuetudine apertè dicitur. Tolli leges consuetudine rationabili, & præscripta. Prius autem videtur, legem jam in sua vi receptam abrogare, quàm non adhuc receptam impedire, ne vim acquirat, si ergò illud potest consuetudo, quarè non hoc Desuetudo?

21. In hoc verò conveniunt ferè DD. Usum Populi, non ideò requiri ad legis valorem, quia Populus Jus habeat suprà legislatorem, vel Principem; sed quia Princeps ipse, ac legislator ea conditione legem ferre censendus est, ut ea minimè liget, nisi à Populo usu recipiatur; nè occasio, & aditus aperiatur ad peccata, & lex, quæ ad commune bonum promulgatur, in magnam cedat Communitatis perniciem.

22. Quòd si Princeps, eâ conditione legem ferre, non intendat, immò expressè declaret, se omninò velle obligare quocunque non usu, vel desuetudine non obstante: adhuc lex non obligabit. Non enim habet Princeps authoritatem in destructionem, sed in ædificationem. Quarè dùm hujusmodi conditiones apponuntur, comminatoriè potiùs, quàm præceptivè, intelli-

telligendæ sunt; ut scilicet ipsis ad observantiam subditi excitentur. Id tamen Jure limitandum est.

23. Ac primò. Si lex manifestam contineat utilitatem, omninò peccant, qui usu illam non recipiunt, de quò dubium esse non potest. Non usu tamen invalescente, cæteri non peccant, legem non observando, quæ adhuc non obligat.

Si autem lex non adeò manifestam contineat utilitatem, sed aliàs justa sit, utilis, & ad commune bonum ordinata; licèt non adeò necessaria sit, vel bono communi aliâ viâ possit commodè provideri, aut quid simile. Peccant item primi non recipientes usu legem absque causa; quia in se justa est, ac rationabilis.

24. Quòd si aliquâ rationabili causâ moveantur, neque primi peccabunt. Quòd tamen limitat Azor. *p.* 1. *lib.* 5. *cap.* 4. *quæst.* 5. asserens, quòd primi, qui frangunt, non peccant, id sciente legislatore, & non puniente, cùm possit, commodè punire, quamvis peccent, ignorante Principe desuetudinem, aut sciente, & non puniente, quia punire commodè, nequit.

Ego tamen hujus limitationis non video rationem, quam nec ibi affert Azor. Immo ratio contrarium videtur convincere. Quòd enim Princeps sciat, & puniat, vel non, merè per accidens ad non usus actum se habet, quantùm ad culpam, & peccatum incurrendum. Peccatum enim incurritur in ipso actu; scientia verò, & punitio actum subsequuntur. Scientia ergo vel ignorantia Principis nō potest, actum reddere culpabilem, qui jam præcessit, nisi aliundè culpa proveniat. Alium certè habet effectum scientia, vel ignorantia Principis, quem mox explicabimus.

25. Secundò: quòd, ut non usus dicatur sufficienter introductus, ità ut cæteri bona fide, & absque culpa, legem possint, non servare, manifestam adhuc utilitatem continentem, vel absque legitima causa non receptam: sufficiunt duo, vel tres actus, legislatore sciente, & non puniente,

cùm

cùm possit commodè, ut docent apud Dian. p.1. tract.10.de leg.resol.7.plures DD. Et ratio est, quia tunc videtur jam legislator implicitè consentire non usui. Immò addunt, sufficere, quòd hujusmodi actus eliciantur, scientibus Auditoribus Regiis, vel Episcopis respectivè, ut ibidem videre est. Quod etiam ostendit ratio. Auditores enim, aliique supremi Judices, & Ministri, Personam gerunt, & vices Principis, qui ubiquè esse, non potest, nec omnia noscere; undè, & quæ per ipsos fiunt, à Principe facta censentur. Idem dic de Episcopis, quòad Pont.Constit. ipsis enim earum observantia incumbere videtur.

At quandò, nesciente Principe, aut non puniente, quia commodè non potest, lex usu non recipitur; non solùm duos, vel tres actus, sed plures, puto, requiri, ut non usus censeatur sufficienter introductus, & cæteri non servantes legem excusentur. Et hoc ideò, quia cùm usus in ordine ad Cõmunitatem, & multitudinẽ dicatur, absolutè nõ videtur aliquid esse in usu per hoc, quòd unus, vel alter id agat; benè verò quandò plures agunt. Quòd autem, sciente Principe, duo, vel tres actus sufficiant, id non est, quia tales actus ad usum sint sufficientes; verùm, quia ipsis accedit Principis consensus; qui si expressus esset, nullo etiam actu præexistente, lex non obligaret, per tales verò actus habetur ipsius Principis consensus implicitus.

Prudentis autem erit, judicare in hujusmodi casibus quandò lex censenda sit usu non recepta, seù non usus contrà illam sufficienter introductus; Non enim regula generalis dari potest. Verum tamen est, quòd stantibus his, adhuc limitandum puto; Ità ut, si lex præcipiat, vel prohibeat aliquid, quod frequenter usu veniat; ac perindè sit etiã frequens occasio legem servandi, vel transgrediendi, omnia benè dicta sint: Si autem raró sit occasio, pauciores etiam actus ad nõ usum sufficiant, & fortè in aliquo casu duo, vel tres, etiam Principe ignorante: puta, si occasio

vix

vix esset, semel, aut bis in anno: Quod pariter æquè, Prudentis erit, judicare.

26. Tertiò notandum; sufficere ad non usum, quòd major pars communitatis non servet, licet aliqui servent, nec facit, si legem servantes, ut dicunt, sanior sit pars, licet minor. Lex enim, ut ait D. Paulus 1. ad Timoth. 1. *Justo non est posita, sed injustis*: Undè, & S.Th. *p.2. q.96. art.* 2. docet, quòd cùm *lex humana ponatur multitudini hominum, in quà major pars est hominum non perfectorum virtute, ideò non prohibet omnia vitia, sed solùm graviora, à quibus possibile est, majorem partem multitudinis abstinere: alioquin imperfecti, præcepta ferre non valentes in pejora mala prorumperent.* Sufficit ergò indistinctè, quòd major pars Communitatis, quæcunque illa sit, legem non servet. Et intellige de majori parte non absolutè, sed ex his; qui actus circa legis materiã eliciunt, ut scilicet plures sint illi, qui non servant, quàm illi, qui servant legẽ, quamvis reliqua multitudo excedens indifferenter se habeat. Et similiter de majori parte cujuscunque Populi particularis, ità ut, etiamsi lex v. gr. sit à pluribus Civitatibus usu recepta, , & in una Civitate major pars illam non servet, pro illa non recepta dici debet. Vide Cabrinum Eluc. Cas. Reserv. p. 2. annot. 7. ad primum casum, ubi ex aliorum DD. sententia docet, Episcopale Edictum non obligare in aliqua Parœcia, si à majori parte in illa receptum non sit, quamvis in reliquis observetur. Immo addit Sylv. V. Lex, quòd ubicunque lex generalis recipitur in usu à certo genere Personarum, ab alio verò non; non recipientes non peccant, saltèm per longa tempora; secùs autem, si in eodem genere major pars recipit; quod valdè notandum.

27. Hic autem dubium excitat Azor. & post illum Diana p. 1. tract. 10. *de leg.* resol. 3. An quandò dubium est, an lex sit usu recepta, nec nè, præsumendum sit, esse acceptatam? Quamvis autem Azor. negativã partem amplectatur; probabilior omninò est affirmativa, quam

quam sustinet Cabrinus cùm aliis apud ipsum loco citato in resol. pro incidentibus. Quia pro lege stat possessio, & præsumptio. Eò vel maximè, quòd lex jam legitimè promulgata supponitur, Populique acceptatio, non stricto jure, sed interdũ legislatoris benignitate, ad ejus requiritur actualem obligationem, ut prænotavimus.

28. Quartò advertendum; Non esse omninò idẽ legem usu non receptam carere vi obligandi, & abrogari, seù desinere. Quidquid enim alii dicant, rationabile satis videtur, quod asserit Azor. p. 1. lib. 5. cap. 4. Quòd nempè, licèt non usus impediat legem, ne obliget, nullatenùs tamen illam tollit, nisi post decennium. Ità ut intrà decennium possit adhuc lex usu recipi, & legislator, cogere ad ejus observantiam, pœnas etiam infligendo absque nova constitutione, aut legis promulgatione. At decennio continuatè per non usum transacto, lex omninò cesset, nec possit jure Princeps, ad ejus observantiam compellere, nisi noviter legem condat. Quamvis enim jure nulla sit in hoc sancita præscriptio: cùm tamen jus habeat Princeps, lege promulgata, compellendi populum ad observantiam, rationabile quidem non videtur, statim ipsum jure suo privari ex simplici populi non acceptatione: Undè rationabiliter dicta pręscriptio assignatur juxtà communẽ præscriptionũ legem. Quidquid autem sit; Communis est sententia, in quà utriusque partis Authores conveniunt: Etiam intrà decennium legem non obligare, si usu recepta non sit.

29. Aliqua nihilominùs pro pleniori notitia hic addere libet. Ac primò, legem usu non receptã, etiam per duos, vel tres actus, Principe sciente, & non puniente, cùm possit commodè, pro abrogata jam haberi, ut benè notat Azor. loco citato, & Diana resol. 7. Et hoc quidem, non vi consuetudinis, sed tacita ipsius Principis abrogatione. Immo idem, puto dicendum etiam si Princeps, commodè punire nequeat, dummodò

sciens

ſciens nullatenùs reclamet; Cùm enim poſſit, commodè reclamare, ſicque ſuam manifeſtare voluntatem, ſi taceat, jam non uſui conſentire videtur.

30. Verum tamen eſt, quòd cùm Benignitas maximè Principem deceat, non ſemper eſt neceſsè, ut quà poteſt, vi ſubditos adigat. Poterit ergò, aliquando à punitione prudenter abſtinere, ac ſola reclamatione in ſuo robore ſuſtinere legem; Si ergò, vel punire commodè, nequeat, vel Clementiæ ſuaſu, non debeat, & contrà non uſum reclamet. Ipſa reclamatio erit, veluti nova legis promulgatio, Ità ut primi contrà legem agentes poſt Principis reclamationem peccent, proportione ſervata, ſecundùm hucuſque dicta, & decennium pro abolitione legis, non à prima promulgatione, ſed à primo non uſu poſt reclamationem computari debet: per ipſam enim interrumpitur præſcriptionis tempus. Tranſactò autem decennio in continuò nõ uſu, etiam neſciente Principe, lex penitùs ceſſat, nec ipſe jus ampliùs habet compellendi ſubditos ad obſervantiam, niſi de novo legem condat: tenetur enim invigilare, ut lex recipiatur, ac obſervetur, quòd ſi non fecerit, ſibi imputet. Quæ omnia limita juxtà dicenda §. ſeq. de conſuetudine.

31. Ex quibus manifeſtè apparet, multò magis licere populo, ſupplicationem ſuper aliquâ lege porrigere, ac interim ſuſpendere obligationem, illamque non obſervare, ut benè cùm aliis docet Diana reſol. 6.

32. Quid verò agendum, ſi populus nunquam legem obſervet, ac Princeps, quantùm poteſt, tranſgreſſores puniat, vel certè reclamet. Dicendum, quòd ſi lex manifeſtam contineat utilitatem, manifeſtum eſt quoque, omnes tranſgreſſores peccare, ſicut pariter, ſi abſque rationabili cauſa nolint ſervare legem, quamvis non adeò manifeſtam continentem utilitatem. Neſcio tamen, quid dicam in caſu, quo lex juſta eſſet in ſe, & nihilominùs juſta quoque ratione populus illam non reciperet.

* Pono casum. Ex justâ, & urgente necessitate lata est lex, nè ullus post messem, ac trituram in Prædiis triticum relinquat, sed totum ad Civitatem transportet; eò quia plures cùm damno abundantiæ Civitatis alio transmittebant. Reclamat populus, nec vult, hujusmodi legi subjacere, & quidem justa ex causa, ea nempè, quia dispendium ex illa pateretur; Cùm iterum, & pro semine, & pro Colonorum victu, immo, & ipsorum Dominorum pro tempore, quo in ipsis prædiis habitare solent, transferre cogerentur. At non obstante Civium incõmodo, quod communi cedere debet utilitati; Lex in terminis justa est. Sed ex alia parte rationabiliter adhuc Cives insurgunt. Potest namque aliter Communitatis æquè, ac singulorum indemnitati provideri; puta legẽ aliam ferendo sub certa pœna, ut omnes exactè tritici notam assignent, quod in prædiis relinquunt, ipsumque, nec seminare, nec aliàs insumere, liceat, absque Magistratus, vel Deputatorum licentiâ, vel quid simile. Quid inquam, si Princeps, omninò primam legem, velit sustinere, populusque nolit, observare, quantumvis Principe reclamante. immo, & puniente? Non audeo planè hac in re, certã proferre sententiam.

Attamen videtur mihi, quòd ex una parte deberet Princeps, populo satisfacere; non enim pro libito authoritate uti, & clementia magis, quàm vi, regere, debet. Cumque, ut prænotavimus, in ædificationem, non in destructionem à Deo potestatem acceperit; puto, quòd graviter peccaret, tantæ commotionis, & peccati fomitem præbens. Eò vel maximè, quòd lata lex jam ampliùs justa non videtur, cùm non sit necessaria, nec populo accomodata, immò inutilis, ac violenta. Nec indè à peccato populum excusarem; debemus enim *Subditi esse Dominis, non tantùm bonis, & moderatis, sed etiam discolis*, Principe Apostolorũ dictante. Ferè namque species quædam esset rebellionis hujusmodi obstinata resistentia. Cùm

alias

aliàs, ut suprà diximus ex S. Doct. teneantur subditi, etiam injustæ legi parere, suoque juri cedere, ad vitandum scandalum, ac turbationem. Sapientioribus, Prudentioribus, & Expertioribus meliorem hujus resolutionem relinquo.

33. Quid insuper, si populus nolens legi subiacere compellatur ad observantiam pœnis, ac metu? Dico quòd ex hoc ipso lex incipit obligare in forò etiam conscientiæ. Non enim requiritur usus, ut lex vim habeat obligandi, tanquam à populi approbatione; sed nè lex, quæ ad commune bonum, & ædificationem tendere, debet, in destructionem cedat, ac ruinam. Quomodocunquè ergò, sivè spontè, sivè metu servetur, ædificat, non destruit; ac proindè, obligare, incipit. Quod verum puto, etiamsi major pars in occulto legē frangat, modò publicè observetur. Non enim privati, sed publici actus in populo usum inducunt; quarè ex his, non ex illis ratio legis pensanda est. Publicos autem voco, qui facilè innotescere possunt, quamvis legem frangens ad sui cautelam circumspectione utatur.

Sequitur Summarium.

34. *Cujuscunque legis transgressio ex contemptu peccatum est mortale.*

35. *Differentia inter Præceptum, Mandatum, & Consilium.*

36. *Quomodò cognoscendum, an lex præceptiva, mandadativa, vel purè suasoria sit?*

37. *Materia valdè conducens ad finem gravis est, aliàs levis, in quo communis boni ratio habenda est.*

38. *Circunstantiæ quoque cōsiderandæ sunt, & præcipuè finis.*

39. *Secluso contemptu, vel scandali periculo, frequentia transgressionis de se venialis, non facit mortale peccatum.*

40. *Stante obligatione sub mortali, qualibet transgressio mortalis est, nisi parvitas materiæ à mortali excuset.*

41. *Lex obligat juxtà cōmunem consuetudinē, vel prudentum æstimationem.*

42. *Lex purè consultiva censenda est, vel ex ipsa qualitate materiæ, vel ex verbis legislatoris.*

43. *Si materia levis maneat, quibuscunque verbis lex feratur, non obligat sub mortali.*

44. *Dùm constat de intentione legislatoris obligandi sub mortali, aut veniali, ità lex obligat, modò materia, vel secundum se, vel ex circunstantiis gravis sit obligationis capax.*

45. *Idem dicendum, si de intentione legislatoris constet, & dubium sit, an materia sit capax.*

46. *Ubi de intentione legislatoris non constat, ex materia ipsa obligatio pensanda est.*

47. *Quæ verba gravem, aut levem indicent obligationem.*

48. *Clausulæ, quæ omninò intentionẽ obligandi sub mortali exprimunt.*

49. *Probabilius est, hanc,* sub Præcepto, *indicare gravem obligationem.*

50. *Quoties congruè lex intelligi potest, obligare sub veniali, non debet extendi ad mortale.*

34. Cùm autem lex, ut jam tetigimus, nō solùm Canonica, sed Civilis vim habeat obligandi adhuc in forò conscientiæ. Videndum est, an, & quandò sub mortali obliget, vel veniali? Pro quo notanda sunt, quæ docet Sylv. V. Lex, & Præceptum. Quòd lex aliquando præcipit, aliquandò mandat, aliquandò consulit. Certùm est autem, cujuscunque legis transgressionem ex contenptu, peccatum esse mortale, præciso tamen contemptu, sub mortali non obligat, nisi lex præceptiva.

35. Est autem differentia inter præceptum, Mandatum, & Consilium. Quòd præceptum est motio Superioris, aut legis imperativa faciendi, vel omittendi aliquid ex debito, id est ex necessitate salutis. Mandatum verò est motio imperativa quidem, sed non ex debito, seù necessitate, at ad meliùs esse. Consilium denique motio est, non imperativa; sed purè suasoria. Undè præceptũ de se obligat sub mortali. Mandatum sub veniali; Consilium nullo mo-

modo inducit obligationẽ, nisi ad summum in præparatione animi, si oporteret, ut benè advertit Sylv.

36. Sed nimis est difficilè, cognoscere, quandò lex præceptiva sit, mandativa, vel purè Suasoria. Nihilominùs quòad fieri poterit, hic, quæ certiora sunt, clarè notabimus ex eodem Sylv. Sanchez. in Decal. lib. 6. cap. 4. Layman lib. 1. tract. 4. cap. 14. Sagro Clau. Reg. lib. 3. cap. 7. Quàtuor ergò consideranda sunt. Verba legis, Materia, Legislatoris intentio, & pœna transgressoribus imposita. Et licèt aliter quidam sentiant, supponendum est, ut magis certum, ac verum posse legislatorem sub veniali, aut etiam nullo peccato jubere materiam aliàs gravem, ut optimè probat Sanchez, eò vel maximè, quòd possit, nullo modo præcipere, aut legem ferre. Ex alia parte certum est, nõ posse, materiam levem sub peccati gravis culpa præcipere; ac perindè valdè considerandа est materia.

37. Sed nota ex eodem Sanchez lib. 1. cap. 4. Quòd licèt regula certa non possit assignari ad cognoscendum, quandò sit materia gravis, aut levis; Undè potissimùm id prudentum arbitrio est relinquendum, nihilominùs duplex tradi potest regula.

Prima, si Materia, quæcunque illa sit, multùm cõducat ad finem ob quem à legislatore præcipitur, materia gravis erit, ac sufficiens ad cõstituendam transgressionem lethaliter peccaminosam: Si verò non multùm conferat, levis erit. In quo præcipuè ratio habenda est boni communis, ad quod ultimatè lex omnis ordinari debet, ut vera, & justa sit lex.

38. Secundò item ex circunstantiis pensanda est; potest enim quandoq; materia de se levis reputari gravis ratione alicujus circunstantiæ, ac præcipuè finis, ut dictum est in primâ, vel etiam ratione scandali, aut periculi vitandi, vel etiam contemptus præcipientis. V. G. si in aliqua Religione præceptũ sit audiendi quotidie sacrum, capax materia est gravis obligationis, etiam sub mortali: eò quia mul-

multùm confert ad spiritualem profectum, qui est finis proximus Superioris, quotidiana sacri audientia. Si verò idem præceptum alicui Seculari Universitati poneretur, cùm hujus legislatoris finis bona Collegii moderatio sit potiùs, quàm Spiritualis uniuscujusque profectus; ad quam non videtur adeò necessarium, quòd quilibet sacrum quotidie audiat, puto, quòd non esset secundùm se gravis materia, nisi fortè aliundè aggravaretur.

39. Licet autem Vasquez p. 2. disp. 158. cap. 4. num. 6. cùm aliis doceat, frequentem præceptorum transgressionem de se venialem fieri mortalem, quia multùm videtur obstare fini legislatoris, ac proindè in materiam gravem transire. Sanch. tamen lib. 6. cap. 4. num 21. id non probat, quia nullus ex dictis actibus assignari potest, qui culpam lethalē constituat, nec aliàs ipsi uniuntur ad materiam gravem constituendam, ut benè in minimis furtis contigit. Addit verò, & optimè, quòd, si quis hujusmodi transgressionibus assuetus periculū advertat scandali, vel majoris alterius peccati, tunc sub mortali tenetur, diligentiam adhibere ad talem consuetudinem extirpandam. Cæterùm, secluso scandalo, contemptu, aut periculo, non video, quomodò ità possit per frequentiam aggravari peccatum, ut de veniali fiat mortale.

40. Nota insuper, quidquid aliqui minùs sanè asserant. Quòd stante præcepti obligatione sub mortali, quamvis hic, & nunc una, vel altera hujusmodi præcepti transgressio non multùm bono communi, ac legislatoris intentioni contrarietur; non ideò levis materia cēsenda est: modò transgressio præcepti, ut sic grave damnum importet. V.C. tempore famis, & pænuriæ præceptum erit rigorosum, nè quis frumentum extrà Civitatem asportet; Certè sub mortali obligat: quia valdè conducit, immo necessarium est ad commune bonum: Licet autem, quòd Titius aliquantum frumenti extrahat, non multùm

no-

noceat; non indè tamen à mortali excusatur; nisi fortè adeò parvã asportet quantitatem, quæ de se judicio prudentum parvitas materiæ judicanda sit; & per cõsequens imperfecta præcepti transgressio; aliàs enim verè Titius legem perfectè transgressus est, ac legem sub mortali obligantem, ad quod non requiritur, quòd singulorum observantia utilis valdè sit ad commune bonum per se divisim sumpta; ut sic enim vix daretur lex obligans sub mortali; Sed sufficit, quòd secũdùm se, & in communi sit ad cõmune bonum utilis, ut singuli, sub gravi præcepto servare, teneantur.

41. His præmissis. Prima sit regula generalis. Quandò lex quæcunque illa sit, communi consuetudine, præsertim Ecclesiæ, aut prudentum æstimatione, intelligitur, obligare sub mortali, ità tenendum est. Et idem dic de veniali: Sicut pariter, si ut purè Consiliũ communiter habeatur.

42. Præter hanc verò circa Consilium nulla videtur mihi regula certior dari posse, nisi fortè de se pateat expresse; puta si legislator verbis hujusmodi utatur, suademus, consulimus, aut æquipollentibus; nec alia particula, vel circunstantia ponatur, quæ materiam eandem ad præceptum, vel mandatum trahat; puta, si subderetur. Et volumus, ac mandamus, aut hujusmodi. Vel certè, nisi apertè constet, materiam non esse plùs quàm Consilii, etiam si verbis imperativis explicetur, ut in pluribus apparet Sac. Script. locis; ut illud, *Vendite, quæ possidetis, & date eleemosinam. Si percusserit tè in una max illa, porrige, & alteram.*

43. Secunda regula. Quotiescunque juxtà prænotata materia parva, & levis remanet, quibuscunque verbis, & sub quibus vis pœnis præcipiatur, non obligat ad mortale, quamvis id legislator intendat; eò quia expressè dissonat rectæ rationi. Undè, & hujusmodi pœnæ tantùm comminatoriæ censendæ sunt, nec aliter, quàm Comminatoriè illas imponere potest legislator, aliàs enim lex injusta,

justa, & iniqua esset, ut notat benè Thesaurus de pœnis p. 1. cap. 4. ac proindè, nec vim legis haberet. Ut enim ait August. lib. 1. de lib. Arbtr. cap. 5. *Lex esse non videtur, quæ justa non fuerit*. Et Layman libr. 1. tract. 5. p. 1. cap. 6. num. 2. Censuram nullam, & invalidam esse ob defectum justæ causæ; si videlicet ob nullam, vel levem, & non cōmensuratam culpam feratur. Et infrà meliùs explicabitur.

44. Tertia regula. Quandò materia gravis est, vel ratione circunstantiarum, aut finis à legislatore intenti gravis effici potest juxtà dicta; & constat intentio legislatoris obligādi sub mortali, taliter obligabit; Et pariter si constet, nolle ipsum, plùs quàm ad veniale obligare.

45. Quarta. Si constet intentio legislatoris obligandi sub mortali; & dubium sit, an materia sit gravis obligationis capax; censenda est capax; & lex obligat sub mortali; Quia ut optimè notat Sanchez loco citato n. 46. Tenetur subditus, judicio stare Superioris, nisi oppositum constat.

46. Quinta. Si de intentione legislatoris non constet, pensanda erit legis obligatio potissimū ex materia; ità ut, si gravis sit, censeatur sub mortali obligare; & sub veniali, si multùm non sit gravis.

47. Porrò legislatoris intentio ex duplici capite maximè colligi potest. Primò quidē ex verbis. Pro quo nota breviter, quòd verba sunt in multiplici differentia. Quædam enim de se præceptum important, ut Præcipio, Jubeo, Impero, Edico, Jungo, Prohibeo, Inhibeo, Veto, Interdico, & etiam Mando.

Alia sunt æquipollentia præcepto, ut Debet, Oportet licet de utroque sit difficultas; & Sanchez æstimet, Verbum, *Oportet* absolutè non significare præceptum; & similiter *Debet*; quandoque præceptum non significat. Hoc autem putat Sanchez in triplici tantùm casu. Primò. Si indè sequeretur absurdus intellectus, vel alterius Juris correctio. Secūdò; quandò lex principaliter

liter

liter est in favorem ejus, cui mandatur. Tertiò, quandò illi adjungitur particula importans consilium, puta, *humiliter Debet*.

Item præcepto æquipollent, Obligentur, Teneantur, Necessariò, Non liceat, Non potest, & similia. Verba verò simpliciter Imperativi modi, ut Facite, Faciant, ex Clement. Exivi de Paradiso §. item quia, ver. Nos itaquè, de verborum significatione, expresse habetur, neque continere præceptũ, nec ei æquipollere; Undè benè ait Sanchez, in his attendendam esse consuetudinem, ità ut præceptum importent, vel Consilium juxtà modum, quo consueverunt accipi, vel intelligi in tali lege. Quòd si nil constet de usu, materia spectanda erit; sed ut plurimùm præceptiva non erunt, sed ad summum mandativa.

Sunt denique Verba communia, ut Ordinamus, Statuimus, Volumus, Intendimus, Sancimus, Decernimus, quæ nullam obligationem, putat, inducere, Sanchez; Sed veriùs alii volunt importare obligationẽ saltèm sub veniali, ad differentiam Verborũ de puro Consilio, ut Monemus, Hortamur, Suademus.

48. Certum est ergò in primis, quòd, quibuscunque Verbis feratur lex, si addatur aliquid clarè intentionem significans legislatoris obligandi sub mortali, taliter obligabit. Hujusmodi autem sunt. In Virtute S. Obedientiæ, vel Jurisjurandi præstiti, aut Voti facti. Item; In Virtute Spiritus Sancti, in Nomine, & Virtute Jesu. Non enim videtur probabile, gravibus his verbis uti legislatorẽ, nisi gravem intendat, inducere obligationem. Item sub interminatione gehennæ, vel Divini Judicii. Sub pœna maledictionis æternæ, Indignationis Dei, vel Apostolorum, & hujusmodi, quibus præcipuè Superiores Ecclesiastici uti solent. ...

Et addit Sanchez, quòd, etiam si nequeat, nisi ineptè, Superior jurisdictione carens Spirituali, talibus uti formulis, adhuc tamen, si aliquid ità præcipiat, obligabit sub mortali; quia signum evidens esset, velle

 se-

secundùm totam suam potestatem obligare.

Item omninò dicendum est de quocunque Superiore jubente aliquid cùm addito, strictè, arctè, aut simili; Quæ omnia vera sunt, stante semper materia capaci tantæ obligationis.

49. Dubium est. An quandò in lege ponitur, *sub præcepto*, puta, Jubemus, & injungimus sub præcepto, ipso facto inducat obligationem sub mortali. Negat Sanchez, eo quia preceptũ, nomen est cōmune ad præceptum obligans sub mortali, & sub veniali; Quod quidem Cajetan. etiam ait V. præceptum. Sylv. autem ut suprà notavimus, præceptum intelligit, quod sub mortali obligat, quod enim tantùm obligat sub veniali, mandatum nominat; Undè quod sub præcepto jubetur, sub mortali obligabit.

Quamvis improbabilis non sit sententia Sanchez; puto longè probabiliùs, talem formulã evidens esse signum obligationis sub mortali. Tùm quia, licèt verum sit, Nomen Præceptum stare posse pro obligãte sub mortali, & veniali; antonomasticè tamen exprimit præceptum obligans sub mortali; ut subdit ibi Cajet. Et S. Doct. *p. 2. q. 99. art. 5.* expresè docet; Propriè præcepta dici, quæ pręcisè aliquid præcipiunt, vel prohibent, ut absolutè debitum, quę verò præcipiunt, vel prohibent aliquid, non ut præcisè debitum, sed propter melius, dici mandata. Tùm quia addens legislator hanc particulã, videtur certè, aliquam inducere, velle, majorem obligationem, quam si simpliciter præciperet: Constat autem quòd simpliciter præcipiens obligat sub veniali. Undè majori vi mandans sub præcepto, videtur, velle sub mortali obligare ad legis observantiam. Et quidem apud mè potiùs est, dicere, Jubeo sub præcepto, quàm dicere, strictè jubeo: Et ipse Sanchez tenet de hoc, signum esse obligationis sub mortali.

50. Cæterùm, cùm sæpè Jura, significata confundant, ut advertit Sylv. ac multoties verbis præceptivis utantur in mandatis, & com-

communibus in præceptis; Extrà hujusmodi arctiores formulas, quamvis lex aliis præceptivis utatur verbis, judicanda est, non ampliùs, quàm ad veniale obligare, cùm semper leges benignè interpretandæ sint, ubi non constat de intentione legislatoris; & verba etiam præceptiva ex usu communia sint ad præceptum sub mortali, & sub veniali. Undè benè docet Sayrus Clau. Reg. & cùm illo Diana p. 3. tract. 6. resol. 74. Quoties verba legis intelligi possunt sub veniali, non deberi ad mortalem obligationem extendi. Et Molina tom. 3. disp. 674. n. 6. & seq. apud ipsum Dianam p. 1. tract. 10. Resol. 25. probabile, ait, in dubio, an lex obliget sub mortali, an sub veniali, obligari tantùm sub veniali.

Optime item docet Cajet. V. Præceptum. *Quòd legis præcipuè Ecclesiasticæ intentio est, non injicere laqueos animabus, sed ad ædificationem Corporis Christi Mystici promovere. Et hinc fit, ut non tàm lata multitudo præceptorum obligantium ad mortale in Jure interpretanda sit, nè laqueus multiplicatus contrà Animas censeatur.* Quæ intellige, modò ad aliter judicandum gravitas materiæ non urgeat, aut consuetudo interpretandi legem, vel communis DD. sententia, vel denique apposita pœna, de quà statim.

Sequitur Summarium.

51. *Lex triplex, Præceptiva, Pœnalis, & Mista.*
52. *Pœnæ aliæ spirituales, aliæ temporales, aliæ graves, aliæ leves.*
53. *Aliæ sunt latæ sententiæ, aliæ ferendæ.*
54. *Spirituales pœnæ, quæ graves, quæ leves.*
55. *Item Temporales.*
56. *Lex præcipiens sub gravi pœna, obligat sub mortali.*
57. *Si autem ad pœnam prærequirat monitionem, non est signum evidens obligationis sub mortali.*
58. *Post monitionem aggravatur materia, quæ de se non esset adeò gravis.*
59. *Sæpè graves pœnæ comminatoriæ sunt, nec indicant obligationem sub mortali.*
60. *Quomodò gravis pœna justè infligatur Carcerem*

Lll 2 *fran-*

frangentibus, fugiendi causa?

61. *Pœna gravis temporalis disjunctivè imposita non est signũ obligationis sub mortali.*

62. *Nec etiam, si non per modum pœnæ, sed pretii, vel conventionis imponatur.*

63. *Levis pœna nunquam est signum gravis culpæ.*

64. *Dari non potest lex purè pœnalis excommunicationẽ majorem infligens, sed hoc ipso præceptiva est.*

65. *Lex purè pœnalis nullam aliam supponens ad culpam non obligat.*

66. *Leges benigniùs interpretandæ sunt.*

67. *Votum purè pœnale non ad culpam, sed solam pœnã obligat.*

68. *Idem dicendum etiam de pœnis spiritualibus, excepta majori excommunicatione.*

69. *In praxi nunquam, vel raro, pœna gravis, etiam temporalis, incurritur absque culpâ exceptâ pœna pecuniaria.*

70. *Immo, nec ipsa pœna pecuniaria.*

71. *Lex purè pœnalis aliam supponens, obligat ad gravem, vel levem culpam juxtà pœnæ qualitatem.*

72. *Potest lex humana, obligare in foro conscientiæ antè sententiam Judicis ad pœnam passivam, seù privativam.*

73. *Hoc autem, nisi aliter in Jure disponatur.*

74. *Secùs dicendum de pœnâ activâ requirẽte propriam puniendi actionem, nisi fortè sit quid leve.*

75. *Illam tamen subire, tenetur Reus, post sententiam Judicis, dùm actio commodiùs ab ipso Reo exercetur.*

76. *Secùs dùm actio commodiùs à Judice, vel Ministris.*

77. *Violentam, & gravem pœnam, Judex, præcipere, non potest, ut sibi Reus inferat.*

78. *Iniquè ageret Judex, præcipiendo Filio, ut Parenti necem inferret; Neque potest quis, ad acerbiorem vitandam, sibi, vel Parenti mitiorem inferre.*

79. *Judex inferior tenetur, pœnam à lege taxatam imponere; Superior verò ex rationabili causa potest, in toto, vel in parte remittere.*

51. No-

51. NOtandum priùs, quòd lex triplex eſt, alia præceptiva, quæ ſimpliciter aliquid imperat, vel prohibet, puta, Non occides. Alia purè pœnalis, quæ nihil præcipit, ſed ſimpliciter pœnam injungit, puta, occidens alium capitè plectatur. Alia deniquè mixta, quæ aliquid præcipit ſub certà pœna, puta; Nullus arma portare præſumat ſub pœna capitis.

52. Nota item, quòd pœnæ aliæ ſunt ſpirituales, ut excommunicatio, aliæque Eccleſiaſticæ cenſuræ. Aliæ temporales, ut pœna mortis, flagellationis, privationis bonorum temporalium. Et ex utriſque aliæ ſunt graves, aliæ leves.

53. Item aliæ ſunt latæ ſententiæ, cum lex præcipit, ut ſtatim abſque alia Judicis ſentētia tranſgreſſor pœnam jncurrat: Quæ ſolent ferri. V. G. Qui id fecerit, ſit ipſo facto, ipſo jure, vel eo ipſo excommunicatus; vel nunc, pro tunc excommunicamus; vel ſtatim excommunicatus exiſtat, aut quid ſimile. Et præcipuè, ut notat Theſaurus de Pœnis p. 1. cap. 3. Verbum *Incurrere*, quomodocunq; ponatur, denotat latam ſententiam, eò quia de ſe Verbum eſt directum, hoc eſt directè pœnam importans, nec requirens factum, vel opus hominis.

Aliæ verò ſunt pœnæ ferendæ ſententiæ, dùm lex pœnam taxat infligendam per ſententiam Judicis, cujuſmodi ſunt, ut plurimùm, omnes pœnæ, dùm lex prędictas clauſulas; latam ſententiam indicantes non apponit. Dixi autem, ut plurimùm, quia, ut ibidem notat Theſaurus, aliquandò pœna verbis obliquis, vel communibus impoſita, eſt latæ ſententiæ, quia ex aliquo alio addito ipſa Verba determinantur, ſeù trahuntur ad ſenſum directum. Quòd, ſi dubium occurrat, an aliqua pœna ſit latæ, vel ferendæ ſententiæ, debet intelligi, eſſe ferendæ juxtà regulam Juris. *In pœnis benignior eſt interpretatio facienda.*

54. Porrò ſpirituales pœnæ graves ſunt, in primis Excommunicatio Major, & in veriori ſententia etiam ſu-

ſuſpenſio, Interdictum, & Irregularitas, quando, ut pœna delicti, infligitur. A fortiori graves erunt Depoſitio, & Degradatio. Item privatio Eccleſiaſticæ Sepulturæ. De privatione vocis dic, ut infrà de pœnis temporalibus.

Pœnæ verò ſpirituales leves ſunt, excommunicatio minor, & ſuſpenſio, ac Interdictum alicujus ſpecialis actus ad breve tempus. Ubi nota, quòd Suſpenſio, & Interdictum duo requirunt, ut leves pœnæ cenſeantur, primò, quod non ſint generales, puta ſuſpenſio ab omni ſpirituali Officio, vel ab omni Eccleſiaſtico Beneficio, & multò magis ab utroque ſimul, ſed tantùm ab aliquo actu particulari, puta à Collatione Ordinum, vel ab aliqua diſtributione. Secundùm, quòd etiam hujuſmodi ſuſpenſio partialis, vel Interdictum ab aliquo actu, puta à ſuſceptione Euchariſtiæ, non ſit perpetua, ſed ad breve tempus: aliàs graves eſſent pœnæ.

55. Temporales pœnæ graves ſunt, Mortis, Mutilationis, Publicæ infamiæ, Flagellationis, ex quà publica oriatur infamia, damnationis ad Triremes, Exilii perpetui, vel ad tàm longum tempus, ut ferè perpetuum reputetur. Idem dic de perpetuo Carcere, vel ad longum tempus; Confiſcationis, vel amiſſionis omnium bonorum, aut maximæ ipſorum partis. Idem dicerem de aliquibus pœnis pecuniariis magnæ ſummæ. Item pœna Carceris etiam ad breve tempus gravis pœna cenſenda eſt in Communitatibus, in quibus pro magno habetur dedecore; ut in Religionibus; Quibus omnibus addo privationem ſuffragii, ſeù vocis activæ, vel paſſivæ, & multò magis utriuſque ſimul, etiam quòad ſæcularia; & intellige de abſoluta privatione, non pro una, vel altera vice. Demùm gravis etiam pœna eſt privatio Beneficiorum, & Amiſſio publici muneris, ac Miniſterii. quod limitat Sanchez, quandò tale Munus eſt Magni momenti, ut indè gravis infamia oriatur: Et ego addo etiam quòad Beneficia, quandò ſunt beneficia, ſeù Mini-

Ministeria tanti emolumenti, ut privatus grave subeat incommodum, ac proindè talis privatio æquivaleat gravi pœnæ pecuniariæ.

Leves pœnæ temporales erunt Carcer, vel Exilium ad breve tempus; pecuniaria non magnæ summæ; Privatio beneficii, vel muneris non magni momenti; Sic Vocis pro unà, vel alterà vice. Quæ omnia, prudentis erit, in singulis casibus ponderare secundùm exigentiam circunstantiarum: His positis.

56. Dicendum primò. Quotiescunque lex aliquid præcipit sub gravi pœna, sivè spirituali, sivè temporali, sivè latæ, sivè ferendæ sententiæ, obligat sub mortali. Cùm enim pœna pro sola culpa infligatur, illique proportionari debeat, injusta, & iniqua esset lex, quæ pro levi, ac veniali culpa gravem pœnam infligeret. Nec aliquid facit, quòd pœna sit ferendæ sentẽtiæ, nam statim post transgressionẽ absque aliâ culpâ justè infligi potest à Judice, non autem justè, si culpæ non esset pœna commensurata.

57. Verum tamen est, quòd, si lex ad pœnam infligendã prærequireret monitionem, vel etiam si explicitè id lex non statueret; communis DD. sententia ita legem intelligeret; tunc signum evidens non esset, legis transgressionem esse lethalem, nisi post monitionem, sed absolutè gravis, aut levis judicanda esset juxtà regulas traditas, præcipuè ex materiâ.

58. Ubi nota, quòd materia, quæ de se gravis admodùm non est, ac perindè gravis pœnę incapax, gravis, & capax redditur post monitionem, quia non obtemperans, monitioni resistendo, Superiorem, & legem contemnere videtur, vel certè, licèt ex parte ipsius contemptus formalis non sit, ejus tamen inobedientia in legis, ac Superioris majorem cedit contemptum, & aliorum scandalum.

59. Ex quibus colligit Sanchez num. 53. sæpè excusari à mortali Clericos, quibus, passim Judex Ecclesiasticus, sub excommunicationis pœna aliqua pręcipit,

pit, quæ admodùm gravia non sunt, nec necessaria, ut precibus interesse, coram se comparere, & similia, talesque comminationes potiùs esse ad terrorem.

60. Quòd si, ut alicui objectioni satisfaciamus, flagellationis pœna v. gr., quam inter graves connumeravimus, vel fortè alia etiam gravior, justè reis imponatur effringentibus carceres fugiendi causa; Cùm tamen probabilis opinio illos à culpa excuset, de quo non est hîc nobis disputandum; Id est, vel quia lex in talibus culpam supponit, vel quia sequitur opinionem asserentem, esse culpam lethalem. Vel deniquè, fortè meliùs, quia, & si talis pœna sivè culpa infligatur, non tamen sinè justà causa, puta in præsidium, actu tamen publicę custodiæ, quod utique fieri potest, teste D. Thom. 2. 2. *q.* 108. *art.* 4. & regula, sinè culpa, de reg. juris in 6. Hujusmodi tamē pœna, quæ culpam non supponit, propriè pœna non est, sed pœnalitas quædā ad commume bonum justè taxata, ut infrà statim explicabimus. Cæterùm dùm lex aliquid præcipit, & transgressioni gravem pœnam statuit, cùm ex hoc ipso, quòd præcipit, ad culpam obliget, ex gravi pœna, gravis quoque culpa manifestè colligitur.

61. Conclusio ista de spirituali pœna universaliter vera est. De temporali verò duplicē patitur exceptionem, seù potiùs explicationem. Et primò potest lex aliqua disjunctivè ferri, puta faciat hoc, vel talem subeat pœnam. Tunc ergò licèt pœna sit gravis, non indè gravis culpa colligitur, immò nulla ex vi talis legis, ut enim habetur in regula; 1. in alternativis de reg. juris in 6. *In alternativis electio est debitoris, & sufficit alterum adimpleri*, quarè subditus pro libito poterit, vel opus injunctum implere, vel pœnam subire. Et intelligite, ex vi talis legis; nam, si aliàs pœna in infamiam cederet, vel grave damnum corporis, puta mutilationis, jam ex hoc ipso contrà naturæ legem peccaret, quā suam famam, & corpus, quisque servare, tenetur.

62. Se-

62. Secundò excipitur: Sì pœna imponeretur, non per modum pœnæ, ſed potiùs per modum pretii, vel conventionis, puta, ſi quis equitare voluerit, tantùm ſolvat; tunc enim pœna nullius culpæ ſignum eſt, nec pœna propriè dici poteſt. Quarè duplex hæc limitatio videtur, ſolùm in pecuniariis locum habere; & juxtà mox dicta concluſio univerſalis erit, etiam quòad pœnas temporales, quæ verè pœnæ ſint; nam utraquè hæc pœna propriè pœna nõ eſt, prima ſiquidẽ, pœnalitas quædam erit; ſecunda pretium ex conventione inter Principem, & Subditos.

63. Dicendum ſecundò; Pœnam levem, quæcunque illa ſit, nunquam ſignum eſſe gravis culpæ, ſed levis, aut nullius juxtà doctrinam in explicatione præced. Cõcluſ. traditam, & infrà tradendam circà quartam.

64. Dicendum tertiò. Dari non Poſſe legem purè pœnalem, quæ pœnam Excõmunicationis majoris infligat. Quarè, licèt aliquandò legis pœnalis modo promulgetur; ex hoc ipſo etiam præceptiva eſt; Quia Excõmunicatio major peccatum omninò mortale ſupponit; ergò lex pœnã Excommunicationis majoris imponens, vel jam lethaliter criminoſum ſupponit opus, vel ſub præcepto prohibet, ità ut ipſum eliciens mortaliter peccet; puta, ſi lex talis eſſet. Qui arma portaverit, excommunicatur; ex hoc ipſo prohiberet ſub mortali armorum delationem. Et idem dic de præcipiente aliquid ſub Excommunicatione.

65. Dicendum quartò. Lex purè pœnalis nullam aliam ſupponens ad nullam culpam obligat. Probatur iſta Concluſio. Poſſunt dari, & defactò dantur hujuſmodi leges purè pœnales ad nullam culpam obligantes, ut patet de Conſtitutionibus Ordinis Prædicatorum, & in ſententia probabili de lege pœnam ſtatuente Reis ad fugiendum, Carcerem effringentibus: ergò defactò tales ſunt omnes leges, quæ nihil præcipiunt, vel prohibent. Probatur conſequentia; Nam lex intantùm obligat, inquantùm le-

legislator intendit, ut suprà notavimus; at hoc ipso, quòd legislator solam pœnam statuat, manifesta videtur ejus intentio nō obligandi ad culpam, sed ad solam pœnam; ergò talis lex non aliter obligat. Probatur minor. Nam, ut modò supponimus, ejus intentio ad culpam obligandi non constat; si enim constaret, nulla esset difficultas; sed potuit, ac defactò, ut plurimùm, ità contingit; uti verbis præceptivis obligationem ad culpam indicantibus; ergò, si talibus usus non est, sed solis pœnam exprimentibus, manifesta videtur ejus intentio non obligandi ad culpam, sed ad solam pœnam.

66. Eò vel maximè, quòd leges benigniùs interpretandæ sunt, præcipuè, dùm nil incommodi commune bonum indè patitur; & ut suprà ex Cajet. notavimus, cùm quo sentit Armilla. Non tàm lata præceptorum ad mortale peccatum obligantium in Jure, facienda est interpretatio, nè laqueus multiplex Animabus paretur.

67. Adde, quòd Votum, quod lex particularis est, & generali conformatur, si purè sit pœnale, non ad culpam, sed ad solam pœnam obligat, puta, Vovens, non manducaturum eà die, si luserit, ludendo, non peccat, contrà Votum adminùs, tenetur benè, illâ die abstinere.

68. Et quidem hæc omnia intelligo de pœnis etiā spiritualibus, exceptâ majori Excommunicatione; alię siquidem, puta Suspensio, Interdictum, Irregularitas, solâ veniali culpâ incurri possunt, ut benè docet Cajet. 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. circà solutionem secundi argumenti, & in summa V. Præcepti transgressio; licèt Sanchez asserat, & nos cùm illo, graves, & gravissimas esse pœnas; ac proindè, cùm, ut pœnæ imponuntur, nisi pro gravi culpa, nequeunt imponi. Cùm autem non ità essentialiter mortalem culpam supponant, nil obstat, quin etiam absque culpa imponantur; non quidem, ut pœnæ, sed ut pœnalitates ad publicū bonum, ut de temporalibus di-

dictum est. Hæc quòad doctrinam, & ex vi legis purè pœnalis.

69. In praxi tamen, puto nunquam, vel rarò gravem incurri pœnam, etiam temporalem absque lethali culpâ, quantumvis purè sit pœnalis lex illam infligens. Nam graves pœnæ, vel grave damnum Animæ, vel Corporis, vel famæ secùm afferunt, ut patet, discurrendo per singulas, exceptâ pecuniariâ, quam faciliùs, crederem, posse incurri sine culpâ. Nemo autem absque gravi culpâ voluntariè potest, se gravi damno Animę, Corporis, aut famæ subjicere. Excipi quoque fortè potest Irregularitas respectu Sæcularium, vel Clericorum non in sacris. His enim non videtur Irregularitas tam grave dedecus afferre, nec ex alia parte susceptionem impedit sacramentorum, præter ordinem. In constitutis autem in sacris non parva censetur ignominia, cùm jam irrevocabiliter Ecclesiasticæ sint militię adstricti; ab executione suorum ordinum, & majorum susceptione impediri.

70. Addo insuper de pœnâ pecuniariâ duplicem limitationem. Primam quidem, si quis Filios, aut Parentes habeat, quibus jure subvenire, teneatur, ac ex hujusmodi pœnâ grave ipsis quoque proveniret incommodum. Secundam ex naturâ ipsius actus; licèt absolutè sit bonorum Dominus, non tamen ipsi licet, bona sibi à Domino Dominorũ credita prodigaliter dissipare.

71. Dicendum quintò. Lex etiam in se purè pœnalis aliam tamen legem supponens, obligat ad gravem, seù levem culpã juxtà pœnæ qualitatem, vel potiùs talis obligationis in lege, quam supponit, signum est. V. G. lex est prohibens armorum delationem, accedit postmodùm alia lex præcisè pœnam statuens arma portantibus; siquidem hæc pœna gravis est, puta, mortis, exilii perpetui, designat legem prohibentem obligare sub mortali. Quòd, etsi priùs dicta lex fortè acciperetur, tanquam nõ obligans plùs, quàm ad veniale; per adventũ legis gravem pœ-

nam ſtatuentis, ejus ampliatur obligatio. Et hoc ideò quia hæc nova lex eſt modificatio prioris, cui pœnam adjungit, quarè injuſta eſſet, ſi levi culpæ gravem taxaret pœnam. Si vero pœna levis imponatur, ex vi legis tantùm venialem induceret obligationem, niſi aliundè juxta regulas traditas obligaret ſub mortali. Pœna ſiquidem non debet culpam excedere: nil tamen obſtat, quin poſſit benignè legislator, pro culpa etiam gravi levem taxare pœnam.

72. Ex quò autem jam plura dicta ſunt de lege pœnali, aliqua hic addamus quæ de eàdem tradi ſolent. Et primò quæritur. An lex pœnalis latæ ſententię obliget in foro cõſcientiæ Tranſgreſſorem ad ſubeundam pœnam, etiam antè Judicis ſententiam? Ad quod reſpondetur breviter cùm Gonet. Clyp. *de leg.* diſput. 6. art. 2. Poſſe utique legem humanam, antè ſententiam Judicis obligare in foro cõſcientiæ ad quamcunque pœnam paſſivam, ſeù privativam, hoc eſt, quæ nullam exigit rei actionem ad ejus executionem. Ac de facto ità obligāt omnes pœnæ latæ ſententiæ; niſi aliter diſponatur in Jure. Patet id in pœnis Excommunicationis, Suſpenſionis, Interdicti, & Irregularitatis, quæ ſi latæ ſint ſententiæ, tenetur quilibet, abſque alia Judicis ſententia à prohibitis per illas abſtinere.

73. Dixi autem, niſi aliter in Jure diſponatur: quia ſic defactò diſponi poteſt; ut in Ordine Prædicatorum expreſsè habetur in Prologo Conſtitutionum, ubi ſic dicitur. *Pœnis tamen abſolutionis ab officio, privationis Vocis activæ, vel paſſivæ, gravioris culpæ, & aliis majoribus, quantumcunque, tam in Conſtitutionibus, quàm extrà, ipſo facto ſint incurrendæ, niſi ſit pœna Excommunicationis latæ ſententiæ; Nullus ſit ſubjectus, niſi ſuperveniat declaratio Prælati in particulari reſpectu hujus, quantumcunque etiam notorium facti, vel Juris, aut utriuſque interveniat.*

74. Si verò pœna ſit activa, ſcilicet requirens ad ſui executionem actum proprium ipſius puniendi, proba-

babilius est, non posse humanam legem, obligare ad subeundam illam antè Judicis condemnationem, vel sententiam, saltèm declaratoriam, nisi fortè sit aliqua pœna levis, ut apud Religiosos fieri solet. Patet hoc, nam aliàs nimis dura esset lex, ac intolerabilis, & non secundùm, sed potiùs contrà naturam, ipsa enim naturalis inclinatio abhorret, ac refugit à pœna: Tùm quia pœnam infligere, non est Rei, sed Judicis, vel Ministri publici; sufficit autem Reo, si his, quæ Rei sunt, subjiciatur, scilicet pati justam pœnam. Undè S. D. *2. 2. q. 62. art. 3.* ait: *Quantùm ad culpam adhibetur remedium per pœnam, cujus inflictio pertinet ad Judicem; Et ideò, antequam sit condemnatus per Judicem, non tenetur, restituere plùs, quàm accepit sed postquàm condemnatus est tenetur, pœnam solvere.*

75. Post sententiam verò Judicis tenetur in Conscientia Reus, pœnam subire, quæ ad sui executionem actionem exigit, quæ commodiùs exercetur ab ipso Reo; puta condemnatus ad exilium tenetur, egredi è Regno, vel Civitate; Vel condemnatus ad certam summam, illam solvere. Hic tamen posset, nisi Judex in sententia decerneret, ut statim absque alia petitione, aut instantia solvat: posset, inquam expectare, ut petatur, modò sit promptus ad solvendũ; Sic enim æquitas dictare videtur.

76. E contrà non tenetur, pœnam subire, ad cujus executionem actio requiritur, quæ commodiùs exercetur à Judice, vel Ministris, quàm à Reo. Hujus enim, ut dictum est, proprium est, pati, non agere. Posset nihilominùs Judex præcipere, ut sibi ipsi Reus hujusmodi pœnam inferret, quæ tamen violenta non esset, neque gravis, puta ut suis manibus disciplinam sumat, vel aliquam levem, & nõ ignominiosam flagellationem.

77. Cæterùm violentam pœnam, & gravem, nec Judex præcipere potest, ut Reus inferat sibi ipsi, puta mortem, mutilationem, veneni potionem, & hujusmodi. Esset enim id crudelitatis genus. Undè S. Thom.

2. 2.

2. 2. *q. 69. art. 4. ad secundum. Nullus ità condemnatur, quòd ipse sibi inferat mortem, sed quòd ipse mortem patiatur, & ideò non tenetur, facere id, undè mors sequatur, tenetur tamen, non resistere agenti, quin patiatur, quod justum est, eum pati. Sicut etiam, si aliquis sit condemnatus, ut fame moriatur, non peccat, si cibum sibi occultè ministratum sumat, quia non sumere, esset seipsum occidere.* Ex quibus ultimis verbis colligit optimè Gonet. citata disp. art. 3. Condemnatum, ut fame pereat, non solùm non peccare, sumendo cibum sibi oblatum, sed teneri ad sumendum, cùm nemini liceat, seipsum occidere.

78. Collige insuper cum eodem art. 3. Non posse Judicem, præcipere, ac si præciperet, iniquè, filium Parenti mortem inferre, quamvis justissimè promeritam; quia natura ipsa inhumanitatem hanc satis abhorret. Immo nec sibi, nec Parenti ad vitandam acerbiorē, mitiorem, posse quempiam, inferre, puta per venæ abscissionē. Potest benè quasdam actiones, quæ remotè ad mortem, vel aliam pœnam cooperantur; putà scalam ad supplicium conscendere, linguam pręcidendam offerre; hujusmodi enim commodiùs, & laudabilius ab ipso Reo, spontè cōplentur, & nolle, prædicta facere, nisi vi, quædam potiùs resistentia esset justæ sententiæ.

79. Collige demùm, Judices inferiores potestatem non habentes dispensandi in legibus, in conscientia teneri, legem Transgredientibus pœnam lege taxatam imponere. Judex enim ad hoc instituitur, ut per legum observantiam commune bonum conservet; Undè cap. in istis d. 4. *In istis temporalibus legibus, quanquàm de his homines judicent, cùm eas instituunt, tamen cùm fuerint institutæ, & firmatæ, non licebit Judici, de ipsis judicare, sed secundùm ipsas.* Superior tamen poterit, in toto, vel in parte remittere, quia, & in lege dispensare, potest, ex rationabili causâ.

Et hæc sufficiunt, plura de hujusmodi legibus apud Authores videnda, relinquen-

quendo, & inter ipsos Thesaurum de Pœnis Ecclesiasticis.

§. IV. *De Consuetudine, & Privilegiis.*

SUMMARIUM.
De Consuetudine.

1. *Consuetudo est Jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cùm deficit lex.*
2. *Conditiones, ut Consuetudo vim legis obtineat.*
3. *Consuetudo abrogare, potest legem.*
4. *Consuetudo optima legum interpres.*
5. *Nisi justa sit, & rationabilis, abusus est, & corruptela. Undè vim non habet contrà legem Divinam, vel Naturalem.*
6. *Ut vim habeat, requiritur personalis, aut legalis Principis consensus, expressus, vel præsumptus.*
7. *Consuetudo novæ legis introductiva, vel jam latæ, purè interpretativa statim vim obtinet post rationabiliter præsumptum Principis consensum.*
8. *Consuetudo verò contrà legem, probabile est quòd requirat præscriptionis tẽpus.*
9. *Probabiliùs videtur, non requiri.*
10. *Si requiritur, solùm prò foro externo.*
11. *Adhuc in foro conscientiæ differentia est inter Consuetudinem legis usu receptæ derogativam, & non usum legis de novo promulgatæ.*
12. *Justa, vel injusta punitio vim habet novæ promulgationis.*

2. Aliqua insuper considerand a sunt specialiter de Consuetudine, ac Privilegiis. Consuetudo igitur, ait Isid. & refertur cap. Consuetudo d. 1. *Est jus quoddam moribus institutum, quod pro lege sumitur, cùm deficit lex*. Cùm autem lex tripliciter deficere possit; primò cùm non est; secundò cùm est inutilis; tertiò cùm dubia, vel obscura, ad supplendum hunc triplicem defectum Consuetudo pro lege suscipitur: Undè vim legis habet, legis est abrogativa, & demùm interpretativa.

Quòad primum cap. in his

his dis. 11. Sic habetur. *In his rebus, de quibus nihil certi statuit Divina Scriptura, Mos Populi Dei, & instituta majorum, pro lege tenẽda sunt, & sicut prævaricatores divinarum legum, ità contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum coërcendi sunt.*

2. Sicut autem lex, ità, & Consuetudo, ut vim legis obtineat, habere debet primò proportionatam materiam, scilicet rationabilem. Secundò potestatem introducendi jus obligans; undè necessarius videtur adminùs tacitus Principis, vel Superioris consensus; præcipuè quòad Communitates, quæ liberæ non sunt, sed Principi subjectæ. Tertiò voluntatem se obligandi. Quartò manifestationem ipsius voluntatis, quæ non tàm per verba, quam per facta in consuetudinibus habetur; ut enim inquit Julianus l. de quibus ff. de legibus. *Quid interest, suffragio Populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis, & factis?*

3. Indè sequitur secundum; Cùm enim lex nova prioris obligationem tollat, si ei repugnet: Ità, si Consuetudo vim legis habet, poterit, contrariam legem abrogare; undè citata l. de quibus, expresè habetur: Rectissimè receptum esse, ut leges non solùm suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur: hinc plura sunt in utroque Jure, quæ per desuetudinem jam nullam habent vim obligatoriam.

4. Tertium deniquè habetur cap. Cùm dilectus de Consuetudine, ubi dicitur. Consuetudo *optima legum interpres*; Nec certè meliùs vera potest haberi legis intelligentia, quàm per communem hominum sensum consuetudine ipsa manifestatum.

5. Ex conditionibus porrò assignatis, deducitur quidem ex prima, quòd, nisi Consuetudo justa sit, & rationabilis, ac proindè circa bonum, Consuetudo dicenda non est, sed abusus, & corruptela, Undè *nulla consuetudo, vim legis obtinere potest contrà legem Divinam, vel legem naturalem*, inquit S. Doct. *p.2. q. 97. art. 3. ad primum*.

6. Se-

6. Secunda item conditio necessaria est; Cùm enim lex à potestatem habente procedere debeat, & potestas legislativa non sit in populo, sed in Principe, aut Prælato; ut Consuetudo vim obtineat legis; ejusdem requiritur authoritas, quæ nō, nisi per ipsius Consensum, haberi potest. Duplex autem est Principis consensus, Personalis videlicet, quandò per se immediatè consentit expresè, vel tacitè; Et legalis, seù juridicus, dùm ipse, vel ejus Prædecessores legem aliquam tulerunt, quâ ipsa Consuetudo approbatur.

Et quidem, si adsit Principis, aut legislatoris consensus legalis, vel etiam personalis expressus, dubium non est, quòd Consuetudo sufficienter introducta, per uniformem scilicet actuum frequentationem, statim vim legis habet, vel etiam priorem legem abrogandi. Hujusmodi enim consensus æquivalet omninò legi latæ ab ipso Principe.

7. Restat verò non modica difficultas, quandò non adest, nisi tacitus, vel præsumptus consensus. In quo distinguendum, puto, vel enim Consuetudo est purè novæ legis introductiva, vel jam latæ interpretativa, vel demùm legis derogativa, seù abrogativa. Si novæ legis introductiva est, vel purè interpretativa legis jam latæ, ità ut, nec in toto, nec in parte illi, aut alteri legi præjudicium inferat; post consensum Principis rationabiliter præsumptum, dicerem, vim legis obtinere; nec aliud tempus expectandum juxtà regulas præscriptionis. Ideò enim in præscriptionibus justè determinatum assignatur tempus; quià per ipsas læditur Jus alterius, quò spoliatur per legem præscriptionis: Undè non fuisset æquum, legitimum Dominum jure suo privare, ni congruum illi tempus daretur; quò commodè posset, propriæ indemnitati providere. Cùm autem in hujusmodi Consuetudinibus nemo lædatur, immò potiùs commune bonū juvetur, supposito, quòd rationabiles sint, ut esse debent, non videtur lex ipsa præscriptionū locū habere.

8. Si vero Consuetudo sit contrà legem, satis probabile videtur, ut vim obtineat legis, necessarium esse tempus ad præscriptiones determinatum; ac proindè, ut Consuetudo vim legis obtineat contrà legem Civilē, requiri decennium, contrà legem Ecclesiasticam quadraginta annorum spatium; & contrà Summi Pontificis, vel Ecclesiæ Romanæ jura centum annorum.

9. Sed non minùs probabilis, immò probabilior videtur aliorum sententia, quòd absolutè nullum requiratur determinatum tēpus. Legis enim derogatio, vel abrogatio per Consuetudinem propriè dici non potest præscriptio. Hæc enim legitimi Domini prioris cōsensum non exigit, immo nec ejus notitiam, undè, nisi præscriptionis lex aliter disponeret, injuriam pateretur, & rationabiliter esset invitus, dùm se propriâ re, ac jure privatum cognosceret. At verò Consuetudo vim recipit à consensu saltèm implicito legislatoris; Undè nullam patitur injuriam, nec rationabiliter invitus esse potest.

Quòd si quandoquè Consuetudo contrà legem possit ipsum latere, quamvis præsumatur sciens; id tamen esse non potest, nisi ex ejusdem negligentiâ, & injuriâ. Debet enim Consuetudo etiam in hac sententia manifestam adeò habere actuum frequentationem, ut facilè notitia possit ad legislatorem, ac Principem devenire; sivè immediatè, sivè per proprios Judices, ac Ministros. Ipseque tenetur ex proprio munere, per se, vel per idoneos Ministros invigilare ad legum observantiam; nè leges in laqueum sint, non in directionem Subditorum.

10. Propter quod fortè DD. etiam præscriptionis tempus requirentes, & præcipuè Gonet disp. 7. de leg. art. un. addunt. Hoc requiri quidem in foro externo. Cæterùm in foro conscientiæ, tutò posse quemlibet, Consuetudinem sequi, dùm taliter fuerit introducta, ut pleriquè probi etiam, & cordati Viri non dubitent, illi se conformare.

11. Ego insuper adverten-

tendum censeo, magnam esse differentiam, adhuc in foro conscientiæ, inter Consuetudinem legis jam usu receptæ derogativam, & non usum legis de novô promulgatæ. Ista namque completam adhuc non habuit vim obligandi in actu secûdò, quarè non mirum; Si Principe sciente, per duos, vel tres actus in contrarium, ut supra diximus n. 6. censeri quandoquè possit usu non recepta, nec obligatoria. Lex verò jam usu recepta totam completè vim suam habet; undè ad illius obligationem impediendã, etiam in solo conscientiæ foro, tantã requirit actuum frequentationem, etiam Principe sciente, & non puniente, dùm possit commodè, ut communis Consuetudo censeri meritò possit. In quò spectanda erit qualitas materiæ, & occasio frequentationis actuum proportionabiliter ad ea, quæ suprà diximus de legis acceptatione.

Quãquàm enim Princeps malè faciat, non puniendo Transgressores, dùm commodè potest; præbet enim cæteris aditum ad peccandum liberè contrà legem; Nemo tamen ab ejus transgressione excusatur; modò sufficienter Consuetudo introducta non fuerit; quia lex adhuc in suo robore perseverat; Cùm illi derogatũ non sit. Postquàm verò sufficienter Consuetudo invaluit, illam sequentes non peccabunt.

Attamen puto, quòd etiam post hujusmodi Consuetudinem, si Princeps verbô, vel factô reclamet; puta Transgressores puniendo, talis reclamatio vim habeat novæ promulgationis. Ad hoc enim promulgatio requiritur, ut lex ad subditorũ notitiam pervenire possit, parùm autem interest, an hoc, vel illô modô publicetur. Quarè tunc legem transgredientes primò, peccabunt, excusabuntur cæteri juxtà superiùs dicta de acceptatione per usum.

12. Et nota, quòd in sententiâ non requirente præscriptionis tempus, neque justè posset Princeps, punire Transgressores, nisi priùs legem iterùm promulgando, at nihilominùs ju-

sta, vel injusta punitio satis utiquè intentionem ipsius obligandi ad observantiam ostenderet. At verò in sententiâ tempus requirente, quamvis post sufficienter introductam Consuetudinē excusarētur legis transgressores, justè posset Princeps etiam per pœnas ad observantiam cogere, quia lex adhuc in sua vi permanet, saltèm in foro externo. Undè in istâ sententiâ post hujusmodi reclamationem ad excusandos cęteros non sufficeret regula tradita de non acceptatione, sed iterùm necessaria erit cōmunis Consuetudo, quam hìc requirimus ad hoc, ut lex jam usu recepta obligare desinat saltèm in foro Conscientiæ. Et hæc de Consuetudine.

Sequitur Summarium. De Privilegiis.

13. *Privilegium est lex privata speciale aliquid indulgens.*
14. *Dividitur in Reale, & Personale.*
15. *Item in Gratiosum, Remunerativum, & Conventionale.*
16. *Item in Locale, & Generale.*
17. *Item in Favorabile, & Odiosum.*
18. *Item in Affirmativum, & Negativum.*
19. *Privilegium per modum legis, & statuti generalis requirit sufficientem promulgationem.*
20. *Ad Privilegium per modum rescripti alicui Personæ, vel particulari Communitati sufficit acceptatio Privilegiati.*
21. *Quamvis jus acquiratur statim post acceptationem, ad usum licitum, & validum requiritur acceptationis notitia; si actus usus de se aliàs esset illicitus.*
22. *Solus potest, Privilegia concedere, qui potest, legem condere; ità & Consuetudo.*
33. *Non potest, absque rationabili causa concedi, & peccaret aliàs concedens, purè tamen Favorabile valeret.*
24. *Nec licitè, nec validè conceditur absque causa Privilegium Odiosum.*
25. *Concedens absque causâ Privilegium Favorabile non excedit legitimam potesta-*

testatem, licèt eâ malè utatur.

26. *Odiosa Privilegia præsumuntur non de voluntate Principis, nisi causa exprimatur, vel non sint motu propriò, & ex certâ scientiâ: Subreptitia nulla sunt, etiam purè Favorabilia.*

27. *Obscura quomodò intelligenda?*

28. *Quomodò latè, vel strictè interpretanda?*

29. *Non valent contrà Constitutionem, Consuetudinē, vel sententiam, nisi de bis fiat mentio.*

30. *Privilegium Odiosum cessat, cessante causa.*

31. *Non tamen, si Privilegiarius jam perfectum, & consummatum jus in rem acquisierit.*

32. *Cessare quoquè Favorabilia, cessante causa, probabiliùs est.*

33. *Privilegium ad periculum evitandum concessum, cessat, cessante periculo.*

34. *Si causa non fuerit absoluta, & motiva, sed impulsiva, eâ cessante, potest admitti, quòd Favorabile non cesset.*

35. *Privilegium continens gratiam factam, non expirat morte concedentis, benè verò continens gratiam faciendam. Quod limita, si Privilegium concedatur in gratiam ejus, qui possit, aliis gratiam facere.*

36. *Purè Favorabilia non cessant per non usum, benè odiosa per tempus præscriptionis.*

37. *Cessat Privilegium per renuntiationem, si acceptetur.*

38. *Limita, si consistat in remotione alicujus impedimenti, vel Censuræ, vel si per dolum fuerit extorta renovatio, vel in aliorum cedat præjudicium.*

39. *Quomodò per unicum etiam actum contrarium Privilegium possit amitti?*

40. *Quomodò amittatur per delictum.*

41. *Privilegium Gratiosum ad concedentis voluntatem revocari potest. Onerosum verò, & Conventionale per se irrevocabile est, licèt possit ratione cōmunis boni.*

42. *Quomodò revocatio Privilegii fieri possit?*

13. QUòad Privilegia, ut habetur cap. Abba-

Abbate, de verborum significatione. *Privilegium est lex privata, speciale aliquid indulgens*: Habet enim, sicut lex, stabilitatem, quà non expirat cùm morte concedentis. Cùm autem non ad totam Communitatem spectet, sed ad privatas Personas, dicitur privata lex, quà speciale aliquid ultrà commune Jus Privilegiato conceditur.

14. Dividitur autem primò in Reale, & Personale. Reale est, quod conceditur directè alicui rei, muneri, vel conditioni, ut Causæ piæ, Templo, Prædio, Statui Clericali, Muneri Episcopali, Officio Præsidis conditioni Pupillorum, & hujusmodi. Hocque perpetuum est durans cùm re, officio, & similibus. Personale verò est, quod immediatè alicui Personæ conceditur, & juxtà regulam 7. Juris in 6. Privilegium Personale sequitur, & extinguitur cùm Persona.

15. Dividitur secundò in Gratiosum, Remunerativum, & Conventionale. Gratiosum est, quod gratis conceditur absque ullo Privilegiati meritò, vel Parentum, aut aliorum ipsi communicato. Remunerativum est, quod datur in præmium meritorum Privilegiati, vel aliorum ipsi Communicatorum. Conventionale est, quod datur pacto, seù conventione, ità ut quasi Privilegiatus, emere, censeatur, Privilegium.

16. Dividitur tertiò in Locale, & Generale. Locale est, quod ratione loci conceditur, eoquè uti, non licet, nisi in loco expresso. Generale verò, quod loco non est addictum, sed ubiquè uti, potest Privilegiatus. Colligitur autem, Privilegium esse tantùm Locale, vel quia in concessione id exprimitur, vel ex causa concessionis; puta Privilegium comedendi lacticinia in Quadragesima, ubi olei, & piscium copia deest.

17. Dividitur quartò in Favorabile, & Odiosum. Illud est Favorabile, quod Privilegiato favet, nemini autem est incommodum. Odiosum è contrà, quod favet Privilegiato, sed alteri noxium est.

18. Dividitur quintò in Affir-

Affirmativum, quò facultas conceditur aliquid agendi; & Negativũ, quo conceditur facultas omittendi aliquid.

19. Notandum insuper, quòd Privilegium aliquandò conceditur per modum legis, aut statuti generalis, ut Privilegium in favorem Clericorum cap. Generaliter 16. q. 1. & alibi. Hoc autem, ut suum habeat effectum, requirit promulgationem, & sufficientem notitiam ad modum aliarũ legũ.

20. Aliquandò verò cõceditur per modum rescripti alicui Personæ; aut particulari Communitati. Et ad hoc sufficit acceptatio ipsius à Privilegiato, sivè per se, sivè per Procuratorem.

21. Cùm hac tamen distinctione, quòd Jus quidẽ statim acquiratur post acceptationem. Si autem Privilegii usus actum importet qui de se, præcisò Privilegio, illicitus esset, ac peccaminosus, necessaria omninò sit, vel acceptatio per se ipsum, vel quòd Privilegiatus notitiam habeat acceptationis nomine suo factæ per Procuratorem Et hoc non solùm, ut licitè Privilegio utatur, sed etiam validè, V. G. si alicui Privilegium concedatur non jejunandi die præcepto, vel contrahendi in gradu prohibito; Si talis antè Privilegii notitiam non jejunet, vel contrahat, peccat omninò, & invalidè contrahit. Ratio est, quia utens Privilegio, quod nescit, se habere, si actus de se peccatum sit, absque dubio peccat; Voluntas enim ejus fertur in actum peccaminosum formaliter, vel ad minimùm periculo peccandi se exponit; potest enim esse, quòd pro illo tunc, quo agit, Privilegium non sit concessum; ac per consequens actus remaneat in sua malitia: ergò licitè Privilegio uti, non potest. Quòd autem nec validè, patet ex eò, quòd nunquam præsumi potest, legislatorem Privilegium concedere pro eò tempore, quo usus ejus illicitus est; uteretur enim potestate sua in destructionẽ. Ità Gonet disp. 8. *de legibus* art. 1. quamvis contrarium sentiat cùm aliis Bonac. *de legibus* disp. 1. q. 3. pun. 3.

22. Multa de Privilegiis fusè tractãt DD. apud quos vi-

videnda relinquimus; Non enim hic nostrum est intentum, de singulis exactos tenere tractatus; more autem nostro aliqua magis necessaria subnectemus: Ac primò supponimus, illum solùm posse, Privilegia concedere, qui juxtà subjectam materiam, potest legem cōdere. Privilegium enim est quædam privata lex. Consuetudo quoque, sicut legem condere, ita Privilegium concedere, potest juxtà dicta, & dicenda proportione servatâ.

23. Secundò suppono, Superiorē Privilegium concedere, non posse, absque legitimâ, & rationabili causâ. Ut enim advertit ex cōmuni Bonac. *de leg.* disp. 1. quæst. 3. pun. 4. Materia Privilegii debet esse honesta, & rationabilis; Rationabile autem, & honestum non est, quòd aliquis præ aliis favore, ac beneficio gaudeat absque causa. Quarè peccaret pro libito, & absque causa Privilegium concedens. Attamen Privilegium purè Favorabile, & absque boni communis, vel Tertii præjudicio, puto, quòd esset validum, & licitè Privilegiatus, obtento Privilegio uti, posset, quamvis ipsum procurando, peccaverit.

24. E contrà verò Privilegium Odiosum, & in aliorum, seù communis boni præjudicium, & incommodum, puto, nec licitè, nec validè posse concedi, nec obtento licitè uti posse Privilegiatum. Ratio discriminis est; Quia, cùm in purè Favorabili nemini fiat injuria, & gratis concedatur, & quandam habeat donationis rationem, quæ sine rationabili causa vitiosa tantùm esse potest quadam specie prodigalitatis, & imprudentiæ. Res autem adhuc prodigè, & imprudenter donata in legitimum transit Donatarii dominiū. Odiosum verò, secum ferēs aliorū, vel bonis communis præjudicium injustitiam cōtineret, ac proindè potestatem excederet concedentis, qui jus nō habet ad gravandum injustè, & multò minùs communi bono damnū inferendum, cujus Custos esse debet, & Conservator. Idem igitur esset, ac rPivilegium

legium à non habente authoritatem concessum, & per consequens nullum.

25. Quòd si dicas, hac ratione invalidum esse Privilegium quoquè Favorabile; Non enim legislator, ac Superior potestatem habet favores dispensandi pro libito, sed secundùm æquitatem, ac prudentiam ad minùs, si non in omnibus secundùm Justitiam. Id non convincit. Siquidem Favorabile concedens Privilegiũ absque legitimâ causâ potiùs in modo concedendi, quàm in concessione deficit: verè namquè potestas ejus ad concedendum extenditur; nec aliud requiritur ex parte Privilegii, seù materiæ concedendæ: undè non excedit, sed legitimâ suâ potestate utitur, quamvis, malè, quia imprudenter: Cujus evidens est signum quòd omninò invariatâ materiâ, & subjecto Privilegiando, licitè ipsum concedere posset Privilegium, puta ut se benignum, & ad beneficia pronum ostendat, quod maximè Principem decet.

26. At verò Privilegium Odiosum ex hoc ipso, quòd injuriam, vel injustum aliorum gravamen continet, potestatem concedentis excedit: nisi ex aliquâ rationabili causâ cesset injuriæ, vel injustitiæ ratio. Immo nisi exprimatur in Privilegio causa concessionis, vel non sit ex certâ scientiâ, vel motu proprio. Hujusmodi Privilegia non præsumuntur de Voluntate Principis; sed per importunitatem extorta, ut ex Jure docet Sylv. V. Privilegium §. Tertiò quæritur. Subreptitia verò, dùm scilicet ad illa impetranda falsa causa fuit exposita; nulla sunt quamvis purè Favorabilia.

27. Notandum est autem, quòd, si Privilegium obscurum, vel ambiguum sit ad legislatorem, seù Concessorem pro interpretatione recurrendum est, ac interim suspendendus usus, ut cum Hostien. ex can. jure docet idem Sylv. loco citato. Diligenter quoquè attendenda sunt verba concessionis, at potiùs intentio concedẽtis, quàm verba ipsa, à quorum tamen propriâ significatione recedendum non est, nisi aliter constet de men-

mente legislatoris.

28. Utrùm autem latè, vel strictè Privilegia interpretanda sint? Regula generalis est, ut Privilegia odiosa, vel quibus communi Juri derogatur, strictiùs interpretentur; purè autem favorabilia extendantur latiùs. Nullum autem adeò strictè interpretandum, ut nihil operetur; nec adeò ampliandum, ut mentem concedentis, & legitimum verborum sensum excedat.

29. Adde insuper, quòd, si Privilegium aliquid contineat contrà constitutionẽ, Consuetudinem, vel Sententiam, & de illâ non faciat mentionem, non valet, ut ex pluribus Juribus notat Sylv. §. decimò quæritur.

30. Quæres, An, cessante causa, cesset ipsum Privilegium? Dicendum, Privilegium Odiosum, cessante causa concessionis totaliter, ipsum quoque cessare; de quo dubium non videtur, quidquid contrà sentiat Suarez *de leg.* lib.8.c.36. & alii apud Gonet. art.2. & Bonac. quæst. 3. p. 10. §. 1. Et probat Gonet. ex lege Urianus ff. de fidejussoribus. *Quod pervenit ad statum, in quo incipere non posset in eo remanere nõ potest*. Ubi Glos. *Quod impedit ad faciendum, destruit quoque jam factum*. Et cap. tertiò de Clericis non residentibus habetur; quòd Privilegium indultum Canonicis, ut absentes præbendarum fructus recipiant, in gratiam studiorum, cessat, cùm studiis nõ incumbunt.

Et ratio evidens est, cùm enim, ut diximus, hujusmodi Privilegia concedi nõ possint absque legitima causa, eò quia injustè gravarentur alii, aut commune bonum pateretur jacturam; jam utiquè, cessante causa, injustus esset Privilegii usus, ac injustè commune bonũ, aut alii gravarentur. Ut pariter de Lege communiter dicemus §. seq.

31. Hoc tamen meritò limitandum; Si Privilegiarius jam perfectum consummatumque jus acquisierit in rem Privilegio, vel Dispensatione concessam; Puta, si ad sufficientem sustentationem habenti unum beneficium concedatur, ut aliud habere possit; & si

cùm

cùm tempore primum beneficium sufficientem reddat sustentationem, non amittitur secundum.

32. Quòad Favorabilia; cùm ad validitatem non requirant causam; videtur etiam, quòd ex legitimâ causâ concessâ nō amittantur per causæ cessationem. Sed probabiliùs puto, ista quoque, cessante causa, cessare; quamvis enim potuissent validè absque causa concedi; supposito tamen, quòd ex causa concedantur, jam patet concedentis intentio, ultrà quam Privilegium extendi non potest. Quamvis contrarium sentire videatur Gonet. dùm ait loco citato; Privilegium, vel Dispensatio de re, quam Princeps, etiam sinè gravi causa, honestè concedere, potest, cujusmodi est Privilegium de anticipando Officio Divino, non cessat, cessante causa, quia censetur Pont. illud absolutè concedere. Sed hæc præsumptio intentionis non videtur habere locum, dùm aperta concedentis voluntas in Privilegio exprimitur.

33. Multò minùs admitterem, quod asserit idem Gonet. Videlicet, si Privilegium, vel Dispensatio concedatur ad aliquod morale periculum evitandum, ut si cùm Fœmina castitatis Voto adstricta, ob morale periculum incontinentiæ dispensetur, ut nubere possit; si posteà periculum incontinentiæ cesset, vel ob senilem ætatem, vel gravem infirmitatem, non cessat dispensationis Privilegium. Hoc, inquam, non admitterem propter allatam rationem; quia constat intentio concedentis, ultrà quam, fas non est, Privilegium extendere.

Addo pro utroque casu. Quòd hujusmodi Privilegia, neque purè Favorabilia sunt; sed quodammodò Odiosa, quia licèt aliis non noceant, nec bono communi, læditur tamen per ipsa commune Jus, cui derogatur. Privilegia verò, servatâ eorum formâ, & proprietate verborum, strictè interpretanda sunt, ut quàm minimùm fieri potest, commune Jus lædatur.

34. Posset nihilominùs in purè favorabilibus, vel

etiam aliqualiter communi Juri derogantibus, quæ tamen ex levi, aut nullâ causâ honestè concedi solent ex Principis liberalitate, admitti limitatio, ut scilicet non cessent, cessante causa, modò causa ipsa non fuerit absoluta, totalis, & motiva; sed potiùs impulsiva, concessionis. Quod ex Privilegii verbis colligendum erit.

35. Quæres secundò. An cesset Privilegium morte concedentis? Ad quod breviter dicendum cùm eodem Gonet. & communi sententiâ; Non expirare morte concedentis Privilegium continens gratiam factam, quæ scilicet immediatè Privilegiario conceditur; puta si Pont. alicui facultatem concedat eligendi Confessarium. Cessat benè, si contineat gratiam faciendã, dùm scilicet alteri committitur, ut talem gratiam Privilegiario conferat; & hoc, nisi gratiæ collatio fiat, adhuc superstite concedente. Quod nihilominùs aliqui limitant, si gratia facienda sit purè spiritualis, & in bonum Animæ Privilegiarii; quia id postulare videtur animarum salus, quam Legislator intendit; puta si Pont. committat Petro, ut Paulum à reservato casu absolvat, adhuc post Pont. obitum absolutionem poterit impendere. Hoc verò difficultate non caret, cùm enim in casu Mandatarius purè sit delegatus, expirante potestate delegantis per mortem, expirat quoque potestas ejus, quæ alia non est à potestate delegantis illi commissâ.

Aliud est, si delegato in ejus gratiam cõcedatur potestas faciendi gratiam aliis, hæc enim non expirat per concedentis mortem, quia potestas ista gratia est facta, non facienda ipsi delegato, seù Privilegiario. Ità expressè habetur cap. Si cui nulla de præbendis in 6. ubi sic dicitur. *Si cui, nullâ personarum factâ expressione, sit gratiosè concessa facultas, ut Authoritate Apostolicâ possit, aliquibus Personis idoneis in certâ Ecclesiâ providere &c. Hujusmodi concessio non expirat, etiam re integrâ, per obitum concedentis: Secùs, si super provisione certæ Personæ fa-*

facienda sit data potestas eidē, non ob suam, sed ejus, cui provideri mandatur, gratiam, vel favorem; Illa quidem expirat omninò, si concedens, re integrâ, moriatur.

36. Quæres Tertiò. An cesset Privilegium per non usum? Et dicendum odiosa cessare per tempus præscriptionis: Ita ff. de nundinis leg. 1. statuitur, ut Privilegium nundinarum per non usum decennio amittatur. Purè autem Favorabilia nō cessare, quia cùm hujusmodi Privilegia neminem lædant, non est, qui contrà illa præscribere, possit.

37. Quæres quartò. An cesset Privilegium per Privilegiarii renunciationem? Et dico quòd cessat, si à concedente, vel ejus Successore eandem habente authoritatem, acceptetur; Secùs autem, si non acceptetur; Cùm enim Privilegium à concedentis voluntate dependeat, si renunciationem non acceptet, censetur, moraliter ipsum Privilegium conservare.

38. Limita hoc, si Privilegium consistat in ablatione alicujus Canonici impedimenti, puta, Irregularitatis, vel alterius Censuræ: quod enim factum est, non potest, factum non esse, neque redire, quod ablatum est.

Limita secundò. Si renunciatio extorta fuerit per dolum, aut metum, ut notat Bonac. quæst. 5. p. 8. §. 4. Non enim valeret ipsa renunciatio: Sicut neque, si per ipsum alius lædatur; potest enim Juri suo, quisque, cedere, non autem alterius; Undè privata Persona, cedere, non potest, Privilegio in favorem Communitatis concesso.

39. Ex quo colligitur, quandò per contrarium actum Privilegium amittatur; Ut enim benè advertit Bonac. §. 6. Intantùm per contrarium actum Privilegium amittitur, inquantùm præsumitur Privilegiarius per ipsum renunciare Privilegio: Ut igitur amittatur, debet actus ab eo, qui verè Privilegiarius est, vel de ipsius consensu, fieri, & voluntate. Quarè Privilegia in favorem Communitatis non amittuntur, nisi tota Communitas, vel de ipsius

con-

consensu Privilegio contraveniatur. Quò stante, unicò potest actu amitti, quamvis tractum habeat successivum, puta facultatem aliquid faciendi.

Sed benè adverte, quòd actus, per quē Privilegium amittitur, debet ipsi, non purè materialiter, sed formaliter contrariari; ità scilicet, ut Privilegiarius sciat, & advertat, actum Privilegio contrarium esse; aliàs præsumi non potest, ipsi Privilegio renunciare. Quarè si Privilegiarius contrarium actum eliciat, cùm protestatione, quòd non intendit, suis derogare Privilegiis, vel ex aliis conjecturis, & signis colligatur, ipsum nō fecisse actum animò renunciandi, Privilegiū non amittitur.

Adde insuper cum eodē Bonac. Quòd, ut totum Privilegium amittatur, debet actus, toti Privilegio contrariari, aliàs non amittetur, nisi quòad illam partem, cui actus contrariatur; Quilibet enim præsumitur, velle, sibi quàm minimum prejudicium afferre.

40. Quæres quintò. An per delictum Privilegiarii Privilegium amittatur? Et in primis certum est: Quòd si delictum ex jure, tanquàm pœnam, habeat annexam Privilegii privationem, per tale delictum Privilegiū amittitur, sivè ipso facto, sivè per sententiam Judicis, iuxtà dicta de lege pœnali.

De cæteris autem delictis distinguendum est; nam, vel delictum ad usum Privilegii non pertinet, & per hoc Privilegium non amittitur; nisi aliter à Jure disponatur; Vel ad usum *Privilegii* pertinet, ut ipsius propriè sit abusus; puta dùm quis Privilegio utitur ultrà, quàm illius concessio extendatur, vel si ex Privilegio sumat occasionem licentiùs vivendi, ac liberiùs peccandi, præcipuè cùm scandalo, & communis boni detrimento; & per hujusmodi delictum, & abusum Privilegium amittitur; Ità enim decernitur cap. Ubi d. 74. cap. Privilegium 11. q. 3. cap. Licèt de Regularibus, & cap. Ut Privilegia, de Privilegiis. Ubi notat, & benè Gonet. prædictos Cano-

nones Privilegio non privare ipso facto, sed post sententiam Judicis. Abusus nihilominùs, qui Privilegii finem tollit, ipso facto privat; quia finis est, veluti fundamentum Privilegii, quo corruente, ipsum quoque ruat, necesse est. De quo dic, ut suprà de causa dictum est.

41. Quæres tertiò. An Privilegium revocari possit? ac per ipsam revocationem cessare? Et cùm distinctione procedendum est; Si enim sit Privilegium purè Gratiosum, cùm nec Jus, nec meritum in Privilegiario supponat, ad concedentis voluntatem revocari potest; & quidem validè omninò, etiam nullâ præexistente causâ. *Decet* nihilominùs *concessum à Principe Beneficium esse mansurum*, ut habetur de Reg. Juris in 6. Reg. 16. Quarè malè faceret Princeps, absque ulla causa Privilegium revocando.

Si verò sit Privilegium onerosum, puta Remunerativum, & multò magis conventionale, per se irrevocabile est. Per ipsũ enim Privilegiarius acquirit strictum Jus, quo justè spoliari non potest absque legitimâ causâ. Urgente autem cõmunis boni necessitate, revocari potest, à Principe; sicut eâdem ratione, suis bonis privare potest, Subditos, qui pariter Juri suo cedere, tenentur ad providendum communi bono. Si tamen fieri posset compensare, deberet Princeps, aliter Privilegiarium.

Hæc generaliter prælibasse, sufficiat; plura dilucidè pro necessitatis opportunitate videri poterunt apud Bonac. aliosque DD. qui fusè de singulis pertractant.

42. Unum præ cæteris hic addere sufficiat. Dupliciter nempè revocari posse Privilegium; Primò quidem expresè, per verba scilicet indicantia sufficienter ipsã revocationem; Puta, non obstante tali Privilegio; vel generaliter; Non obstantibus quibuscunque Privilegiis. Secundò tacitè, seù implicitè; per actum nempè cùm Privilegio incompatibilem. V. G. si aliud concedatur Privilegium, cùm quo

quo, aliud subsistere nequit, ut si jubeat Princeps, exigi tributum ab eo, quem jam per Privilegium à tributo exemerat.

Quamvis autem plures Theologi, & Canonistæ asserant; Privilegia corpori Juris inserta non revocari, nisi de ipsis expressa fiat mẽtio, neque ad illorũ revocationẽ sufficere clausulas generales apponere, ut notat Gonet. Si tamẽ in revocatione apponatur. Non obstantibus Privilegiis sub quacunque formâ concessis; vel etiam in Corpore Juris contentis, vel concessis per modum contractus, aut quid tale, censentur omnia revocata, quamvis ad illorum revocationem expressa, & individua mentio esset facienda, vel de verbo ad verbum recitanda forent. Quia ut ait Bonac. his loquendi modis indicat satis Superior nolle se, ampliùs Privilegia curare. Memineris tamen Privilegia per contractum, seù Conventionalia revocari non posse absque urgentissimâ causâ, & boni communis necessitate, juxtà mox dicta.

Deniquè adverte; Quòd si revocatio fiat privatim, sufficit, quòd revocationis notitia ad Privilegiarium perveniat; Si verò per modum legis, ut habeat suum effectum, requiritur sufficiens publicatio, ut de cæteris legibus dictum est.

§. V. *De Interpretatione, Cessatione, Derogatione, & Abrogatione Legum Humanarum.*

SUMMARIUM.

1. *Legis duplex est Interpretatio, Generalis, & Particularis.*
2. *Generalis habetur, vel per authoritatem legislatoris, vel per usum, vel per doctrinam Interpretum.*
3. *Particularis fit per Epykejam.*
4. *Epykeja locum habet, non solùm quandò observantia esset contrà Justitiam, vel commune bonum; sed etiam quandò nimis esset dura.*
5. *In dubio formali non habet locum.*
6. *In quibus casibus cesset lex?*

7. *Cessante adæquatâ causâ, cessat lex, quamvis actum de se bonum præciperet.*

8. *Quid sit Irritatio, Derogatio, Abrogatio, Correctio, & Dispensatio?*

9. *Tàm legislator, quàm Consuetudo irritare, & corrigere potest legem.*

10. *Tripliciter lex usu recepta potest abrogari.*

11. *Superior abrogare potest legem à se, vel ab Inferiori latam. Inferior verò nõ potest abrogare legem latã à Superiore.*

12. *Immo neque propriam à Superiore confirmatam; nisi fortè in ejus favorem cõfirmata fuerit.*

13. *Validè Superior etiam absque causâ legem abrogat licèt peccet.*

14. *Abrogatur lex, vel per expressam revocationem; vel per contrariæ legis Cõstitutionem.*

15. *Specialia statuta, & Consuetudines non abrogantur per contrariam legem, immo neque Decreta Concilii Generalis, nisi de ipsis mentio fiat.*

16. *Quid dicendum de lege juramento firmatâ?*

17. *Contraria lex debet sufficienter promulgari, & acceptari, ut vim abrogandi habeat.*

18. *Revocatio sufficit, quòd ad notitiam perveniat.*

19. *Antiquæ legis pœna cessat per novæ impositionem, nisi exprimatur, per illam antiquæ non derogari.*

20. *Hoc tamen verum est, si utraquè pœna sit ab eodem foro.*

21. *Item si utraquè sit generalis, vel particularis; non autem si una generalis, particularis altera.*

22. *Pœna ex naturâ suâ iterabilis, ut Excommunicatio, multiplicatur, si à diversâ potestate feratur, non verò, si ab eàdem.*

23. *Quid sit Dispensatio, à quo, & quomodò ab interpretatione differat, ac Privilegio?*

24. *Strictè interpretanda est.*

25. *Non licet absque legitimâ causâ dispensare.*

26. *Valida est Dispensatio facta etiam sinè causâ; non tamen ab inferiori facta in lege Superioris.*

27. *In quibus casibus Inferior in lege Superioris dispensare, possit?*

Ppp 28. *Di-*

28. *Dispensatio obreptitia, vel subreptitia non valet: modò taciturnitas, vel falsitas sit in materiâ connexionem habente cùm dispensatione.*

29. *Si Dispensatio plures habeat partes separabiles, valet quòad partem subreptione non affectam, nisi fuerit per dolum, vel malitiam impetrantis.*

30. *Etiam si Dispensatio concedatur motu proprio; modò ex informatione, & ad instantiam concedatur, non autem, si ex liberalitate.*

31. *Non vitiatur Dispensatio, si culpâ scribæ, in litteris error irrepserit.*

32. *Invalida est, tacitâ qualitate, quam Jura, specialiter exprimi, volunt.*

33. *Cessare, vel revocari potest Dispensatio, sicut Privilegium.*

1. NOnnulla hìc remanent pro complemento hujus Tractatus de Legum Humanarum Interpretatione, Cessatione, Derogatione, seù Abrogatione tradenda. Et primò circà Interpretationem jam aliqua in Superioribus tacta sunt, pauca hìc breviter addimus pro clariori notitiâ. Duplex ergò fieri potest legis interpretatio. Una quidem veluti generalis, quæ absolutè ipsius legis declarat sensum, & intellectum, ac legislatoris intentionem. Altera quasi particularis, quâ ostenditur ipsius legis, ac legislatoris intentio in aliquo particulari casu.

2. Primam tripliciter habere possumus, vel per authoritatem ipsiusmet Legislatoris, & hęc dicitur Authentica interpretatio; quæ vim legis habet, ut colligitur ex lege ultimâ Cod. *de legibus*. Vel per usum, seù Consuetudinem, ut suprà dictum est. Vel deniquè per Doctrinam Interpretum, diciturque Interpretatio Doctrinalis, quæ licèt vim legis propriè non habeat, aliquô tamen gaudet authoritatis gradù.

3. Secunda Interpretatio fit per Epykejam; ut enim inquit S. Doct. 2. 2. *q.* 120. *art.* 1. *Quia humani actus, de quibus leges dantur, in singularibus contingentibus consistunt, quæ infinitis modis variari possunt, non fuit possibile*

ſibile, aliquam regulam legis inſtitui, quæ in nullo caſu deficeret; ſed legislatores attendunt ad id, quod in pluribus accidit, ſecundùm hoc legem ferentes: Quam tamen in aliquibus caſibus ſervare, eſt cõtrà æqualitatem Juſtitiæ, & contrà commune bonum, quod lex intendit &c. In his ergò, & ſimilibus caſibus malum eſt, ſequi legem poſitam, bonum autem eſt, prætermiſſis verbis legis, ſequi id, quod poſcit juſtitiæ ratio, & communis utilitas. Et ad hoc ordinatur Epykeja, quæ apud nos dicitur æquitas. Undè ſubdit S. Doct. a. ſeq. *Epykeja eſt quaſi Superior regula humanorum actuum.*

4. Quamvis autem ex dictis verbis colligi videatur, Epykejam ſolùm habere locum, quandò legis obſervantia contrà Juſtitiam, vel commune bonum eſſet: meritò nihilominùs extenditur quoquè, dùm obſervantia nimis eſſet dura; Cùm enim, ut ſuprà notavimus, leges benigniùs interpretãdę ſint: non cenſetur legislator, velle, cùm gravi adeò incommodo Subditos obligare, niſi aliter communis boni ratio ſuadeat; quarè præ oculis habendum erit, quod ſuprà diximus §. 3. n. 5.

Præterquam quod, ait Gonet. diſp. 9. art. unic. Lex humana debet eſſe poſſibilis ſecundùm naturam, & conſuetudinem Patriæ, ideſt facilis obſervationis: dùm ergò in aliquo caſu nimis dura invenitur, habet locum Epykeja, quę legis eſt emendatio propter defectum.

Ratio item S. Doct. idem ſuadet: Quia ſcilicet legiſlator non attendit, niſi ad id, quod in pluribus accidit: undè rationabiliter præſumitur, quòd ſi ad hujuſmodi particulares, ac difficiles caſus adverteret, nollet quidem obligare.

5. Sed nota cùm eodem Gonet. quòd in dubiis locũ non habet Epykeja, ſed, ut ait S. Doct. *p. 2. q. 96. art. 6. ad ſecundum*, operans, *ſi dubium ſit, debet vel ſecundùm verba legis agere, vel Superiorem conſulere.* Et intellige de dubio formali. Si enim quis rationabiliter, ac probabilius judicet, in caſu legẽ non obligare, licitè uti poterit Epykeja, ut ſubdit Gonet. Secùs autem, ſi proba-

bilius æſtimet, vel etiam æquè probabile, caſum lege comprehendi; juxtà ſuperiùs dicta de Conſcientia; Et hæc de Interpretatione.

6. Quòad reliqua. Etſi de ratione legis quædam ſit perpetuitas, ac ſtabilitas; ex rationabili tamen causâ mutari poſſe leges in toto, vel in parte; Nemini dubium eſt. Multipliciter autem lex mutari poteſt; & primò quidem per ipſius legis ceſſationem, dùm ſcilicet ex ſe deſinit obligare. Et hoc, vel abſolutè, vel in aliquo caſu, vel in toto, vel in parte. Quæ omnia ex ipſa legis ratione deducuntur; ut conſideranti patere poteſt.

Primò igitur ceſſat humanæ legis obligatio, ſi ejus obſervantia noxia reddatur. Secundò ſi fiat cùm lege naturali, vel Divinâ incompoſſibilis. Tertiò ſi ratione ſubjecti, vel alicujus circunſtantiæ reddatur moraliter obſervatû impoſſibilis. Quartò demùm ceſſante totâ, & integrâ causâ, ratione vel fine, propter quem lex fuit lata, ceſſat quoquè ipſius legis obligatio; Secùs verò, ſi ceſſet quidem cauſa in parte, non autem in toto. Immo non ſufficit, quòd cauſa ceſſet reſpectu alicujus Perſonæ particularis, ſed reſpectu Communitatis ceſſare debet, ut benè advertit Bonac. diſp. 1. q. 1. pun. ult. Quarè, ſtante cauſa reſpectu Communitatis, tenentur ſinguli ad legis obſervãtiam; licèt in aliquibus cauſa ipſa ceſſet; Excipe tantùm caſus ratione Epykejæ, de quà jam dictum eſt.

7. Hæc ferè certa ſunt apud omnes, quamvis contendat Suarez, non ceſſare legem, adhuc ceſſante adæquatâ causâ, quandò præcipit actum de ſe bonum. At verius omninò eſt, ceſſare quoquè in dicto caſu. Lex enim non obligat, niſi juxtà voluntatem legislatoris, ex quô autem conſtat ipſum non, niſi ad talem finẽ legem tuliſſe, conſtat quoquè, noluiſſe obligare, niſi dependenter ab eodem fine: ipſo igitur ceſſante, ceſſat quoquè voluntas obligandi: Quarè, ſi præcipiat, v. gr. Superior jejunium ſemel in hebdomadà ad implorandum Divinum Subſidium pro aliquà urgente neceſſitate

tate, hac cessante, cessat utiquè præceptum, quamvis jejunium sit de se bonum, & optimum.

8. Quòad abrogationem notandum. Aliud esse, Irritationem, Derogationem, Abrogationem, Correctionem, ac dispensationem. Irritare siquidem legem, est propriè, impedire, nè illa vim obtineat obligandi. Abrogare autem est, legem tollere postquàm obligandi jam vim habebat, & hoc in universùm, ac totalìter, ad differentiam Derogationis, quæ non in totum, sed solùm in parte legem tollit. Correctio autem legem non tollit, sed illam moderatur, aliquid addendo, vel demendo. Deniquè Dispensatio est quædam legis restrictio, & limitatio circà particulares Personas, vel aliquos effectus, ipsa lege in suo robore manente, quòad alios. Per quæ patet, quomodò etiam ab his omnibus differat Cessatio. Irritatio enim; & Abrogatio, & aliæ, actum aliquem exigunt, quo lex impediatur, tollatur, aut limitetur, ut constat. In Cessatione autem nullus requiritur actus contrà legem; sed ipsa de se desinit; vel quia tempus expirat, pro quo lata fuit; vel quia cessat causa, & finis.

9. De Irritatione vix aliquid occurrit dicendum. Potest enim lex irritari, seù impediri, nè vim acquirat obligandi, vel ex ipsius legislatoris, aut Superioris voluntate; aut declaratione, seù revocatione; Vel etiã ex nõ usu, juxtà superiùs dicta.

De Correctione pariter; Sicut enim ipse legislator, vel ejus Superior; ità & Cõsuetudo, vel etiam communis DD. sensus, latam legem moderari, potest; ut passim contingit.

10. De Abrogatione, vel Derogatione pauca notanda sunt. Ac primò tripliciter legem jam usu receptam abrogari posse. Videlicèt per expressam Principis revocationem, per Constitutionem novæ legis priori repugnantis; ac per contrariam Consuetudinẽ, de quà jam satis dictũ est §. præced.

11. Quòad Principis revocationem, vel repugnantis legis Constitutionem; Certum est in primis Legisla-

latorem, à se latam legem abrogare posse, vel in toto, vel in parte; Superiorem quoquè, legem ab Inferiori latam, non verò Inferiorem, legem latam à Superiori.

12. Immò addit, & benè Layman l. 1. tract. 4 capit. 21. Quòd, si lex Inferioris à Superiore confirmata sit, non poterit ab ipso Inferiore abrogari; quia per Confirmationem facta est, quasi propria ipsius Superioris lex. Quod tamen limitatur, si Confirmatio facta fuerit in favorem, & gratiam ipsius Inferioris legislatoris; tunc enim poterit Inferior, juri suo cedere, & ab ipsâ lege recedere.

13. Cæterùm, quamvis non de facili, nec absque rationabili causâ, & præcipuè communis boni utilitate, lex jam usu recepta debeat abrogari; ità ut peccet Superior, absque causâ justam abrogando legem, validè tamen abrogat, nec legem sic abrogatam observare ampliùs, tenentur Subditi: essentialiter enim lex, ejusque obligatio à legislatoris Voluntate dependet.

14. Abrogatur itaquè lex, vel per expressam revocationem, vel per novam legem priori contrariam; Et quatenùs eidem contrariatur. Nec est necesse, quòd de priori lege in novæ Constitutione mentio fiat. Ità enim decernitur cap. licèt de Constitutionibus in 6.

15. Excipiuntur nihilominùs Personarum, & locorum specialia statuta, & Consuetudines, ipsis enim si rationabilia sint, per novam Constitutionem in aliquo non derogatur; nisi id expressè caveatur in Constitutione, seù lege, ut dicitur in dicto cap. licet.

Excipiunt quoquè Layman, & alii apud ipsum locô citatô, Decreta Concilii Generalis, quibus non derogari per contrariam posteriorem legem, colligunt ex cap. ex parte de Capellis Monachorum.

16. Excipit insuper Azor. p. 1. l. 5. cap. 16. q. 6. legem juramentô firmatam, cui derogari non videtur per contrariam posteriorem legem, nisi de illâ fiat mentio: Quia lex juramentô firmàta majori gaudet firmitate; ac per consequens ali-

aliquid etiam speciale requiritur ad ipsius abrogationem; quod non esset, si per simplicem novæ legis Constitutionem abrogetur absque ullâ ipsius legis mẽtione; ut sic enim cæteræ quęquè abrogantur.

Et quidem, si juramentum sit non revocandi legem, cõsentit Bonac. quamvis contrarium sentiat de juramento purè assertorio. Non enim præsumi potest Princeps, velle cùm periurio legem revocare, quod esset omninò, si talem revocaret legem, nisi priùs juramento soluto.

Probabilius tamen videtur, quomodocunque juramentum sit appositum, legem non abrogari per contrariam, nisi de illâ specialis fiat mentio. Appositio siquidem juramenti adminùs implicitè, si non explicitè, promissio quædam est servandi legem, à quâ licèt solvatur Princeps per legis abrogationem, eò quia per ipsam cessat lex, & consequenter materia promissionis, cujus perindè observantia non est ampliùs possibilis; non enim servari potest lex, quæ non est. Negari tamen non potest, juramentum ipsum aliquid majoris firmitatis legi tribuere, ut dictum est; ipsamque speciali notâ dignam reddere.

17. Hìc tamen advertendum cum Gonet. disp. 10. art. 2. Quòd, si abrogatio fiat per contrariam legem, debet istâ sufficienter ad modum aliarum legum promulgari, & acceptari, ut completam legis, & abrogandi priorem vim obtineat.

18. Si verò lex absque novæ legis constitutione revocetur, desinit quidem in re hoc ipso, quòd legislator, ipsam revocare, intendit, quamvis nullo externo signo revocationem indicet; at nihilominùs obligatio ejus in subditis remanebit ob ignorantiam revocationis, quia illã transgrediendo, formaliter contrà legem irent, cùm æstimarent, legem in suo robore permanere. Verùm tamen est, quòd quisque hujus revocationis haberet certam, nõ dubiam notitiam, solutus esset ab onere legis, quæ non obligat, nisi ex volun-

tate

tate Legislatoris. Quarè ad ſcandala, turbationeſque vitandum, expedit omninò, revocationem ſubditis publicó intimare documentô.

19. Aliquid eſt demùm ſpeciale circà legem pœnalem. Cùm enim pœnæ reſtringēdæ ſint potiùs, quàm exaſperandæ, vel augendæ; nequè duplici pœnâ pro delicto eòdem puniri quempiam, æquitas patiatur. Ex hoc ipſo, quòd nova lex pro eodem crimine diverſam taxat pœnam, ab eâ, quæ ab antiquâ lege fuerat impoſita, hæc tollitur per novam, ſi delictum nondùm erat commiſſum. Quarè, niſi exprimant in taxatione novæ pœnæ, per ipſam non derogari antiquæ, iſta per novam legem abrogata cēſetur. Et quidem, ſivè pœna ſit latæ, ſivè ferendæ ſententiæ, ut cùm pluribus docet Theſaurus de pœnis p. 1. cap. 12. quamvis aliqui contrarium ſentiant.

20. Hoc tamen intelligendum eſt, quandò utraquè pœna ab eodem foro procedit; non autem ſi à diverſo. Etenim, ſi pro eodem crimine unam ſtatuat pœnā Jus Civile, aliam Canonicum, utraquè in ſua vi permanet.

21. Prætereà fallit regula, ſi altera pœna ſit generalis. altera pro aliquo ſpeciali caſu, ut in terminis de alienatione docet idē Theſaur. p. 2. V. Alienatio c. 5.

22. Item nota ex eodē, quòd aliquæ pœnæ ſunt ex naturâ ſuâ iterabiles; puta Excommunicatio. Hujuſmodi ergò pœnæ, ſi ferantur pro eòdem crimine ab habentibus eandem authoritatem, puta ſi à diverſis Summis Pont. pro aliquo delicto imponantur excommunicationis pœnæ; non multiplicantur; etiam ſi pœna per ſecundam legem quandoquè aggravatur, putà reſervando abſolutionem ab ipsâ. Si autem à diverſâ Poteſtate. v. gr. ab Epiſcopo, & Summo Pont. tunc cenſentur multiplicari, ità ut abſolutus ab unâ, poſſit, alterà manere adſtrictus.

23. Reſtat ultimò loco, ut aliqua de legum diſpenſationibus adnotemus, per quos etiam aliquô modô ceſſat lex, vel in caſu particulari, vel reſpectu ſingularis

ris

ris Personæ, licèt aliàs integra in suo robore perseveret. Est enim Dispensatio quędã Juris relaxatio à potestatem relaxandi habente facta.

Ex quo patet, quòd dispensatio differt ab Interpretatione, & Privilegio. Ab illa quidem, quia Dispensatio, stante legis obligatione, ab ipsâ dispensatum eximit. Interpretatio verò solùm declarat ipsam legem in casu, vel respectu particularis Personæ vim obligandi non habere: Quarè Dispensatio à solo Superiore fieri potest. Interpretatio verò etiam à Subditis, ut ex dictis constat. A Privilegio autem differt, quia dispensatio semper est contrà legem. Privilegium verò potest esse contrà, vel præter Jus.

24. Indè pariter colligitur. Dispensationem esse rem odiosam, utpotè communi Juri derogantem, undè rectè vulnus quoddam legis appellatur cap. Ipsa pietas 23. quæst. 4. Hinc strictè interpretanda est, ut enim dicitur de Reg. Juris in 6. Reg. 28. *Quæ à Jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda*.

25. Certum est autem apud Theol. cum D. Th. *p. 2. q. 97. art. 4.* Quidquid aliqui contrarium sentiant. Non licere Superiori absque legitimâ causâ in lege dispensare. *Si enim absque ratione pro sola voluntate licentiam tribuat*, inquit S. Doct. *non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens: Infidelis quidem, si non habet intentionem ad bonum commune; Imprudens autem, si rationem dispensandi ignoret*. Et Bernard. lib. 3. de consideratione propè finem. *Quæritur inter Dispensatores, ut fidelis qui inveniatur. Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est: Ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est: Utilitas; dico, communis, non propria. Nam cùm nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est*.

26. Verum nihilominus est, Dispensationem à legitimo Superiore adhuc sinè causa obtentam, validam esse, ac licitè, dispensatum, eà uti, posse, quamvis peccet, sinè causa petendo. Ratio est; quia legis obligatio à

voluntate legislatoris pendet; quarè licèt malè faciat Superior, etiam absque causa in lege dispensando, lex tamen ipsa respectu dispensati vi obligatoria caret.

Quinam autem sit legitimus Superior? Dico, quemlibet, qui legem condidit, vel ejus Successor cùm æquali potestate: Vel certè huic Superior: vel etiam Inferior, cui tamen indulta sit facultas in lege Superioris dispensandi. Hic tamen, nedùm illicitè, sed invalidè in lege Superioris dispensaret, absque legitimâ causâ. Quia, cùm de se authoritatem non habeat, sed tantùm dispensare; possit, authoritate sibi à Superiore concessa, hic presumi rationabiliter non potest, facultatem concedere in sua lege dispensandi absque justâ causa. Addit insuper Bonac. disp. 1. q. 2. pun. 3. Quòd existente in re justa causa, quamvis Inferior dispensans illam non cognoscat, Dispensatio valida est; licèt enim imprudenter agat, dispensare, intendit, & verè authoritatem dispensandi habet.

27. Quamvis autem Inferior, per se loquendo, in lege Superioris dispensare, non possit; In aliquibus tamen casibus rationabiliter præsumitur Superior, facultatem dispensandi concedere, quamvis expresè illam non concesserit. Et primò in materia levi. Secundò in his, quæ frequenter accidere solent. Tertiò dùm urget necessitas dispensandi, ac periculum est in mora, nequè facilis est ad Superiorem recursus. Quartò demùm, quandò dubium est, an verè casus dispensatione indigeat. Quod tamen intellige juxtà hîc dicta n. 5.

28. Supposito igitur, qnòd ad licitam dispensationem justa causa requiratur; duplex occurrit difficultas. Prima, an Dispensatio obreptitia, vel subreptitia; dùm scilicet dispensationem postulans, vel tacet aliquid exprimendum, vel falsum exponit; valida sit? Et breviter dicendum cùm eodem Bonac. pun. 4. Quoties aliquid tacetur, vel falsò narratur, quo cognito, Superior non dispensaret, invalida est dispensatio; modò

dò id, quod tacetur, vel falsò exponitur, connexionẽ habeat cùm dispensationis materia: Cùm enim dispensatio à dispensantis voluntate dependeat, hic non censetur, dispensandi voluntatem habere, tali stante circunstantia, juxtà regulam Juris in 6. *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus*.

Secùs dicendum, si, quod tacetur, vel falsò exponitur impertinenter se habeat ad materiam dispensationis, quamvis forsitan, eo cognito, difficiliùs, vel nullatenùs Superior dispensasset: Etenim, supposito, quòd necessariam habeat materię cognitionem, in re verè dispensat.

29. Hìc tamen adverte, quòd, si dispensatio plures habeat partes ab invicem separabiles, & subreptio unam tantùm partem tangat; Dispensatio, quòad alteram partem valida est. Utile namque non vitiatur per inutile, ut dicitur de reg. Juris in 6. Putà, si illegitimus petat dispensationem, seù habilitationem ad Beneficium, sivè Curatum, sivè non Curatum obtinendum, sileatquè defectum ætatis, quem insuper habet ad Beneficium Curatum. Dispensatio nihilominùs illi prodest, ad Beneficium simplex obtinendum.

Sed limita, si per dolum impetrantis, vel etiam ignorantiam cùm ingenti temeritate, quæ malitiæ comparatur, subreptio contigerit: tunc enim in pœnam irritanda esset dispensatio; etiam quòad partẽ subreptione non affectam, quamvis ipso jure non esset irrita. Sic enim decernitur cap. super literis de Rescriptis. Dixi autem per dolum, vel malitiam impetrantis; quia si ipso nesciente, subreptio fuerit ex malitia Procuratoris, Dispensatio valida omninò erit, quòad partem non affectam.

30. Hæc autem cùm eodem Bonac. vera puto, & si dispensatio cõcedatur sub clausula, Motu proprio: Modò dispensans ex informatione procedat, vel ad instantiam, & preces dispensati; quod ex verbis dispensationis colligendum erit:

Tunc enim præsumitur dispensans, non intendere dispensationem concedere, nisi stante veritate informationis. Aliter dicendum, si non prævia informatione, nec ad preces; sed ex liberalitate dispenset.

31. Adde insuper generaliter cum eodem, ubi supra n. 6. Non vitiari dispensationem obtentam à Superiore cùm veritatis expositione; Si culpâ scribæ in literis dispensationis error aliquis irrepserit: Ubi enim constat intentio dispensantis, à quà vim habet dispensatio, nihil officit error scripturæ, adminùs in foro Conscientiæ: quidquid sit in foro externo,

32. E contrà dispensatio, tacita qualitate, vel circunstantia, quam Jura, specialiter exprimi volunt, invalida est, quamvis eà expressa, Superior faciliùs dispensasset. Eò, quia Superior præsumitur, velle secundùm Jura procedere, nisi aliter de illius constet voluntate; ac per consequens tunc verè dispensandi non habuit intentionem. Idem pun. 5.

33. Alia esset difficultas. Quomodò Dispensatio cessare, vel revocari possit? De quà tamen sufficiant, quæ §. præced. de Privilegiis dicta sunt. Verè namque Privilegium contrà Jus dispensatio quædam est. Plura videri poterunt apud Authores, præcipuè Bonac. diutiùs enim hîc nobis immorandum non est. Exactiorem quippè occurrentium difficultatum, cùm ad particulares materias pertractandas devenerimus, discussionem reservamus. Ità Deus Opt. Max. ex infinitæ misericordiæ liberalitate cõcedere dignetur; Si quidquam Proximorum saluti nos profuturos prænoverit.

INDEX ALPHABETICUS

Rerum, & Verborum, quæ in hoc opere continentur.

Primus Numerus Caput, Secundus §. Tertius Marginalem Numerum designat; Litera verò A. Appendicem post §. 4. Cap. 7.

A

ACTUS humani, qui proprii sint Cap. 1. §. 1. num. 2.

Actus dici potest humanus dupliciter, quòad substantiam, & quòad modum. Ibidem.

Actus humani sunt in quadruplici differentia. Ibid.

Actus humanus, & liber idem sunt. Ibid.

Actus humanus, & moralis non sunt idem formaliter, licèt materialiter coincidant. Ibid.

Actus primo primi, secundò primi, & absolutè secundi. 2. 1. 11. & 12.

Actus Voluntatis sex 3. 1. 6. & seq.

Actus Voluntatis circa finē, quomodò possint esse circa media, & è contrà. 3. 2. 4. & seq.

Actus Voluntatis multoties inter se confunduntur. 3. 2. 20. item 4. 4. 33.

Actus interior vocatur actus Voluntatis, exterior autem cujuscunque alterius potentiæ. 4. 2. 1.

Actus externus tripliciter ad voluntatē comparari potest. 4. 2. 3.

Actus externus, ut idem cùm actu Voluntatis moraliter, sivè ut ejus effectus, aliqua gaudet intrinseca bonitate, vel malitia formali. 4. 2. 4. & seq.

Actus etiam externarū potentiarum, ut à Voluntate moventur, intrinsecè objectum respiciunt cum subjectione ad legem. 4. 2. 8. & seq.

Actus externus ex propriis nul-

nullam addit bonitatem, vel malitiam. 4. 2. 11.

Actus solus Voluntatis intrinsecè bonus, vel malus est in merendo, vel demerendo. 4. 2. 14.

Actus internus, & externus, quarè distinctis quandoquè præceptis pręcipiantur. 4. 2. 21.

Actus externus est naturale, & substantiale complementum peccati; undè necessariò explicādus est in confessione. 4. 2. 22.

Actus moralis per ordinem ad objectum lege dispositum specificatur. 4. 3. 4.

Actus quilibet in genere moris speciem essentialem sortitur ab objecto proximo voluntatis moraliter considerato, sivè finis sit, sivè medium. 4. 3. 17. & seq.

Actiones humanas ex fine specificari, quomodo intelligatur. 4. 3. 20. & seq.

Actu voluntatis moraliter multiplicato; multiplicatur etiam bonitas, vel malitia. 4. 4. 4.

Actus Voluntatis per discōtinuationem multiplicatur. 4. 4. 5. Vide discontinuari.

Actus Voluntatis continuatus multiplex esse potest moraliter. 4. 4. 3. & 6. Vide continuari.

Actus externus non ponit in numero, sed est Unus, & idem cum actu Voluntatis. 4. 4. 9.

Actus qualiter plura objecta respiciens de se integra, & adæquata, multiplex est moraliter. 4. 4. 30. & seq.

Advertentia plena, quæ dicatur. 2. 1. 13. & seq.

Advertere non tenetur quis ad malitiam, nisi aliqua cogitatio, vel dubitatio præcedat. 3. 3. 18.

Advocatus causam defendere non potest, quæ frivolis nititur fundamentis. 7. 5. 43.

Advocatus quid agat, dum pro utraquè parte sunt rationes probabiles; ibi, & seq.

Advocati quomodo plura petant in judicio, quæ justè petere non possunt. 7. 5. 47.

Advocato licet prudenter occultare non tamen falsitate, vel fraude uti 7. 5. 48.

Advocatus potest moderatam

tam sui patrocinii mercedem exposcere. 7. 5. 49.

Advocati causis Pauperum gratis patrocinari tenentur, & quomodo; ibid.

Aggravare in infinitum, dupliciter intelligi potest, negativè, & positivè. 6. 2. 7.

Aggravare in infinitum formaliter, & materialiter stare potest. 6. 2. 10.

Alexandri Octavi decretum damnans hanc propositionem non liceat sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam. A. 30. & seq.

Appetitus duplex, rationalis, & sensitivus. 2. 1. 1.

Argumentum ab authoritate negativa nihil convincit. 6. 3. 12.

Assensus triplex, & quinam formare possit rectam conscientiam. 7. 4. 2. & seq.

Attritio ex metu an sit aliquo modo involuntaria. 2. 4. 10. & seq.

Attritio nec virtualiter, vel implicitè debet includere immo excludere omnem affectum, & voluntatem, etiam conditionatam ad peccatum. ibid.

Aureola propriè quid sit. 4. 2. 25. & seq.

Aureolam non habebit quis Martyrii, nisi Martyr cū effectu fiat, quamvis intensè id appetat. 4. 2. 27.

Authoritas SS. PP. cæteris præferenda, mitigandus tamen eorum rigor, dùm aliqua per exagerationem dixerunt. 7. 4. 10.

Authoritas pensanda est, attentâ materiâ, cùm quâ excellentiores aliqui fuerunt. 7. 4. 11.

B

BELLUM est actus Justitiæ vindicativæ, sed specialissimam exigit justificationē, nec nisi pro ultimo, & adhibendum remedio. 7. 5. 3.

Bellum ex levi motivo indicens, aut alia faciliori via neglecta, excusandū non est. ibid.

Bellum duplex Offensivum, & Defensivum. 7. 5. 4.

Bellum indicere non potest, qui pro se probabiliores non habet rationes, sed causa Judicibus Arbitris est remittenda. ibi. & n. 7.

Bel-

Bellum ex utraquè parte justum, per se loquendo, non potest dari, benè verò per accidens ex ignorantia injustitiæ. 7. 5. 6.
Bellũ defensivum cùm sola probabili ratione pótest licitè sustineri, modò non constet de aggredientis majori probabilitate, nec oppressionem sustinens fuerit in causa. 7. 5. 8.
Benigna interpretatio legis quando, & quomodo facienda? A. 2. 8.
Bonitas moralis quid sit? 1. 2. 1.
Boni actus aliqui secundùm se, alii boni, quia præcepti. 1. 2. 2.
Bonus actus secundùm se per aliquam circunstantiam vitiari potest. 1. 2. 4.
Bonitatis moralis definitio. 1. 2. 5.
Bonum esse debet ex integra causa. 1. 3. 1.
Bonus actus bonum debet habere objectum, & debitis vestiri circunstantiis ibid.
Bonum præcisè moraliter, & Theologicè, est meritorium æternæ vitæ. 1. 3. 2.
Boni moralis Conditiones. 1. 3. 3.
Bonitas duplex, substantialis, & intensiva. 1. 3. 4.
Bonus actus non requirit in operante moralem scientiam, nec habitum Prudentiæ, nec judicium actuale, ac expressum Prudentiæ dictamen, sed sufficit virtuale. 1. 3. 5.
Bonus actus non debet ex ignorantia, irâ, vel aliâ passione, sed cum sufficienti elici deliberatione. ibid.
Item propter honestam, saltèm implicitè, & virtualiter. 1. 3. 6. & 8. & seq.
Bonus actus Theologicè. Vide Meritum.
Bonitas, & Malitia humanarum actuum, undè sumenda. 4. 1. 1.
Bonitates, & malitias plures idẽ actus quomodo possit habere. 4. 1. 2. & seq.
Bonus, & malus idem numero actus an, & quomodo possit esse. 4. 1. 4. & seq. usque ad finem.
Bonum opus aggrediens cũ mala intentione nullum habet meritum, nec bonitatem. 4. 1. 9.
Bonum opus aggrediens cũ recta intẽtione ex distractione

ctione culpabili, vel inani gloria subrepente solùm pro morula distractionis, vel inanis gloriæ meritum amittit. 4.1.10. & seq.

Bonitas, & malitia objectiva, & formalis. 4. 2. 2.

Bonitas, & malitia formalis duplex in essendo, & in merendo, vel demerendo. 4. 2. 12. & seq.

Bonitas, & malitia ex objecto est essentialis, & ex genere; ex circunstantiis verò accidentalis. 4.3.5.

C

CAUSA per se, quæ dicatur in moralibus? 2. 2. 2.

Causas removere tenemur, dùm est periculum consensûs in malum. 3. 3. 8.

Causas pias præcipuè removere non tenemur, si desit periculum. 3, 3. 10.

Causa de se patens non producit effectum, si productum inveniat. 4. 4. 40.

Certitudo aliqua in Conscientia requiritur, ne periculo exponamur. 7. 3. 34.

Certitudo omnimodè Logica, seù Metaphysica nõ requiritur, sed sufficit moralis. 7. 3. 35.

Certitudo moralis non excludit necessariò formidinem omnem. 7. 3. 36. & seq.

Certitudo moralis sufficit, quòd Prudentiali judicio. &c. 7. 3. 39.

Certitudo cadere potest, vel supra veritatem judicii, vel rectitudinem operationis. 7. 3. 43.

Certitudo moralis, quæ sufficit ad rectè operandum. A. 36. & seq. Item 7. 3. 44. usque ad finem.

Cessatio naturalis, & involuntaria non sufficit ad moraliter actum discontinuandum. 4. 4. 15. & seq.

Cessatio voluntaria per se non sufficit ad actum discontinuandum. 4. 4. 25. & seq.

Cessatio voluntaria, & involuntaria potest quandoquè actum discontinuare. 4. 4. 27. & seq.

Cessatio voluntaria ab actu, potest illum efficaciter velle, & inefficaciter nolle. 4.4.29. Vide Peccatum.

Circunſtantia prima bonificans, vel vitians actum dat ſpeciem eſſentialem. 4. 3. 6.

Circunſtantia quid ſit. 6. 1. 1. & ſeq.

Circunſtantiæ quomodo actum efficiant. 6. 1. 2.

Circunſtantiæ ſeptem explicantur. 6. 1. 3. uſque ad 11. incluſivè.

Circunſtantia propriè non eſt; *Quoties*, ideſt numerus. 6. 1. 12.

Circunſtantiæ quædam augent, quædam minuunt. 6. 2. 1.

Circunſtantiæ aggravantes in infinitum, & citrà infinitum. 6. 2. 2. Vide aggravare.

Item minuentes. ibid,

Circunſtantiæ quæ, & quomodo in infinitũ aggravent. 6.2.8. uſque ad 15.

Circunſtantiæ non minuunt in infinitum, niſi de mortali faciant veniale. 6. 2. 16.

Circunſtantiæ quæ mutent ſpeciem. 6. 2. 17.

Circunſtantia loci Sacri an ſemper mutet ſpeciem. 6. 1. 7. & 6. 2. 18. & ſeq:

Circunſtantiæ mutantes ſpeciem peccati mortalis neceſſariò explicandæ in confeſſione, non autem venialis. 6. 3. 1. & ſeq.

Circunſtantiæ in infinitum aggravantes, vel minuentes neceſſariò ſunt explicandæ, non autem citrã infinitum. 6. 3. 3. & ſeq.

Circunſtantias aggravantes venialiter explicare, optimum eſt, non autem minuentes, niſi Confeſſarius de his interroget. 6.3.4.

Circunſtantiæ notabiliter aggravantes intrà eandẽ ſpeciem, an, & quomodo neceſſariò in confeſſione ſint explicandæ. 6. 3. 5. uſque ad finem.

Circunſtantiæ notabiliter minuentes explicandæ ſunt, immò aliquando etiam non minuentes notabiliter. 6. 3. 26. & ſeq.

Circunſtantia mutans ſpeciem peccati mortalis neceſſariò aperienda eſt, etiam innoteſcendo Perſonam, cùm quà peccavit. 6. 4. 1.

Quomodo prædicta circunſtantia dici poſſit non notabiliter aggravans. ibid.

Circunſtantiæ non mutantes ſpeciem, ſed rationem pec-

peccati multiplicantes. 6. 4. 13.
Circunſtantiæ hujuſmodi non ſunt, ut plurimùm neceſſariò confitendæ. 6. 4. 14.
Circunſtantiam explicare, utcunque, an ſufficiat, vel neceſſariò tanquam circunſtantia ſit explicanda. 6. 4. 15. uſque ad finem.
Citatus à Judice, quomodo prudēter comparere poſſit. 7. 3. 66.
Civis bonus non eſt idem, ac bonus Vir. 4. 3. 30.
Clericus in venatione occidens. Vide effectus, & Irregularitas.
Clericus longam aſſumens navigationem cum propoſito non recitandi horas Canonicas, projiciendo Breviarium, peccat novo peccato diſtincto. 5. 3. 10. & ſeq.
Clericus proponens per mēſem nō recitare Divinum Officium, tot peccata committit, quot ſunt dies in menſe. 5. 3. 11.
Comedens pluries Carnes die Veneris toties peccat, quoties comedit, licèt ab initio propoſitum habuerit non abſtinendi illa die. 4. 4. 35.
Concupiſcentia. Vide Mulier.
Concupiſcentia, & idem dic de alia paſſione, inclinat quidem Voluntatem, non tamen cauſat involuntarium. 2. 5. 1.
Concupiſcentia minuit, & quandoquè tollit conditionem voluntarii perfecti, & libertatem, & idem alia paſſio. 2. 5. 6. & ſeq.
Concupiſcens eodem actu liberam ſimul, & conjugatam duo peccata ſpecie, & numero diſtincta committit. 4. 4. 3. & 6.
Confeſſarius tenetur interrogare Pœnitentem de his; quæ ſcire debet, niſi rationabiliter ſupponat illum ſcire. 2. 6. 18.
Confeſſionis materia neceſſaria eſt tota malitia mortalis; Venialis verò eſt ſufficiens, non neceſſaria. 6. 3. 1. & ſeq. Item n. 13. & 23. & ſeq.
Confeſſio eſt medicinale judicium. 6. 3. 21.
Confitens ſe furatum non genta, cùm ſit furatus mille; immò ſe furatum novem julios, cùm ſit fu-

furatus decem, peccat mortaliter. 6. 3. 23. &

Confessionis materia necessaria, est tota materia mortali malitia affecta, licèt non teneamur, explicitè quantitatem confiteri. ibid.

In Confessione mentiri circa venialia exposita Judicio, mortale peccatum est in veriori sententia. ibid.

Confessio venialium, vel mortalium, à quibus pœnitens fuit aliàs absolutus, quamvis totalis sint materia, sufficit quod fiat in genere, non in determinata specie. 6. 4. 2. & seq. Vide Circunstantia, Consuetudo, Fornicator.

Confessio externi actus est necessaria. 4. 2. 22.

Confessarius non potest exigere à pœnitente id, ad quod non tenetur. 7. 8. 65.

Confessarius tenetur etiam contrà propriam opinionem absolvere pœnitentem juxtà sententiam, quam ipse bona fide probabiliorem judicat; Undè tenetur, inquirere, an verè bona fide &c. 7. 5. 65.

Confessarius, an, & quomodo teneatur, pœnitentem admonere de errore, seù instruere de probabiliori sententia? 7. 5. 66. usque ad 72.

Complacentia; Vide consensus.

Conscientia ipsa nomine legis comprehenditur. 7. 1. 2.

Conscientia est actuale dictamen rationis practicæ. 7. 1. 4.

Conscientiæ triplex actus. 7. 1. 5.

Conscientia est judicium practicum. 7. 1. 6.

Conscientia dividitur in Rectam, & Erroneam. 7. 1. 7.

Item in Certam, Opinativam, Dubiam, Suspicantem, & Scrupulosam. 7. 1. 8.

Conscientia Dubia, & suspicans, propriè conscientia non est. 7. 1. 9.

Conscientia scrupulosa, vel scrupulus magis, quàm conscientia, trepidatio quædam est rectæ conscientiæ. 7. 1. 10.

Conscientia Opinativa, dubium est, an verè conscien-

ſcientia dicẽda ſit. 7.1.11.
Conſcientia errans verè obligat. 7.2.1. & ſeq.
Conſcientiam deponendi obligatio, non eſt quid medium inter obligari,& non obligari. 7.2.2.
Contrà Conſcientiam Erroneam agere, procul dubio peccatum eſt. 7.2.4.
Conſcientiæ dictamen, ſufficit, quod præceſſerit, modo in virtute perſeveret, ut quis dicatur agere contrà conſcientiam. 7.2.5. & ſeq.
Conſcientiæ dictamen in virtute perſeverare, quomodo noſci poſſit. 7.2.8. & ſeq.
Conſcientia errans quomodo poſſit deponi. 7.2.12. & ſeq.
Contrà Conſcientiam errãtem agere, quodnam ſit peccatum. 7.2.14. & ſeq.
Conſcientiam vincibiliter errantẽ ſequens peccat, ſed benè agit ſequens errantem invincibiliter. 7.2.20. uſque ad finem §.
Conſcientiæ diviſio in ſpeculativam, & Practicam, in quo ſenſu admittenda. 7.3.2. Vide item Dubia conſcientia, Opinio, Suſpicans ſcrupulus.
Conſenſus, quid ſit? 3.1.7.
Conſenſus materialiter poteſt cùm electione identificari, & quomodo formaliter differant? 3.2.7. & ſeq.
Conſenſus nomine intelligitur quælibet cõmplacentia judicium ſequens. 3.3.1.
Conſenſus in rigore judicium exigit Superioris rationis. 3.3.2.
Conſenſus non datur ſinè advertentia honeſtatis,& legis. 3.3.3.
Conſenſus duplex, expreſſus, & implicitus, ſeù interpretativus. 3.3.4.
Conſenſus in rigore perfectam exigit deliberationem 3.3.5.
Conſenſus eſt imperfectè,& reductivè, complacentia ex imperfecta deliberatione. ibid. & ſeq.
Conſenſus in cogitatione,& re cogitata ejuſque delectatio, quomodo ſit peccatum, vel non? 3.3.20.
Conſilium quid ſit? 3.1.8.
Conſilium eſt completa inquiſitio uſque ad judicium incluſivè. 3.2.1.

Consilium definitur, & explicatur. 3. 2. 6.
Consilium ad nullum peccatum obligat. 5. 4. 3.
Consuetudinem, & habitum peccati, an, & quomodo confiteri teneamur 6. 4. 4. & seq.
Consuetudo, quæ, & quomodo à lege, ac Jure Gentium differat. 8. 1. 31.
Consuetudo quid, & quomodo vim legis habeat, abrogandi, & interpretandi. 8. 4. 1. & seq.
Consuetudinis conditiones, ut vim legis obtineat. 8. 4. 2.
Consuetudo nisi justa sit, & rationabilis, abusus est. 8. 4. 5.
Consuetudo exigit Principis consensum legalem, vel Personalem, expressum, vel præsumptum. 8.4.6.
Consuetudo legi non præjudicans post rationabilem præsumptum Principis consensum statim legis vim obtineat. 8.4.7.
Consuetudo contrà legem probabile est, quòd tempus exigit præscriptionis, ut vim legis obtineat, probabilius tamen est, nullum determinatum requiri tempus. 8. 4. 8. & seq.
Consuetudinem contrà legem sufficienter introductam sequi licèt saltem in foro cōscientiæ. 8. 4. 10.
Consuetudinis legis jam usu receptæ derogativæ differentia à non usu legis de novo promulgatæ, & quomodo in hoc Princeps, vel Subditi peccare possint. 8. 4. 11. & seq.
Contemptus quid acquirat, ut sit mortale peccatum? 5. 4. 17.
Continuari censetur actus Voluntatis non retractatus, dùm formaliter, vel virtualiter aliquo suo effectu perseverat. 4. 4. 12. & seq.
Continuari non censetur, si perseveret aliquid solùm per modum habitus, vel involuntariè, & materialiter. 4. 4. 14.
Continuatio peccati in somno malitiam non auget. 4. 4. 23. Vide Cessatio.

D

DEcalogi Præcepta in dispēsabilia sunt. 8. 2. 11.

De-

Declarationes, & Decreta Sac. Cong. Card. an, & quomodo vim legis obtineant. 8. 1. 33. & seq.

Decreta Concilii Gen. per novam legem non abrogantur, nisi de ipsis mentio fiat. 8. 5. 15.

Delectationē solam intendere in operando malum est. 1. 4. 4. & seq.

Delectationes insurgentes non repellere, an, & quodnam sit peccatum. 3. 3. 11. & seq.

Delectatio quid? Et quid morosa. 3. 3. 11. & seq.

Delectatio quando, & quomodo sit peccaminosa, vel non. 3. 3. 16. & seq.

Delectari de aliqua boni ratione in malo, quomodo non sit peccatum. 3. 3. 19. Vide Consensus.

Deliberatio imperfecta nūquam sufficit ad mortale peccatum. 5. 4. 14.

Dēliberatio perfecta, & imperfecta. Vide Actus, & Consensus.

Deum in omni operatione intendere, non tenemur semper. 7. 2. 11.

Diligētia necessaria cuique ad ea scienda, quæ scire debet. 2. 6. 20.

Discontinuatur actus bonus per distractionem, inanē gloriam, aut quid tale. 4. 1. 10.

Discontinuatur Voluntatis actus per actum oppositum, vel retractationem. 4. 4. 11.

Discontinuatur etiā si prompta inclinatio remaneat per modum habitus, involuntariè; aut materialiter. 4. 4. 14.

Dispensatio quid requirat, ut justa sit. 8. 2. 7.

Dispensatione Superioris in manifestis opus non est, nisi aliter lex disponat. 8. 2. 8.

Dispensatio petenda in ambiguis, vel servanda lex. 8. 2. 9.

Dispensatio circa, quæ prę cepta Juris naturalis esse possit, vel non. 8. 2. 11.

Dispensatio in Jure naturæ ad quem pertineat. 8. 2. 12.

Dispensare, vel interpretari non possit in Divino Jure, nisi Ecclesiastica Potestas. 8. 2. 14.

Dispensatio in Jure naturali, & Divino, abque justâ causâ illicita, & invalida est. 8. 2. 15.

Di-

Dispensans bona fide absq; legitimâ causâ excusatur, & dispensatus licitè, uti poteſt dispensatione usque dùm in bona fide perseverat. 8. 2. 16.
Dispensatio in Voto Castitatis ob periculum incõtinentiæ cessat, cessante periculo. 8. 4. 33.
Dispensatio est Juris relaxatio à potestatem habente, & quomodo ab interpretatione, ac Privilegio differat. 8. 5. 23.
Dispensatio Vulnus quoddam est legis; Undè res odiosa est, ac strictè interpretanda. 8. 5. 24.
Dispensare non licet Superiori absque rationabili causa. 8. 5. 25.
Dispensationem petens absque causa peccat, sed obtentâ licitè, uti potest. 8. 5. 26.
Dispensandi, qui habeat facultatem. ibid.
Dispensatio in lege Superioris obtenta ab Inferiori habente aliàs facultatem invalida est, sinè justâ causâ. ibid.
Dispensatio valida est, licèt dispensans causam non cognoscat, modò in re sit justa causa. ibidem.
Dispensare in lege Superioris, in quibus casibus regulariter possit Inferior. 8. 5. 27.
Dispensatio subreptitia, vel obreptitia invalida est, nisi fortè id, quòd tacetur, vel falsò exponitur, impertinenter se habeat ad dispensationem. 8. 5. 28.
Dispensatio valet quòad partem subreptione non affectam, si separabilis est, neque fuerit ex dolo impetrantis, quamvis fortè contigerit ex malitia Procuratoris, dispensato nesciente. 8. 5. 29.
Dispensatio motu proprio concessa, præcedente tamen informatione, vel ad instantiam, invalida est, interveniente dolo dispensati. 8. 5. 30.
Dispensatio non vitiatur ex puro scribæ errore in literis. 8. 5. 31.
Dispensatio obtenta, tacitâ qualitate, vel circunstantiâ, quam Jura specialiter exprimi volunt, invalida est. 8. 5. 32.
Dispensatio cessare, & revocari potest eo modo, quo Pri-

Privilegium. 8. 5. 33.
Dispensatio item. Vide Privilegium.
Distinctio numerica moralium actuum à numericâ ipsorum distinctione in esse moris desumenda est. 4. 4. 2. & seq.
Distinctio,& unitas actuum etiam externorū ab unitate, vel distinctione actus Voluntatis desumitur. 4. 4. 7. & seq.
Distinctio numerica moralium actuum desumenda est ab actu Voluntatis, non ut formaliter moralis est, sed materialiter sumpto, moraliter tamen æstimato 4. 4. 10.
Distractio. Vide Bonum Opus.
Doctorum Authoritas æstimanda in moralibus. 7. 4. 6.
Doctores quinam graviores, & præferendi? 7. 4. 7.
Doctorum multitudo non reddit absolutè opinionē communem, sed benè, cùm re maturè discussâ, docetur ab ipsis. 7. 4. 8.
Doctorum Theologiæ, ac Juris quomodò auctoritas pensanda? 7. 4. 9.
Dubiâ formaliter Conscientiâ, non licèt quidquam agere. 7. 3. 5. & seq.
Dubitans, an ager, quem possidet, sit verè suus, licitè retinet. 7. 3. 8.
In dubiis melior est conditio possidentis. ibid. & 33. & 71. & seq.
Dubiâ Conscientiâ operans non est perplexus. 7. 3. 12.
Dubius de valore Matrimonii, an possit, & debeat reddere debitum? ibid.
Cum dubio speculativo stare non potest certitudo practica, omninò invariatis terminis. 7. 3. 26. & seq.
Dubium Juris, & Facti. 7. 3. 14.
Datur medium inter dubium, & certum. scilicet opinativum. 7. 3. 60.
Dubia formaliter est Conscientia, licèt aliqualiter potiùs in unam, quàm alteram partem inclinet, nisi determinatus sit assensus, moraliter certus. 7. 3. 69.
Dubia Conscientia deponenda est per congruam Veritatis inquisitionem, 7. 3. 70.
In dubiis tutiorem partem eli-

eligendâ, quomodò Consilium, vel Præceptum sit? 7. 3. 75. & A. 31.
In dubiis ex duobus malis minus eligendum, explicatur. 7. 3. 77.
In dubiis quid agendum, quandò nõ apparet quid tutius, vel minùs malum, vel pro quà parte stet possessio? 7. 3. 78. & seq.
Dux belli imprudenter agit, si absque necessitate hostem aggrediatur, absque morali certitudine Victoriæ. 7. 3. 61.
Dux Exercitus licitè occultare potest, quæ facere debet, non tamen fraudulenter agere. 7. 5. 48.

E

EBRIETAS causâ sanitatis licita est, si aliud non est remedium, tenetur autem se inebrians, & complices præcavere, nè quid mali sequatur. 2. 2. 9.
Effectus ex naturali causa procedens non imputatur, si nullatenus impediri potest, benè verò, si potest. 2. 2. 5.
Idem, si causa sit ab extrinseco illata, ut Demonis operatione. 2. 2. 6.
Effectus ex causâ voluntariâ imputatur ad culpam, non verò si post pœnitentiam causa removeri non possit. 2. 2. 7.
Effectus præcisi, licèt non intenti, imputantur etiam danti operam rei licitæ. 2. 2. 8.
Effectus non præcisi adhuc imputatur, si per se ex causa sequantur, non autem si solum per accidens. 2. 2. 9.
Effectus per accidens non imputantur danti etiam operam rei licitæ, factâ sufficienti diligentia, quamvis actio sit periculosa. 2. 2. 10. & seq.
Limita, si actio adeò sit periculosa, ut vix periculum vitari possit. ibid. 13.
Effectus realem dicit ordinem ad suam causam finalem. 4. 2. 10.
Electio quid sit. 3. 1. 7.
Epykeja quid? Non habet locum in lege Naturali. 8. 2. 5.
Epykeja, seù æquitas legis interpretatrix est, ac Superior regula. 8. 5. 3.
Epykeja locum habet, dùm le-

legis obſervantia nimis eſſet dura. 8. 5. 4.

Epykeja locum non habet in dubiis formaliter. 8. 5. 5.

Exceptus Caſus firmat regulam in contrarium, quomodò intelligatur? A. 26.

Excommunicatio. Vide Pœna Excommunicationis, & Pœna iterabilis.

Exempla, quæ adducuntur contrà Probabiliſtas, juſtè non nimis probant A. 37.

Exempla, quæ adducuntur in favorem benignæ ſentẽtiæ nihil proſunt. A. 38.

F

FIDES explicita, ſi non diſtincta, præcipuorum myſteriorum neceſſaria eſt cuilibet Chriſtiano. 2. 6. 13.

Fidelis peccans, an ſemper duplici malitiâ peccet cõtrà Virtutem infuſam, & acquiſitam? 4. 3. 34. & ſeq.

Fidelis nõ eſt neceſsè, quòd ſe accuſet diſtinctè de prædictis malitiis. 4. 3. 36.

Fidelis non tenetur ſemper ad ſupernaturalia præcepta attendere. 4. 3. 35.

Finis tripliciter intendi poteſt, habitualiter; actualiter, & Virtualiter. 1. 3. 6.

Finis ultimus, tàm naturalis, quàm ſupernaturalis, quomodò neceſſariò per actum bonum, & meritorium intendi debeat? 1. 3. 8. & ſeq.

Finis duplex, ultimus, & intermedius. 3. 1. 2.

Finis ultimus abſolutè, vel in tali genere. 3. 1. 4.

Finis ultimus formalis, & materialis. 3. 1. 4.

Finis eſt primarium Voluntatis objectum, non tamen adæquatum, & totale. 4. 3. 9.

Finis duplex, intrinſecus, & extrinſecus ſui operis, & operantis. 4. 3. 19.

Finis, objectum, & motivum idem ſunt reſpectu Voluntatis. ibid.

Finis extrinſecus eſt accidens, & Circunſtantia. ibid.

Finis eſt adęquata ratio formalis, ſub quà Voluntas etiam attingit media. 4. 3. 23.

Fornicatori accedenti ad

Mulierem paratam non est voluntarium peccatū ipsius Mulieris, benè verò procuranti ejus consensum, undè tenetur hic exprimere in Confessione, non ille. 2. 2. 4.
Fornicari intendens quinquies cùm eadem fœmina, etiam voluntatis actu, quinque peccata committit. 4. 4. 35.
Forum externum ex præsumptione punit aliquādò sinè culpa in re. 2. 2. 15.
Forum externum de externis judicat, ex quibus reus quis præsupponitur, nisi aliàs de innocentia constet. 4. 2. 23.
Fruitio quænam sit? 3. 1. 6.
Fruitio importat amorem, possessionem, & delectationem. 3. 2. 18.
Fruitio perfectè est de solo ultimo fine, imperfectè autem de intermedio. 3. 2. 19.
Furari volens, ut fornicetur, duplex committit peccatum. 4. 4. 33.
Furans aggrediendo Viatorem, multipliciter peccat. 6. 3. 17.
Furans decies unum scutū vituperabilior est, quàm semel furans viginti. 6. 3. 16.
Furtum quandò notabiliter aggravari, censendum sit? 6. 3. 7. & 22.

G

GABELLA; Vide Tributa.
Gratia specialis necessaria est, non solùm ad novam bonitatem, & meritum, sed ad quamcunque ejusdem intentionem. 4. 2. 29.

H

HABITUS vitiosus remanere potest cùm Virtute infusa. 4. 3. 34. 4. 4. 14.
Homicidium ex inadvertentia. 3. 3. 18.
Homicidium casuale. Vide Effectus.
Habitus. Habituatus. Vide Consuetudo. Peccans ex certa scientia.

I

IGnorantia duplex, Juris, & Facti, seù generalis, & particularis, & malæ electionis. 2. 6. 1.
Ignorantia vincibilis, & invincibilis. 2. 6. 2.
Ignorantia antecedens, concomitans, consequens. 2. 6. 3.
Ignorantia antecedens reddit simpliciter involuntarium. 2. 6. 4.
Ignorantia concomitans nõ facit involuntarium, sed non voluntarium, non accusat, nec excusat. 2. 6. 5.
Ignorantia consequens est volita saltèm indirectè. 3. 6. 6.
Ignorantia affectata, crassa, & supina. ibid.
Ignorantia consequens semper est culpabilis. 2. 6. 7.
Ignorantia consequens aliquo modo involuntariũ facit, & in parte excusat nisi sit affectata. 2. 6. 8. & seq.
Ignorantia potest dici causa per se moraliter, si non metaphysicè. 2. 6. 10.
Ignorantia ex naturali oblivione est antecedens. 2. 6. 11.
Ignorantia non culpabilis semper excusat. 2. 6. 12. Vide Scire, Fides.
Imperium, in quo consistat? 3. 2. 12. & seq.
Imperare, quo modo sit intellectus, & Voluntatis? 3. 2. 15.
Inadvertentia ex naturali oblivione excusat, non autem ex incuria. 3. 3. 18.
Incestum specie differre secundum gradus est probabile. 6. 3. 18.
Incestus uniùs cum Matre, vel sorore, an substantialiter sit gravius peccatũ, quàm duo, vel tres cum alia Consanguinea? ibid.
Incestus etiam extrà secundùm gradum explicandus in Confessione, licèt non sit necessarium exprimere in tertio, vel quarto. 6. 4. 1.
Indifferentes actus plures dantur secundùm se. 1. 2. 2.
Indifferens nullus est actus humanus in individuo. 1. 4. per totum.
Indulgentiæ fructus alligatus operi, quod non implens

plens non consequitur indulgentiam. 4. 2. 28.
Infamiæ metus quando justus, vel non? 2. 4. 4.
Infidelis potest elicere aliqua opera bona moraliter. 7. 2. 11.
Instrumentum, ut motum à principali agente, activè attingit effectum propriam excedentem virtutem. 4. 2. 9.
Intemperantia. Vide Timiditas.
Intentio ultimi finis. Vide bonus actus, & Meritum.
Intentio finis. 3. 1. 6.
Intentio est efficax voluntas finis. 3. 2. 1. Vide Actus Voluntatis, & Bonum Opus.
Interdictum. Vide Irregularitas.
Involuntarium nō est idem ac non Voluntarium. 2. 3. 2. Vide Violentia, Metus, Ignorantia, Concupiscentia, Passio.
Irregularitas, Interdictum, & Suspensio, quomodò absque culpa incurri possint? 2. 2. 15. & 8. 3. 68. & seq.
Judicium practicum à speculativo discordare potest per adventum Circunstantiæ. 7. 3. 15.
Judicium practicum in tali casu extrahitur quodammodo à subjectione speculativi, & sub alio pariter speculativo collocatur. 7. 3. 16.
Judicium practicum, seù singulare, invariatis omninò terminis, à speculativo, & generali discordare prudenter non potest. 7. 3. 17. & seq.
Judicium speculativum est immediata regula Judicii practici. 7. 3. 18. & seq.
Judicium speculativum, & practicum in veritate conveniunt. 7. 3. 21. & seq.
Judex ad maximam tenetur diligentiam in Veritatis inquisitione. 7. 5. 35.
Judex tenetur, juxtà probabiliorem partem decernere, sivè dubium sit Juris, sivè Facti. 7. 5. 36. & seq.
Judex quid agat, dùm pro utraque parte sunt æqualis ponderis fundamenta? 7. 5. 38.
Judex in criminalibus, præcipuè in Causâ Sanguinis, Sole clariores exigat proba-

bationes. 7. 5. 39.
Judex non ex privata scientia, sed secundùm quod sibi, ut Publica est Persona, constat, debet procedere, scientiâ tamen privatâ, uti potest ad inducta strictius discutienda. 7. 5. 40.
Judex sciens innocentem falsò convictũ, quid agere debeat? 7. 5. 41.
Judicis arbitrium, quô extendatur, nè iniquè arbitretur? 7. 5. 42.
Judex, an, & quam pœnam præcipere possit, ut sibi reus inferat? 8. 3. 75. & seq.
Judex iniquè præciperet, ut Filius Parenti mortem inferret. 8. 3. 78.
Judex inferior tenetur in Conscientia, pœnam imponere à lege taxatam. Superior tamen potest in toto, vel in parte remittere, sicut in lege dispensare. 8. 3. 79.
Jus Gentium quid? quæ contineat, & quomodò à lege naturali, & consuetudine differat? 8. 1. 30. & seq.
Justitia legalis diversa est juxtà regiminum diversitatem. 4. 3. 32.

L

LEGIS essentialia, quæ sint? 4. 3. 25.
Legis non quælibet essentialis distinctio dat moralem dictinctionem, sed sola distinctio in ratione directivi, & regulæ. 4. 3. 26.
Legis diversitas etiam in ratione finis, non sufficit ad specificam distinctionem actus, nisi diversus præscribatur modus. 4. 3. 27.
Legis finis dat speciem, si tanquam finis proximus proponatur. 4. 3. 28.
Legis finis generalis non inducit novam speciem, nisi ab operante sit intentus. 4. 3. 29.
Lex quomodò in distinctâ moralitatis specie constituat objectum? 4. 3. 37. & 41.
Legem sufficienter non esse promulgatã usque dùm inter DD. de illa controvertitur, quam sit perniciosum? A. 12. & seq.
Legis Divinæ non scriptæ, & Naturalis promulgatio

tio fit rationis dictamine. A. 13. & seq.
Legis positivæ tàm Divinæ, quàm humanæ interpretatio, & explicatio ipsâ ratione fit. A. 16.
Legis, Juris, & Artis, Boni, & Æqui differentia. 8. 1. 1. & seq.
Legis definitio explicatur. 8. 1. 3. & seq.
Lex ad commune bonum utilis esse debet. 8. 1. 4.
Legis rationem propriè non habent Præceptum, Sententia, & Privilegium. 8. 1. 5. & seq.
Lex debet esse à potestatem habente. 8. 1. 8.
Leges cōdere, ad quem pertineat? 8. 1. 9. & seq.
Leges Ecclesiasticas condédi Potestas immediatè à Christo communicata. 8. 1. 10.
Lex humanorum actuum debet esse directiva. 8. 1. 11.
Legis promulgatio necessaria, ut lex in actu secundo obliget. 8. 1. 12.
Legis Divinæ promulgatio determinatum non habet modum, humana verò aliquam exigit solemnitatem. 8. 1. 13. & seq.
Leges mandari, scriptis congruum est, licèt non de essentia. 8. 1. 15.
Legis officium, effectus, & actus. 8. 1. 16.
Lex dividitur in Divinam, & humanam; Divina vero in Æternam, Naturalem, & Positivam. 8. 1. 17. & seq.
Lex Divina positiva, quæ dividitur in Veterem, & Novam. 8. 1. 21.
Lex Naturalis explicatur. 8. 1. 19. & seq.
Lex Positiva, sivè Divina, sivè Humana, præcipere, vel prohibere potest aliquod lege naturali præceptum, vel prohibitum, non tamen contrà illam. 8. 1. 22.
Lex Vetus bona, sed imperfecta comparitivè ad Novam, undè per hujus promulgationem abrogata fuit. 8. 1. 25.
Legis veteris Præcepta triplicis generis. 8. 1. 24.
Legis Veteris Cæremonialia, non solùm abrogata, sed jam illicita sunt. 8. 1. 25.
Legis Veteris Moralia quomodò sint in suo robore? 8. 1. 26.

Legis Veteris Judicialia vim amplius non habent, & quomodò possint adhuc præcipi? 8. 1. 27.
Legis Novę Pręcepta triplicis generis. 8. 1. 28.
Lex humana, & quotuplex. 8. 1. 29.
Lex humana scripta dividitur in Ecclesiasticam, & Civilem; Ecclesiastica, seù Canonica, quæ contineat? 8. 1. 32.
Legis vim, an obtineant, & quomodò Declarationes, & Decreta Sacræ Congregat. Cardinalium? 8. 1. 33. & seq.
Lex Civilis per excellentiã, Jus Romanum, quæ contineat? 8. 1. 38.
Lex ista, an, & quomodò extrà Romanum Imperium extendatur? 8. 1. 39.
Lex naturalis, Synderesis, & Conscientia quomodò differant? 8. 2. 1.
Legis naturalis Præcepta triplicis generis. 8. 2. 2.
Lex naturalis in rigore mutationem, vel dispensationem non admittit, sed tantùm ex variatione materiæ 8. 2. 3. & seq.
Legis naturalis materia variatur ex ipsius legis naturalis dictamine. 8. 2. 4.
Legis naturalis neque propriè est Epykeja. 8. 2. 5.
Legis naturalis dispensatio quomodò fieri possit? 6. 2. 6. & seq. Vide Dispensatio.
Legis naturalis, an & quomodò invincibilis dari possit ignorantia? 8. 2. 17. & seq.
Legis humanæ Conditiones, ut justa sit. 8. 3. 2.
Lex humana tripliciter injusta esse potest. 8. 3. 3.
Lex humana per se loquendo, ad mortem obligat, sed in casu non obligat ex benignitate. 8. 3. 4.
Lex humana, undè nosci possit, quòd obliget cum vitæ dispendio. 8. 3. 5.
Lex humana quomodò actus internos præcipere possit? 8. 3. 6.
Legi humanæ quomodò subdatur Princeps? 8. 3. 7.
Legi Civili quomodò subdantur Clerici? 8. 3. 8.
Legibus proprii Territorii non tenetur immorans extrà. Peregrini verò tenentur legibus Territorii, per quod transeunt 8. 3. 9.
Legis promulgatio, ut actu obli-

obliget. 8. 3. 10. & seq.

Legem sciens antè illius promulgationem, eà non ligatur. 8. 3. 11.

Legis notitia, quæ necessaria sit, ut actu obliget? 8. 3. 13.

Leges etiam Pontificiæ, cõgruum est, ut ad Episcopos, vel Gubernatores promulgandæ transmittantur. 8. 3. 16.

Lex humana, ut obliget, an, & quam requirat Populi acceptationem? 8. 3. 17. & seq.

Legem nõ acceptantes absque legitimâ causâ graviter peccant, etiam si aliàs Privilegiati sint. 8. 3. 19. & 23.

Legis primi transgressores peccant, non verò alii post non usum sufficienter introductum. 8. 3. 23. & 30. & 8. 4. 11.

Legis non usus quando censetur sufficienter introductus. 8. 3. 25.

Lex non obligat, si à majori parte Communitatis non servetur. 8. 3. 26.

Lex non obligat in aliqua particulari Communitate, si ejus major pars non servet, quamvis in aliis communi sit usu recepta. 8. 3. 26.

Lex obligat, si dubium sit, an fuerit usu recepta. 8. 3. 27.

Lex usu non recepta caret vi obligatoria, non tamẽ hoc ipso abrogata est. 8. 3. 28.

Lex abrogata cẽsetur etiam per duos, vel tres actus, Principe sciente, nec reclamante, cùm possit commodè. 8. 3. 29. & seq.

Legis obligationem potest Populus suspendere, ut Principi supplicationem porrigat. 8. 3. 31.

Quid agendum, si Princeps ad legis observantiam compellat, & Populus nolit subjacere? 8. 3. 32.

Lex obligat quomodocunque acceptetur, etiam vi, & metu. 8. 3. 33.

Legis non usum actus publici, non occulti inducunt. ibid.

Legis cujuscunque transgressio ex contemptu est mortale peccatum. 8. 3. 34.

Lex præceptiva obligat sub mortali, mandativa sub veniali; Consultiva nullo

lo modo. 8. 3. 35.
Lex quandò præceptiva, mandativa, vel purè consultiva? 8. 3. 36. & seq. Vide Verba, Materia, Legislatoris, intentio, & Pœna.
Legislator potest, materiam aliàs gravẽ sub veniali, aut etiam nullo peccato jubere. ibid.
Lex obligat secundùm cõmunem consuetudinem, præsertim Ecclesiæ, & Prudentum existimationem. 8. 3. 41.
Legem purè consultivam esse, colligi potest ex verbis Legislatoris, vel materia ipsius. 8. 3. 42.
Lex non obligat sub. mortali, quibuscunque feratur verbis, nisi materia sit gravis, etiamsi legislator obligare intendat. 8. 3. 43.
Lex obligat secũdùm quod constat legislatoris intentio, modò materia sit capax. 8. 3. 44.
Lex obligat sub mortali, si constet intentio Legislatoris, & dubium sit, an materia sit gravis. 8. 3. 45.
Legis obligatio ex materia pensanda est, ubi non constat de legislatoris intentione. 8. 3. 46.
Legislatoris intentio ex verbis, & pœna colligi potest. 8. 3. 87. & seq.
Lex, quæ congruè intelligi potest obligare sub veniali, non est ad mortale extendenda. 8. 3. 50.
Lex triplex, Præceptiva, Pœnalis, & Mista. 8. 3. 51.
Lex imponens pœnam excommunicationis majoris ex hoc ipso Præceptiva est sub mortali. 8. 3. 64.
Lex purè pœnalis ad nullam culpam obligat. 8. 3. 65.
Leges benigniùs interpretandæ. 8. 3. 66.
Lex etiam purè pœnalis aliam imponens legem, seù signum, est gravis, aut levis obligationis juxtà pœnæ qualitatem; 8. 3. 71.
Lex pœnalis latæ sententię, an, & quomodò in foro Conscientiæ transgressores obliget ad subeundã pœnam, etiam antè Judicis sententiam? 8. 3. 72. & seq.

Legis interpretatio generalis, & particularis. 8. 5. 1.
Legis interpretatio generalis Authentica per consuetudinem, & Doctrinalis. 8. 5. 2.
Legis interpretatio per Epykejam. 8. 5. 3. & seq.
Lex quomodò cesset de se? 8. 5. 6. & seq.
Legis Imitatio, Abrogatio, Derogatio, Correctio, Dispensatio, quomodò differant? 8. 5. 8.
Lex immutatur de Superioris voluntate, vel per non usum. 8. 5. 9.
Legis Correctio à Superiori Consuetudine, & communi DD. sensu fieri potest. ibid.
Legis Abrogatio, vel Derogatio à quo, & quomodò fieri possit? 8. 5. 50. & seq.
Lex inferioris à Superiori confirmata, an, & quomodò ab inferiori possit abrogari? 8. 5. 12. Vide Statuta Decreta.
Legem validè abrogat Superior, etiam sinè causa, licèt peccet. 8. 5. 13.
Legis abrogatio quomodo fiat. 8. 5. 14.
Lex juramento firmata, quomodò per contrariã legem abrogari possit? 8. 5. 16.
Legis abrogatio, quam exigat publicationem. 8. 5. 17. & seq.
Lex pœnalis novam taxans pœnam pro eodem crimine, an, & quomodò antiquam abroget? 8. 5. 19. & seq.
Libertas est radix moralitatis, non ipsa formalis moralitas. 1. 1. 3.
Libertas triplex, à servitute, à coactione, & libertas indifferentiæ. 2. 1. 5.
Libertas indifferentiæ ad actum humanum requisita, quæ sit? 2. 1. 6.
Libertas contradictionis, & quòad exercitium, & cõtrarietatis, & quòad specificationem. 2. 1. 7.
Libertatis radix est ratio. 3. 1. 8.
Libertas filiorum Dei levẽ, & suavem Divinam reddit legem, non morum laxitudo. A. 17.
Libertas eligendi opinionẽ quænam sit? A. 18.
Ludens quomodò prudenter cum sola probabilitate vincendi ludere possit. 7. 3. 64.

M

MALITIA moralis, quid? 1. 2. 1.

Mali actus, quia mali secundùm se, & mali, quia prohibiti. 1. 2. 2.

Malus nullus actus formaliter, nisi lege saltèm æterna prohibitus. ibid.

Malus tantùm, quia prohibitus, per aliquam circunstantiam cohonestari potest, non verò malus intrinsecè, ac secundùm se. 1. 2. 4.

Malitiæ moralis definitio. 1. 2. 5.

Malum ex quocunque defectu resultat. 1. 3. 1.

Malum est privatio boni. 5. 1. 1.

Malitia moralis est privatio rectitudinis debitæ. ibid.

Malum, & Malitia duplex, Malum absolutè, simpliciter secundùm se, & privativè, & Malum secundùm quid, contrariè, seù in ordine ad aliud, & respectivè. 5. 1. 3.

Malum etiam respectivè privationem habet annexam. ibidem.

Malitia moralis formaliter consistit in ordine dissonantiæ, non in privatione. 5. 1. 4.

Malum morale est quoque in genere mali simpliciter. 5. 1. 6.

Malum morale, etiam præcisa privatione, est maximum. ibid. Vide Bonitas.

Martyrium ex reali Passione Christi, imitatione Privilegium habet remittendi totam pœnam. 4. 2. 28. Vide Aureola.

Materia quænam sit gravis obligationis capax. 8. 3. 37.

Materia de se levis ratione circunstantiæ, præcipuè finis, gravis reddi potest. 8. 3. 38.

Materia de se non gravis post monitionem gravis redditur. 8. 3. 58.

Matrimonium per metum quomodò invalidum. 2. 4. 7.

Matrimonii valor Parochi, & duorum Testium exigit præsentiam. ibid.

Medicus imprudenter, infideliter, ac injustè, certiori

ri postposita, medicinam daret ambiguam. 7. 3. 63. & 7. 5. 50.

Medicus sivè cum mercede, sivè gratis curam agat, non potest medicamento uti, de quo dubium est, an possit nocere. 7. 5. 51.

Medicus tenetur in dubiis aliorum consilia quærere. ibid.

Medicus uti potest dubio remedio, si aliàs desperata sit Infirmi salus, nec aliud certius occurrat, Infirmum tamen, ac hæredes monere tenetur. 7. 5. 52.

Medicinas pretiosas, vel nimis difficiles adhibere non tenemur. 7. 5. 53.

Medicus quomodò uti possit remedio, de quo solùm dubitatur, an possit prodesse, non autem nocere? 7. 5. 54.

Medicus, an, & quomodò teneatur, ad commune bonum singulare pharmacum, seù remedium aliis communicare? 7. 5. 55.

Medici obligatio ad pauperum curam gratis assumendam, & Infirmos de Confessione admonēdos. 7. 5. 57.

Medium etiam, ut medium aliquam habet intrinsecam bonitatem, licèt diminutam, & à bonitate finis dependentem. 4. 3. 9.

Mercator absolutè irridendus quærens lucrum, ubi ut plurimùm damnum reperitur, & in quo casu possit id prudenter agere? 7. 3. 62.

Meritum æternæ vitæ præter alia requisita ad moralem bonitatem, ordinem exigit ad Deum supernaturalem finem, saltèm virtualiter. 1. 3. 11.

Hæc virtualis intentio habetur ex naturâ suâ in actibus de se ordinis supernaturalis, in aliis verò per præcedentem actū ad minus. ibid.

Sufficit initio vitæ, vel justificationis actualem habere intentionem, modò nec implicitè sit retractata, sanum tamen est Consilium, ipsam de die in diem innovare. 1. 3. 12.

Meritum, vel Demeritum im-

importat activam conformitatem, vel difformitatem ad legem. 4. 2. 20.
Meriti æqualitas exigit voluntatem in intentione, duratione, & cæteris circunstantiis. 4. 2. 30.
Meriti, & Demeriti mensura duplex, Objectum, & Voluntatis efficacia. 4. 2. 32. & seq. Vide Bonum Opus.
Ad meritum sufficit virtualis intentio. 4. 4. 13.
Metus quid sit? 2. 4. 1.
Metus justus, & probabilis, non justus, nec probabilis. 2. 4. 2. & seq.
Metus minuit, non tollit voluntarium, undè facta per metū sunt mista &c. 2. 4. 6.
Metus nullo modo fuit involuntarius, si objectum, quod ex metu eligitur, sit in se bonum. 2. 4. 8. & seq.
Quomodò in his quoquè admitti possit aliquid involuntarii? 2. 4. 12.
Aliud est aliquid fieri ex metu, aliud cum metu. 2. 4. 13.
Metus non excusat à transgressione legis humanæ, benè verò hæc lex in casu non obligat. 2. 4. 14.
Milites, an, & quomodò bellare possint, dùm non constat de justitia belli? 7. 3. 33. Vide Dux.
Minimum Superioris ordinis excedit maximum inferioris. 5. 1. 6.
Minus bonum eligens relicto meliori, an, & quomodò peccet? 7. 3. 52. & seq.
Monetæ mutatio securiùs fit, audito Populo. 2. 5. 14.
Monetam, non licèt Principi mutare ad libitum, sed ex gravi necessitate. 7. 5. 15.
Monetæ mutatio certam exigit ac urgentissimam Causam, nec sufficit probabilis: & quænam sint justæ causæ? 7. 5. 16.
Monetæ mutatio cùm minori, quo potest, Subditorum incommodo fieri debet. 7. 5. 17.
Moralitas à more dicitur. 1. 1. 1.
Mores quid, & quomodò dicantur? ibid. & seq.
Mores propriè non sunt in Brutis. ibid.

Mo-

Morale dicitur quidquid ad mores pertinet. 1.1.2.
Moralitas multipliciter invenitur. 1. 1. 4.
Moris genus,eſt genus menſurabilitatis per legem. 1. 1. 3.
Moralitatis duæ ſunt potiſſimæ ſpecies; bonitas, & malitia. 1. 2. 1.
Mortem mitiorem ſibi, vel aliis inferre, non licèt ad vitandam acerbiorem. 8. 3. 28.
Motivi ratio conſtituit propriè objectum in ratione ſpeciali objecti Voluntatis. 4. 3. 39.
Motus primi, & ſecundi. Vide Actus, Negligens, Delectationes.
Mulieri modeſtè ſe ornanti voluntaria non eſt Juvenis concupiſcentia, benè verò ſe ornanti laſcivè. 2. 2. 3.
Mulier, ut invitè dicatur violari, debet voluntate repugnare, & impedire, ut poteſt. 2. 3. 6.
Mulier poteſt voluntariè pati violentiam abſque culpâ, ubi duplex conditio concurrat. 2. 3. 7.

N

NECESSITAS duplex, quòad exercitium, & quòad ſpecificationẽ. 2. 1. 7.
Neceſſariò appetitur objectum, in quo nulla mali ratio apparet. 2. 1. 9.
Neceſſitas verò, quoad exercitium exigit, quòd nec etiam in actu mali ratio appareat. 2. 1. 10.
Neceſſarii ſunt omninò actus primo primi. 2. 1. 11.
Negligens, motus reprimere cum periculo conſenſûs peccat. 3. 3. 7. & ſeq.
Negligentia levis, vel gravis ex periculo, & ſubjecti diſpoſitione, penſanda. 3. 3. 9.
Negligere poteſt, qui expertus eſt, motus roborari magis, eis reſiſtendo, & deficere, contemnendo. 3. 3. 10.

Obje-

O

OBJECTUM Voluntatis, finis, vel medium. 3. 1. 1.
Objecto mediante, omnem participat actus bonitatem, vel malitiam. 4. 3. 7.
Objectum non dat speciem moralem, nisi ut objectum Voluntatis. 4. 3. 8.
Objectum in genere moris, non naturę, consideratum dat specificam unitatem, vel diversitatem actui morali. 4. 3. 24.
Objectum specie distinguitur moraliter, dùm lex in illo specialem præscribit modum directionis. 4. 3. 7. Vide Lex.
Objecti specialis appetibilitas etiam specialem exigit directionem. 4. 3. 28. & seq.
Objectum in ratione propriè objecti voluntatis constituitur per motivi rationem. 4. 3. 39.
In obscuris regulæ Juris. 7. 3. 80.
Observantia mandatorum Dei, ex metu, an sit involuntaria secundũ quid? 2. 4. 8. & seq.
Occasionem proximam, nolens, dimittere, absolvendus non est, ac de illâ interrogare debet Confessarius. 6. 4. 12.
Odio habens Proximum per longũ tempus unum peccatum committit, nisi moraliter discontinuet actum. 4. 4. 35.
Offensæ gravitas duplex, Personalis; & Objectiva. 5. 5. 6.
Omissionis malitiâ inficitur actus, qui est ejus causa, vel occasio, non verò si causa non sit, quamvis incompossibilis cum actu præcepto. 5. 3. 7. & seq.
Omissionis malitiâ inficitur actus cum completione Præcepti incompossibilis, nisi jam efficacem omittendi supponat voluntatem, cujus moraliter spes non sit mutationis. 5. 3. 9. & seq.
Immò tunc duplex erit peccatum. 5. 3. 11. & seq.
Omissio mala est, non solùm dum quis vult, omittere, sed etiam dum in-

ſtat Præceptum. 5.3.14.
Operatio propter delectationem perverſa eſt. 1. 4. 4.
Operatio propter finem, ſic delectatio eſt propter operationem. ibid.
Operationi excellentiori excellentior finis debetur. ibid.
Operationes ad levamen, & moderatam naturæ commoditatem honeſtæ ſunt. 1.4. 7.
Operis executio ſpeciali Gratiâ indiget. 4.2.29.
Operis executione augetur meritum ex intentione, vel extentione Voluntatis. 4. 2. 30.
Quomodò intelligatur illud. Quantùm intendis, tantùm facis? 4. 2. 34. & ſeq.
Opus de ſe bonum, ſi cauſa ſit omiſſionis, ſolam contrahit ipſius omiſſionis malitiam, licèt propriâ bonitate privetur. 5. 3. 13.
Opinativa Cōſcientia, quid ſit? 7.1. 8. & 7. 4. 1.
In opinionum concurſu, quomodò libertatis poſſeſſio non juvet operantem? 7. 3. 73. & ſeq.
In Opinionibus datur latitudo, quænam probabilis cenſeri debeat? 7.4. 5. & A. 20. & ſeq.
Opinio communis non de facili relinquenda. 7. 4. 13. & A. 21.
Opinionem eſſe tutiorem, non eſt idem, ac probabiliorem. 7.4.21.
Opinio minus probabilis in rigore nunquam tutior dicenda eſt, ex communi tamen loquendi modò tutior vocatur, dum nos magis à peccato elongat. 7. 4. 22. & ſeq.
Opinionem tutiorem, & ſi minùs probabilem, ſequi poſſumus in praxi, & cavendum nè juxtà illam Conſcientia formetur. 7. 4. 24.
Opinionem probabiliorem, etſi minùs tutam, licitè quilibet ſequi poteſt. 7. 4. 25.
Opinionem, quæ poſt ſufficientē diligentiam probabilior apparet quis licitè ſequi poteſt, quamvis in re ſit minus probabilis. 7. 4. 26.
Opinionem minus probabilem

lem scienter sequens, etiã in speculabilibus, peccat, & quomodò id in Scholis, præcipuè Cathedraticis, liceat? 7.4.27. & seq.

Opinionem minus probabilem, minusque tutam in operando sequi, nullatenùs licet. 7. 4. 31. & seq. Vide Probabilitas.

Ordinatus in Sacris, non emisso voto, eodem continuo, & unico peccat peccato, usque dũ emittat, nisi voluntas discontinuetur. 4.4. 37. & seq.

Otiosum quid dicatur? 1. 4. 2.

Otiosum de se malum est. ibidem.

P

PASSIO, Vide Concupiscentia.

Peccatum non requirit expressam advertentiam, sed sufficit, quod quis teneatur advertere. 3.3.17. & seq. Vide Advertentia.

Peccatum omne mortale, Charitatem expellit, non tamen omne est in specie malitiæ contrà Charitatem. 4. 3 34.

Peccatum quomodò continuetur etiam per somni interjectionem? 4. 4. 20. & seq.

Ad Peccatum sufficit actualis libertas, sivè in se, sivè in alio. 4. 4. 21.

Peccatorum numerus, ut fieri potest explicandus in Confessione. 4. 4. 24.

Peccatum convenienter PP. per privationem explicant, falsum tamen est, ipsos ità semper explicare. 5. 1. 8. & seq.

Peccatum quomodò non sit formaliter à Deo? 5.1.13. & seq.

Peccatum aliud Originale, aliud Personale, hocque aliud Actuale, aliud Habituale. 5. 2. 1.

Peccatum habituale non est habitus vitiosus. ibid.

Peccati definitio explicatur. 5. 2. 2.

Peccata diversis Virtutibus opposita specie distinguuntur. 5. 2. 3.

Peccata eidem Virtuti opposita per excessum, & defectum specie differunt 5. 2. 4.

Peccata quomodo ex Præceptorum diversitate specie distingui possint? 5. 2. 6.

Peccata quomodò ex fine distinguuntur? 5. 3. 1.& seq.

Peccatorũ specifica distinctio formalius, tutius, & expeditius, ex formali objectorum distinctione desumitur. 5. 2. 8.

Peccata carnalia, & spiritualia specie distinguuntur. 5. 3. 1. & seq.

Peccata in Deum, in seipsum, & in Proximum specie distinguuntur. 5. 3. 2.

Peccata Cordis, Oris, & Operis, quando sint diversa, quando non? 5. 3. 3.

Peccatum commissionis cõtrà Præceptũ negativum, Omissionis contrà affirmativum per se non differunt specie. 5. 3. 4.

Peccati omissionis formalis malitia non est pura privatio, sed ordo dissonantiæ. 5. 3. 5. & seq. Vide Omissio.

Peccati Omissionis distinctio formalis ab objecto actus, cujus est carentia, desumenda est. 5. 3. 5.

Peccatum mortale, & Veniale quid, & quomodò differant? 5. 4. 1. & seq.

Peccatũ Veniale quomodò, non sit propriè contrà legem, sed præter, seù non simpliciter, sed tantùm secundùm quid? 5. 4. 4. & seq.

Peccata sunt aliqua ex naturâ suâ Venialia. 5. 4. 2.

Peccatum mortale virtualiter saltèm includit magnum Dei contemptum non autem Veniale. 5. 4. 9.

Peccatum mortale charitatem excludit, non Veniale. 5. 4. 10.

Peccatum mortale avertit ab ultimo fine, Veniale solùm retardat. 5. 4. 11.

Peccatum mortale est ab intrinseco irreparabile, non autem Veniale. 5. 4. 12.

Peccatum graviter lædens Dei, vel Proximi charitatem, vel commune bonum est mortale, aliàs veniale. 5. 4. 13.

Peccatum ex genere suo mortale, quomodò veniale fieri possit? 5. 4. 14. & seq.

Peccatũ de se veniale, quomodò fieri possit mortale? 5. 4. 17.
Peccata multa venialia unũ mortale constituere non possunt. 5. 4. 18.
Peccatum ex genere veniale, dùm fit mortale, non remanet in propria materia. ibid.
Peccatorum, gravitas undè pensanda? 5. 5. 1.
Peccata mortalia, si considerentur in ordine ad objecta non sunt paria. 5. 5. 2.
Peccatum omne mortale quandam habet infinitatem in ratione offensæ. 5. 5. 3.
Peccatum omne mortale totaliter privat Gratiâ, & Charitate. 5. 5. 4.
Peccata graviora sunt digniori opposita Virtuti. 5. 5. 5.
Peccata mortalia non omnia sunt æqualis gravitatis, etiam in ratione offensæ. 5. 5. 6.
Peccati gravitas essentialis ex objecto, accidentalis ex circunstantiis. 5. 5. 8.
Peccata etiam solâ positivâ lege prohibita, non sunt paria. 5. 5. 9.
Id verum est, quamvis indivisibilis sit modus à lege præscriptus. 5. 5. 10.
Peccatum secundùm se gravius est, quod pejus habet objectum, ac digniori opponitur Virtuti. 5. 5. 11. & seq.
Peccatum interiori Virtuti oppositum, an & quomodò gravius esse possit opposito Superiori? 5. 5. 13. & seq.
Peccatorũ comparatio fieri debet, proportione servatâ. 5. 5. 12. & seq.
Peccata carnalia sunt minoris culpæ, & majoris infamiæ, quàm spiritualia. 5. 5. 18.
Peccans ex certâ scientiâ, & malitiâ gravius peccat. 5. 5. 19.
Peccans ex habitu, peccat ex certâ malitiâ, non tamen semper habituatus peccat ex habitu. 5. 5. 20. & seq.
Peccatum ex objecto minus grave per circunstantiam aggravatum dici potest absolutè gravius. 5. 5. 22.
Peccatum mortale dici potest infinitæ gravitatis in ra-

ratione offensæ, & privationis. 6. 2. 3. & seq.
Peccatum Mortale, & Veniale circa eandem materiam, an, & quomodò ejusdem speciei dici possit? 6. 2. 20. & seq.
Peccatum minus grave in foro exteriori, gravius quandoque punitur. 6. 3. 19.
Peccata minoris culpæ quandoque apud homines honorabiliora. 6. 3. 18.
Peccat operans, non solùm contra, sed etiam sinè regulâ. 7. 3. 9.
Peccatum sufficit, quòd sit contrà particulare dictamen, quod actus exposceret, licèt actu non sit. 7. 3. 11.
Peregrini tenentur legibus Territorii, per quod transeunt, non proprii. 8. 3. 9.
Periculo peccandi, se exponens peccat. 7. 3. 6. & seq.
Pœnitentia ex metu, an sit aliquo modo involuntaria? 2. 4. 16. & seq.
Pœna duplex totalis pro eadem culpâ infligi non potest, benè verò partialis. 4. 4. 42. & 44.
Pœnæ aliæ spirituales, aliæ temporales, graves, & leves, latæ, & ferendæ sententiæ. 8. 3. 52. & seq.
Pœna gravis signum gravis obligationis. 8. 3. 56. & seq.
Pœna excommunicationis ob culpam non adeò gravem comminatoriè intelligenda est, neque signũ obligationis sub mortali. 8. 3. 59. de se tamen mortale peccatum supponit. 2. 64.
Pœna gravis ad commune bonum absque culpâ; non tamen absque causâ, imponi potest. 8. 3. 60.
Pœna gravis temporalis disiunctivè taxata, vel per modum conventionis non est signum gravis obligationis. 8. 3. 61. & seq.
Pœna levis de se nunquam est signum gravis obligationis. 8. 3. 63.
Pœna gravis in praxi rarò, vel nunquam incurritur absque culpâ mortali. 8. 3. 69.
Pœna iterabilis ex naturâ suâ, si feratur à diversâ

Po-

Poteſtate, multiplicatur. 8. 5. 22.
Petrus Abailardus nõ damnatur, quia docuerit, hominem per externũ opus non fieri meliorem, niſi voluntas augeatur. 4. 2. 31.
Pollutio in ſomnis peccaminoſa eſt, ſi ex cauſa voluntaria procedat. 4.4.21.
Pontifices, an, & quomodò minus probabiles fuerint ſecuti ſententias? 7.4.59.
Poſſidentis melior conditio. Vide In Dubiis.
Poſſeſſio non juvat eligentem, ſed partem eligendam. 7. 3. 72.
Præceptum ſemper inſtans facit, quod non implens continuò peccat, non tamen ſemper novo peccato. 4. 4. 37.
Præcepta plura unico poſſunt actu impleri, & trãſgredi. 4. 4. 38.
Præcepta plura circa idem non inducunt plures obligationes, adminus totales, & quòad effectum. 4. 4. 39. & ſeq.
Præcepti pluralitas auget, ſed non notabiliter, culpam. 4. 4. 43.
Præcepta prima dupliciter dici poſſunt. 2. 8. 18.
Præcepti tranſgreſſio de ſe venialis per frequentationem fieri nõ poteſt mortalis, niſi ex ſcandalo, contemptu, vel periculo peccandi mortaliter. 8. 3. 39.
Præcepti ſub mortali obligantis, quælibet tranſgreſſio mortalis eſt, niſi aliundè allevietur. 8.3.40.
Prœmium eſſentiale, & accidentale Cœleſtis Patriæ & quid unum alteri addat? 4. 2. 24. & ſeq.
Prœmium accidentale non omne dicitur Aureola. 4. 2. 25.
Prœmium omninò æquale habebit, non tamen Aureolam, æqualem habens Martyrii voluntatem, quamvis in re Martyr nõ efficiatur. 4. 2. 27.
Princeps, & Superior in ferenda lege debet eſſe certus moraliter de juſtitia. 7. 5. 2.
Princeps non excuſatur per hoc, quòd ſuo utatur Jure, indicens Bellum abſque probabiliori fundamento. 7. 5. 5. Vide Bel-

Bellum, Rex, Tributa.
Privatio in ordine ad formã privatã semper est ejusdẽ rationis, non verò in ordine ad positivum, cui necessariò conjungitur. 5. 2. 5.
Privationes ejusdem formæ non sunt æquales considerata in ordine ad idem positivum. 5. 5. 7.
Privilegium est privata lex. 8. 4. 13.
Privilegii variæ divisiones. 5. 4. 14. & seq.
Privilegium per modum legis requirit promulgationem, per modum rescripti sufficit acceptatio Privilegiarii. 8. 4. 19. & seq.
Privilegii Jus post acceptationem statim acquiritur usus autem illicitus, & invalidus antè notitiam ejus, si aliàs absque Privilegio illicitus esset. 8. 4. 21.
Privilegium solus potest cõcedere qui potest legem ferre. 8. 4. 22.
Privilegium absque rationabili causâ concedens, peccat purè tamẽ favorabiliter validum est, nõ autem odiosũ. 8. 4. 23. & seq.
Privilegia subreptitia nulla sunt. 8. 4. 26.
Privilegium dum est obscurum, ad concedentem est recurrendum pro declaratione, ac interim suspendendus usus. 8. 4. 27.
Privilegia odiosa strictè, favorabilia latè interpretanda, servato legitimo verborum sensu, & mente concedentis. 8. 4. 28. & 33.
Privilegium contrà Constitutionem, Sententiam, vel Consuetudinem, nisi de his fiat mentio non valet. 8. 4. 29.
Privilegium odiosum cessat, cessante causâ, nisi privilegiarius perfectum Jus acquisierit in rem concessam. 8. 4. 30. & seq.
Privilegium quoquè favorabile cessare, cessante causâ, nisi fuerit solùm impulsiva, probabilius est. 8. 4. 32. & 34.
Privilegia Juris communis derogativa, odiosa sunt. 8. 4. 33.
Privilegium continens gratiam faciendam, cessat, morte concedentis, non autem gratiam factam. 8. 4. 35.

Pri-

Privilegia favorabilia non cessant per non usum, benè odiosa per præscriptionem. 8. 4. 36.

Privilegium quomodò renunciatione cesset. 8. 4. 37. & seq.

Privilegium quomodò per unicum actum contrariũ amittatur. 8. 4. 39.

Privilegiũ quomodò amittatur per delictum. 8.4.40

Privilegium, an, & quomodò revocari possit. 8. 4. 41. & seq.

Probabilitas sola non sufficit ad prudenter operandum. 7. 3. 61.

Probabilitas duplex intrinseca, & extrinseca. 7.4.6.

Probabilitas prius ex rationibus, quam ex authoritate pensanda. 7. 4. 12. & seq.

Probabilitatẽ sententiæ judicandi Regulæ. 7.4.11. & seq.

Probabilis ratio in conspectu probabilioris non potest moraliter certificare. 7. 4. 47. & seq.

Probabilis assensus non est, judicare solùm probabilem sententiam, sed verã, licet non certò. 7.4.51.

Probabilem judicans opinionem, si determinatum illi assensum non præbeat non habet regulam suæ prudentis operationis. 7. 4. 52. & A. 7.

Probabilistarum Opinio an prudenter judicari possit probabilior? 7. 4. 53.

Probabilistæ non excusantur hîc, & nunc operantes juxtà minus probabilem opinionem, quamvis ipsi putent suam sententiam probabiliorem 7. 4. 54. & seq. A. 13.

Probabilistis, an aliquando suffragetur quoddã Urbani VIII. rescriptum. 7. 4. 58.

Probabilium sententiarum non prohibetur usus, sed abusus. A. 4. & seq.

Probabile speculativè tale est practicè, nulla superveniente circunstantia. 7. 3. 25. & A. 22. & seq.

Probabilis opinionis conditiones, & an idem sit Probabile & verisimile. A. 20. & seq.

Probabilis an possit esse opinio, quæ solùm ab aliquo recentiori D. docetur. A. 21. & 24.

Probabiliſtarum reflexiones nihil proſunt. 7. 4. 55. & A. 25.

Probabiliorē ſequendo opinionem, à periculo peccandi formaliter liberamur, non peccandi materialiter. A. 33.

Probabiliſtarum ſententia nos liberaret à periculo peccandi materialiter. A. 34.

Probabiliſtarum ſententia, nec à periculo peccandi formaliter liberat. A. 35.

Prudentiæ judicium ex certo Principio deductum, non habet omnimodam certitudinem. 7. 3. 68.

Prudenter agere, quicunque ſecundùm id, quod ſibi probabile operatur, nemo SS. PP. docuit, immò ferè damnatum eſt ab Innocentio XI. 7. 4. 32. & ſeq. & A. 29.

Prudenter quis non poteſt aſſentiri ſententiæ, niſi veram illam exiſtimet. 7. 4. 44.

Prudens operatio determinatam exigit regulam, quam ratio, non Voluntas, præſcribere debet. 7. 4. 45.

Prudentia eſt recta ratio agibilium. 7. 3. 39.

Prudentia non eſt ſimplex cognitio, ſed applicatio ad opus; Undè non poteſt omnimodam habere certitudinem. 7. 3. 40.

Prudentia in ſcientia fundatur, & adminus ex una certa pręmiſſa deduci debet, præcipuè cum haberi poteſt. 7. 3. 41.

Prudentiæ Judicium quam certitudinem habere debeat. 7. 3. 43. & ſeq.

Prudens judicium neceſſariò ferri debet ſecundùm id, quod veriſimilius apparet. 7. 3. 48.

Prudentiæ non poteſt ſubeſſe falſum. 7.3.50. & ſeq.

Prudentiæ præceptum eſt eligere melius, quando rationabile motivum ad minus bonum non inclinat. 7. 3. 52. & ſeq.

Prudentiæ modum ponere, quomodò intelligatur. 7. 3. 67.

R

RATIO inferior, & ſuperior. 3. 3. 2.

Re-

Rectitudo moralis est adæquata conformitas ad rationem, & legem. 5.1.2.
Regula humanorũ actuum duplex, immediata, & intrinseca, idest ratio; & remota, & extrinseca, scilicet Lex. 7. 1. 1.
Regula prima est Lex æterna, à quâ rationem regulę omnes aliæ participant 7. 1. 2.
Rege, vel Principe absque legitimo Successore decedente, ad legitimũ Superiorem, si adsit, judicium spectat, & sententia successorem determinans, licèt ipse sit prætensor. 7. 1. 18. & seq.
Rex, vel Princeps carens Successore legitimo, debet antè obitum Judices designare, si Regnum Superiorem non habet. 7. 5. 20.
Rege decedente absque Judicum designatione, ad Regnum ipsum pertinebit secundùm propria statuta. 7. 5. 21.
Regni prætensor certum, ac evidens Jus habens, non tenetur sententiam expectare, si probabiliter injustitiam timeat. 7. 5. 22.
Regni prætensor, si Judices habeat suspectos, petere potest, ut alii designentur, quod si negetur, potest armis quoquè se defendere. 7. 5. 23.
Regnum adjudicare non possunt Judices, nisi parti practicè ad Regnum habenti Jus. 7. 5. 24.
Regnum quomodò possint Judices parti etiam non probabiliori adjudicare. 7. 5. 25.
Rex, vel Superior quomodò cautè debet Consiliarios inquirere, ac eorum uti consiliis. 7. 5. 26. & seq.
Restitutionis obligatio non oritur præcisè ex culpâ, sed reali injustitia. 2. 2. 16.
Restitutionẽ omittens, continuò peccat, non tamen distincto peccato, nisi actus discontinuetur. 4. 4. 36. & seq.
Reus, an, & gravem pœnam subire, teneatur antè, vel post sententiam Judicis. 8. 3. 72. & seq.
Reus condemnatus, ut famæ pereat, potest, ac debet, cibum sumere occultè ministratum. 8. 3. 77.

Reus poteſt quaſdam actiones,quæ remotè ad mortem cooperantur. 8.3.78.

S

SACERDOTI non licèt in Sacramentorum administratione præſcriptũ ab Eccleſia ritum variare, graviterq; peccat in materia notabili, etiam non quòad eſſentialia. 7. 5. 58. & ſeq.

Sacramentum, & Sacrificium operatur ex opere operato, undè non conſequitur effectum, qui Sacramentum in ſe non ſuſcipit, per ſolam Voluntatem. 4. 2. 28.

In Sacramentorum adminiſtratione, an, & quomodò licitè ſequi poſſimus probabiliorẽ ſententiam, etſi non tutiorem. 7. 5. 59. & ſeq.

Sacramentum ſub conditione adminiſtrandum non eſt, ſed abſolutè, ubi adeſt moralis de valore certitudo. 7. 5. 62.

Sacramentum licitè adminiſtratur, etiam extrà caſum neceſſitatis, ſi dubium tantùm ſit de juriſdictione Miniſtri, ſitque pro juriſdictione probabilior ſententia. 7. 5. 63. Vide Confeſſarius.

Ad Sacramenta conficienda ſufficit virtualis intentio. 4. 4. 13.

Sacrilegium quomodò incurratur in violatione loci Sacri. 6.1.7. & 6. 2. 18. & ſeq.

Scire tenetur quilibet Chriſtianus principaliora fidei myſteria, & quæ cõmuniter ſciuntur ab omnibus, tàm de Jure naturæ, quam humano, & ad proprium ſtatum ſpectãtia. 2. 6. 13. & ſeq.

Scrupuloſa Cõſcientia quid ſit? 7. 1. 8. & 10.

Scrupuloſorum remedia. 7. 3. 83. & ſeq.

Senſitiva pars admittit peccatum abſque voluntatis implicito ſaltèm concurſu. 3. 3. 14. & ſeq.

Sententia de ſequenda probabiliori opinione Jugũ Domini non exaſperat. 7. 4. 60. & A. 11. & 16. & ſeq.

Sententiæ benignitas, vel rigor

gor nil refert ad probabilitatem. A. 3.
Sententia notam non meretur, quià lata, seù benigna, sed quia ultrà rationis dictamen. A. 4.
Sententia de sequenda probabiliori opinione valdè utilis ad reprimendam opinionum laxitatem, non inducit ad desperationem, nova non est, sed antiquissima A. 8. & seq.
Sortibus pecuniam exponens, quomodò possit prudenter agere. 7. 3. 65.
Speculativa, & practica ratio non fallit contradictionem. 7. 5. 24.
Speculativum, & practicum in moralibus coincidunt. 7. 3. 19. Vide Conscientiæ divisio.
Speculativè probabile quomodò possit esse improbabile practicè. 7. 3. 25.
Speculativo judicio falso, quomodò practicū possit esse verum. 7. 3. 29. & seq.
Statuta, & Consuetudines speciales locorū, & Personarum per novam Cōstitutionem nō abrogantur, nisi de ipsis mentio fiat. 8. 5. 15.
Studiositatis Virtuti nō quilibet excessus opponitur, sed intrà propriam materiam. 5. 3. 15.
Stndio vacans, & indè præceptum omittens, peccat unico omissionis peccato. ibid.
Stuprum est, violare Puellam sub nullius custodia, etiam ipsâ invitante 6. 41.
Subditi obedire tenentur, quamdiu non constat de legis injustitia. 7. 5. 2. & 13.
Subditi quomodò teneantur obedire, si dubitent, Superiorē licitè, ac validè præcipere. 7. 5. 30. & seq.
Superior. Vide Princeps. Rex.
Suspicans Conscientia quid quid sit: In se non differt à dubiâ. 7. 1. 8. & seq. & 7. 1. 81.
Synderesis est habitus primorū principiorum operabilium, cujus actus est Conscientia. 7. 1. 3. & seq.

T

Timiditas ex formali objecto est simpliciter gra-

gravius peccatum, intemperantia; hæc tamen ex annexis, ut plurimùm gravius est peccatum. 5. 5. 16.

Tributi licita impositio evidentem exigit necessitatem, non tamen extremam. 7. 5. 9. & seq.

Tributa imponendi justa causa non est, si Principis facultates ex ejus incuria, vel ministrorum nequitia non suppetant. 7. 5. 11.

Tributorum impositio tria exigit, quibus Princeps maturè debet invigilare. 7. 5. 12.

Tributa solvere, tenentur Subditi, dùm non constat de injustitia, si tamen fraudem advertant, Principem reverenter admonere debent, isque audire tenetur. 7. 5. 13.

Tutum, & tutius quid dicatur? 7. 3. 76. Vide Conscientia, Dubia, Opinio, Probabilitas.

V

VERBA, quæ sint Præceptiva, Mandativa, & Suasoria. 8. 3. 47. & seq.

Verbum, seù Clausula, sub præcepto, probabilius est gravem importare obligationem. 8. 3. 49.

Verba extendenda non sunt ad mortale, si tantùm sub veniali possunt intelligi. 8. 3. 50.

Veritas practica quomodò à speculativa differat. 7. 3. 50.

Veritas practica inseparabilis est à rectitudine operationis, sed proportione servata. 7. 3. 56. & seq.

Veritas practica tota præcontinetur in speculativâ nec illâ in certitudine excedit. 7. 3. 57.

Violentia involuntarium facit, exigit autẽ aliquam in passo resistentiam. 2. 3. 3. & seq.

Virtus boni Civis, ut sic, est simpliciter Virtus, & quomodò à Virtute boni Viri differat? 4. 3. 30. & seq.

Virtus boni Civis diversificatur secundùm Regiminum diversitatem. 4. 3. 32.

Virtutes infusæ differũt specie ab acquisitis ex ratione formali objectorum. 4. 3. 33.

Vir-

Virtus infusa quomodò cõpatibilis cũ oppositi vitii habitu. 4.3.34. & 4.4.14.

Voluntas est appetitus rationalis. 2. 1. 1.

Volitum nil, quin præcognitum. 2. 1. 2.

Voluntariũ quid sit? 2. 1. 3.

Voluntarium perfectum, liberum, & necessarium. 2. 1. 4. & seq.

Voluntas ex naturâ suâ est potentia libera, & naturalis. 2. 1. 10.

Voluntarium elicitum, & imperatum; in se, & in causâ; directè, & indirectè. 2. 1. 15. & seq.

Voluntarium indirectè requirit, quod quis possit, & debet. 2. 2. 1.

Voluntarium in se, & directè, ac Voluntarium in causà, & indirectè, quomodò differant? ibid.

Voluntarium in causa requirit, quod expresè volitũ sit vera alterius causa 2. 2. 2.

Voluntas quòad actus elicitos, nec à Deo violentiam pati potest, benè quoad imperatos. 2. 3. 4. & seq.

Volitio simplex quid sit? est inefficax. 3. 1. 6. & 3. 2. 1.

Volitio potest esse de fine formali præcisè. 3. 2. 2.

Volitio materialiter idem actus esse potest cum intentione. 3. 2. 3. Vide Actus Voluntatis.

Volũtatis processus per omnes suos actus. 3. 2. per totum.

Voluntatis proprius operãdi modus est, trahi ab objecto. 4. 5. 39.

Votum solemne Religionis per metum, quomodò invalidum. 2. 4. 7.

Votum purè pœnale non ad culpam, sed ad pœnã obligat. 8. 3. 67.

Usus quid sit? 3. 1. 7.

Usus propriè, & in latiori acceptione. 3. 2. 16. & seq.

FINIS.



Errata *Corrige* :

PAgina 3. col. 2. linea 8. ex ratione, leg. & rationem. pag.4.col.2.lin.17. positissimæ, leg. potissimæ. pag.5. col.1. lin.31. Bonum est, leg. Bonum non est. pag.6.col.2. lin.5. Art.1.leg.Art.3. pag.8. col.2. lin. 29. explicatio, leg. Expolitio. Item col. 1. lin. 35. part. 2. leg. prima 2. pag. 9. col.2.lin.19.explicabimus uno verbo, leg. explicabimus. Uno verbo. pag. 12. col.1. lin 3.sic cogitat, leg. si cogitat.pag.13.col.1.lin.25.Serra par.2.q.14.q.4.dub.1.leg.prim.2.q.114.art.4.dub.2. pag.15.col.1.lin.6.cap.25. leg.cap.24. pag.16.col.2.lin 18. Tuscul.9. leg.Tuscul quæst. pag.22.col.1.lin.12.psa, leg. ipsa.pag.24.col.1.lin.18 pecent, leg. peccaret. pag.26.col.1.lin.13. & 17. præcisus, leg. prævisus. pag.33.col.1. lin. 13. & 14. quoad culpam & in foro exteriori, leg.quoad culpam, & in foro Conscientiæ, non in foro exteriori. pag.35.col.1.lin. 19. exequatur, leg. æxequantur. Item col.2.lin.12 dici licite, leg. licet dici. pag.36.col.1 lin 19. parere, leg. parcere. pag.38.col.2.lin.28. Urgeret, leg. Non urgeret. pag.40.col.2.lin.7. vero, leg. vere. pag.41.col.2 lin.26. respicit, leg. respuit. pag.44 col 1.lin.19. tristitia, leg. cum tristitia. pag.60.col.1.lin.15. nam acta, leg. nam certa. Item col.2.lin.23.art.2. leg. art.3. Item col.2.lin.27 dicatur secundum, leg. dicatur, secundum quod placet ad agendum; electio autem secundum. pag.63. col.1. lin 21. eligendum, leg. eliciendum. Pag.67.col.1.lin.4. Injuria, leg. incuria. pag.68.col.1. lin.30. sed, leg. se. pagina 74.col.2 lin.24. tuta, leg. recta. Item lin.28. aggressum, leg. aggressus. pag.81.col.2.lin.22. quod est bonum, leg. quod ait esse bonum. pag.95.col 2.lin.24. art.3. leg. art. 5. pag. 118. col.2. lin.24.potest, leg. non potest. pag.119.col.1.lin.25. quod, leg. quoad. pag.124.col.1.lin.33. naturaliter, leg. naturalis. pag.169.col 1.lin.21. formalitas, leg. formaliter. pag.173.col.1. lin.17.nimis, leg. minus. pag.178.col.1.lin.24. ex hoc, leg. & hoc. pag.180.col.2. lin.ult. non possit, leg. possit. pag.186.col.1.lin.4. numerum non, leg numerum; sed verius est, non. pag.197.col.2. lin.ult. quæst. 15. leg. quæst. 18. pag.218.col.1.lin.4. - 2. 58. leg.n. 58. pag.222.col 2.lin. 16. furatus sum, leg. furatus sum ad fornicandum; vel sufficiat dicere, furatus sum, fornicatus sum. pag.234.col.1.lin.35. nam faciens, leg. non faciens. pag.237.col.1.lin.14. quod, leg. quo. pag.242. col.2.lin.12. men, leg. le. pag.249.col.1.lin.32.distinctivè, leg. disjunctivè. pag.252.col.2.lin.27. severius, leg. securius. pag.257.col.1.lin.29. quia, leg.quin. pag.260.col.1.lin.19. diatè subjicitur, leg. diatè regulatur à speculativo, cui immediatè subjicitur. pag.260.col 1 lin.30. materiali, leg. naturali. pag.277.col.2 lin.35. q. 52. leg. 57. pag.294.col.1.lin.11. ter. quare, leg. ter. In primis enim, sequi tutius, consilium est, nedum in dubiis, sed etiam in certis. Quarè. pag.300.col.2. lin.25. graviorum, leg. Graviores. Item lin.26. Voto leg. Voco. pag.301.col.1. lin.32. acrium, leg. avium. pag.303.col 2.lin. 16. recta, leg. certa. pag 308. col.2. lin. 33. metonus, leg. Mercorus. pag.309.col 2.lin.4.& 5. Guidone Carmelitanum, leg. Guigone Cartusianorum. pag.311. col.1. lin.9.& 10 Lorin.in act. Ap. leg. Lyrinensis cap.24. Commonit. pag.312.col.2.lin.25. 1581. leg. 1571. pag.315.col.1.lin 22. art.3. leg. art.13. pag.321.col.1. lin.2. unicum, leg. unum. pag.323. col.2.lin.30.quàm, leg. quin. pag.324.col.2.lin.ult.pravitate, leg. gravitate. pag.335.usq. ad 371. in titulo, seu inscriptione addatur Ap, idest. Appendix hoc modo cap.VII. §.IV. Ap. pag.338. col.2 lin.25.bilis, leg. bili. pag.339.col.2.lin.33.ipsa, leg. ipso. pag 346.col.1.lin.16. juvat leg. cruciat. pag.348.col.2.lin.13. ibi tota leg. tibi nota. Item lin 16 sibi, leg. tibi. pag.354.col.1.lin.15. non per, leg. per. pag.355.col.2.lin.ult. ris, leg. tes. pag.361 col.1.lin.38. de se q. leg de reg. pag.364. col 2.lin.5.tutta, leg. tutte. Item lin.7.tà, che, leg. sà, chi. pag 365.col.2.lin 12.intus leg. ictus pag.366.col.1.lin.20. eodem, leg. eodem modo. pag.366.col.2.lin.14.ex certis, leg. ex tertio. pag. 368.col.2. lin.8. Censum, leg. Censura. Item lin.11. eximit, leg. eximit, benignitate. pag.371. col.1 lin.8. tardus, leg. bardus. pag.372.col 2.lin.19. gimur, leg. namor. Item lin. 26. §.1. leg. §. 5. & sic in tit.usq.ad pag.401. pag.374.col 1.lin.26. quam dici, leg. quandiu. pag.389.col 1.lin. 31.aot, leg. ut. pag 390.col.1.lin.4.q.96.leg.q.95. pag.398 col.2.lin.31.barbarus, leg. barbarius. pag. 405.col.1.lin.33.dici, leg. diu. pag.407.col.2.lin.25.&26.mensuram,& regulam, leg. mensura,& regula. pag.412.col.2.lin.6.cere, leg. carè. pag.413.col.2.lin.16.communiter, leg. communes. pag.416. col.1.lin.37.communi, leg. communis. pag.410.col.2.lin.11.te, leg. se. pag 421.col.2.lin.18.sensu, leg. textu. pag.445.col.1.lin.14.Sagro, leg. Sayro. pag.448.col.2.lin.20. jungo, leg. injungo. pag.455. col.1.lin.24.sive, leg. sine. pag.456.col.1 lin.26.actu tà, leg. ac tuta. pag.456.col.2.lin.22. regula 1. leg.70. pag.466.col.2.lin.8.juria, leg. curia. pag.474.col.1.lin.34.q.3.p.10.§.1. leg.q.3.p.8.§.2. pag. 477. col. 2. lin. 10. q. 5. leg. q. 3. pag. 489. col. 2. lin. 20. qui, leg. quis.

In Indice lit. A.col.5.lin.15.liceat, leg. licet. Item col.6.lin.13.cum qua, leg. in quà. B.col.1.lin.5. & leg. est. item lin.9.excusandum, leg excusandus. col.2.lin.15.A.2.8. leg. A.28 Item lin. 33. est leg. &. col.3.lin.15.honestam, leg. honestatem. C.col 1.lin.10.parens, leg. poreos. col.2.lin.33 cessario voluntaria, leg cessans voluntariè. col.3.lin.8.efficiant, leg. afficiant. col.10.lin.ult.3.2.1.leg. 3.2.5. col.12.lin.14.acquirat, leg. requirat. E.col.2.lin.8.præcisi, leg. prævisi. Item lin.29.licitè, leg. illicitè. I.col 1.lin.20.3 66.leg.2 66. L.col.5.lin.5.6.2.6.leg.8.2.6 col.9 lin 6.8.3.87.leg.8 3.47. item lin.25.imponens legem, leg. supponens legem obligat ad gravem, vel levem culpam, seu &c.col 10. lin.11 imitatio, leg. irritatio. item lin 15.immutatur, leg. irritatur. Item lin 25. 50 & seq. leg.10. & seq. col.11.lin.25. 3.1 8.leg.2.1.8. M.col.2.lin.14.ne, leg. nis. col.5. lin 23. & seq. fuit involuntarius, leg. facit involuntarium. col.6 lin.15. 2.5.14.leg.7.5 14. col 7.lin.14. 8.3.28.leg.8.3.78. O col. 1.lin.20. 4.3.7.leg.4.3.37. item lin.23. 4.3.28.leg.4.3.38. P.col 3.lin 6. 5.3.1.leg.5.2 7. col 7.lin.32. 2.4.16.leg.2.4 10. col 10.lin.2. 2 8 18.leg 8.2.18. R.col.2.lin.20. 7.1.18.leg. 7.5 18. S. col.2. lin 26. admittit, leg. non admittit. col 4.lin.4. 5 3.15.leg.5.3.83. Item lin. 11. 6.41.leg.6.4.5. item lin. 25. 7.1.81. leg.7.3.81. V. col.2. lin.25. est leg. non est.

